
David Flud van Giffen

Baxwin, Thomas


à coelo salus
RELIGIO MEDICI
Cum Annotationibus.
ARGENTORATI
Sumpt. IO. FRIDERICI SPOOR.
CIↃ IↃC LXV.

Sum Henrici Beiß
Neo-Eboraci
Julii 1709.

Obs

Hic Liber ex damnatis est. Vide
Arcurum in Ind. in Not. Rei Lit.
Editioni VI^a pag. 846 S. XV.

PRAEFATIO AUCTORIS ANNOTAT.

ANte annum, & quod excurrit, mihi ex aula Imper. reduci, leni dabatur frui otio. ut tamen minimè otiosus existerem, redii paululum ad jucundiora illa studia, quibus per multos annos continuæ peregrinationes, aliaq; in Principum servitiis negotia omne tempus subduxerunt; imò eripuerunt. Inter alios auctores incidi tunc in librum, cui Titulus Religio Medici. Jam antè mihi innotuerat, lectionem istius libri multos præclaros viros delectasse, imò occupasse. Non ignorabam librum in Anglia, Gallia, Italia, Belgio, Germania cupidissime legi. Constabat mihi, eum non solum in Anglia ac Batavia, sed & Parisiis cum præfatione, in qua Auctor magnis laudibus fertur, esse typis mandatum. Compertum mihi erat multos magnos atque eruditos Viros censere, auctorem (quantum ex hoc scripto perspici potest) sanctitate vitæ ac pietate

elucere: Eum vera: firma ac generosa fide se scrupulis, quibus interdum conflictatus fuit, exolvisse: ejus conatus tendere ad profectum, ad bonam mentem, ad veram non fictam pietatem, ad admirationem sapientiæ, secretorumque Dei; ad objurgandum cæcum zelum in Religione Christiana, ad insinuandum studium charitatis & concordiæ, ad irridendum stolida atque absurda Atheorum, ad testatum faciendum, non omnes ingeniosos rerum naturalium atque abstrusarum indagatores flagitiosissimi atheismi contagione contaminatos esse. Reperiebam tamen ego, hominem, præsertim si durum ac rigidum (ut nunc mos fert) nanciscatur censorem, in nonnullis reprehensionem mereri: dubia enim interdum proponit, quæ non resolvit; Scrupulos injicit, quos non eximit. Se difficultatibus nonnullis urgeri fatetur, quomodo illis liberemur silet. Hæc animadvertens annotavi nonnulla ad ea, quæ mihi aut displicebant, aut parum satisfaciebant: ea vero, quæ prodesse judicabam, confirmavi testimoniis aut ex S S. Scriptura, aut ex Patribus, aut ex aliis bonis auctoribus depromptis. Sed privato hæc meo usui, non publico destinaveram: Unde multa, quæ nonnullorum hominum judicio, forsan animadversionem requirerent, mihi verò nullam scrupulosam curam injecerunt, in-

tacta

tacta reliqui; nunc ea addere non vacat. Edi hæc amicorum impulsu permisi, ut liber, qui multorum in manibus versatur, multorum commodo inserviat: nam pleraque, quæ forte quibusdam offendiculo fuerunt, aut commodè explicata, aut modestè confutata arbitror. Hæc annotata, benevole Lector, tibi non fore ingrata confido: multa enim ex sacra ac profana antiquitate, ex morali ac naturali Philosophia addita vides. Auctor noster est Thomas Brovvne, ut testatur præfatio in Editione Leidensi; natione Anglus, arte medicus, ut manifestum faciunt Sectio 1. & 5. l. 1. & Sect. 9. l. 2. Quod attinet hominis religionem; non fuit Puritanismo addictus, aut turpitudine independentium errorum fœdatus. Sect. 2. l. 1. prodit *se fidem illam profiteri, quam Servator docuit, quam disseminarunt Apostoli, quæ à Patribus auctoritatem, à Martyribus confirmationem accepit.* Sect. 3. l. 1. cæcum atq; immoderatum hominum zelum objurgans, *se citius sibi brachium, quam ædem sacram violaturum, quam Sancti alicujus aut martyris monumentum deiecturum testatur.* Ibidem docet *in Græcis & Romanis, & Africanis Ecclesiis ritus esse, qui zelo saniori sunt recte & Christiane uti posfint.* Sect. 6. l. 1. in schismata piè invehitur, ac se *libenter in Theologia viam tritam insistere* fatetur. Sectione 4. & 5. l. 1. & Sect. 3. l. 2.

Concordiæ ſtudium commendat, Chriſtia-
nosque à ſtudio altercandi, cum bile in-
tempeſtive diſputandi, convitiandi, ac ma-
ledicendi alienos optat. Secutus eſt pla-
cita antiquæ Eccleſiæ Anglicanæ: prout
illa tempore Eliſabetæ reſtabilita fuit.
Sect. 5. l. 1. fatetur, ſe *iſtius Eccleſiæ fidei ſa-
cramentum dixiſſe, neminemq; ſe adducturum,
alios articulos ut fide, aliasve conſtitutiones
obedientia ut amplectatur: ea vero, quæ adia-
phora acceſſerint, ad judicii proprii præceptum,
& pro privato pietatis ſuæ genio ſe recipere
aut repudiare.* In nonnullis quidem ab ea
diſcrepare videtur. Sect. 3. dicit *aquam lu-
ſtralem eius judicio non imponere, nec religio-
nem pervertere: ſe religioſe peregrinantium
labores ridere haud poſſe, nec Monachorum
conditionem contemnere; ſe in proceſſione ſo-
lemni quandoque abundantius fleviſſe; ſe optaſ-
ſe ſibi licere pro defunctis orare:* At ea Ec-
cleſia, cum adhuc eſſet ſui juris, nempe
ante miſerrimum illud ac nunquam ſatis
deplorandum belli civilis incendium,
(quod non ſolum Monarchiam abſumpſit:
ſed & introducendo varias ac nondum
numero circumſcriptas ſectas, ita illam
proh dolor Eccleſiam depravavit, ut vix
veſtigia priſtinæ integritatis ſupereſſe vi-
deantur) nullas leges tulerat, quibus ejus-
modi privatam opinionem modeſtè ha-
bentes devoveri, aut è catalogo Chriſtia-
no-

norum expungi possent: Illaque Archiepiscopis atque Episcopis stipata, sedulo tunc curabat ut religionis negotia sine odio ac ira, sine conviciis ac stomachosis clamoribus tractarentur. Si autem hæc & alia pro magnis lapsibus habeantur, auctorem nihilominus excusandum puto; quia *se iis tantum patrocinaturum promittit* Sect. ult. l. 1. *quæ doctissimorum calculus approbaverit*: & in præfatione se *partim privatæ exercitationis gratia, partim ne memoriæ exciderent, hæc conscripsisse; nequaquam ut aliis normam ac religionis canones præscriberet*, tradit: qua modestia, meo judicio, omnem errorem expiare videtur. In aliis etiam non omnibus placebit: nec mihi in omnibus (ut principio dixi) satisfacit: hæc tamen, quæ jam protuli, bonorum librorum beneficio destitutum, cum hæc elaboraret (ut fatetur; in præfatione) extra culpam ponere videntur. Scripsit hunc tractatum lingua vernacula. Quidam Anglus nomine Johan Merryvveather, latinum reddidit illum: nec in sermone aliquid reprehendendum existimo: pleraque enim nativo lepore, nec contra naturam suam posita aut inversa videmus: at forsan magis adhuc orationem admiraremur, si ipse latine scripsisset: nisi verisimilius, mores illum, non verba voluisse *componere, animis non auribus scripsisse*: *Oratio enim sollicita Philosophum non*

 decet.

decet, Sen. in Ep. 100. Qui me noverunt, forsan admirabuntur, me, cui per multos annos, nihil; aut parum temporis laboribus vacuum fuit, illud, quod reliquum extitit, non ſtudiis politicis, quæ mihi, ratione ordinis mei atque officii, ſolum curæ ac cordi debere eſſe judicabunt, ſed hiſce, quæ fortaſſe nugarum numero habebunt, impendiſſe. At ſi nemini vitio duci poteſt, interponere ſeriis, curis ac moleſtiis interdum jucunda, honeſtas recreationes, & innoxia gaudia; quare mihi, qui paululum ſequendo genium meum, hiſce innocentiſſimè me reficere volui? nec interim ea, quæ meæ curæ demandata fuerunt, negligentius egi. Alii cenſebunt me parum huic erudito ſeculo ſatisfeciſſe; quod & ego non abnuo: Sed qui cogitabunt, me eſſe adhuc juvenem, ac per multos jam annos frequentibus migrationibus, & in Principum ſervitiis occupationibus fuiſſe perpetuò diſtentum, me excuſabunt: nam nunquam corporis fugam ſiſtenti, non æque facile eſſe erudite ſcribere, quam illi, cuius quies non interrumpitur, apud omnes in confeſſo eſt. Sæviores adhuc, inſolentioresq; Ariſtarchos adfuturos propemodum prævideo: Reperiuntur enim nonnulli homines, quorum animos tam miſerè ambitio verſat, tam turpiter contendendi libido inquietat, ut, niſi ex illorum arbitrio omnia

agan-

agantur, aut nisi planè idem cum illis sentiamus, aut nisi aliquis in dissentientes ab eorum opinionibus strenuè debacchari, ac insigniter clamare velit, primo vultum tristem induant, mox in simultates agantur, tandem pietatis obtentu iras ac verba in fasq; nefasq; locent, eaque alicui, quæ ne somniavit quidem, vel clam, vel palam improperare, aut in pede muscæ struem calumniæ ædificare summo voluptatis loco ducant: hisce se candidatos immortalitatis fieri confidunt: hisce hominesq; divosque oculos in se coniecturos ac de via decessuros arbitrantur: hisce se divinos heroes, cæterosque omnes, *queis meliore luto finxit præcordia Titan*, nil nisi terræ filios, ac præ se vix ac ne vix quidem dignos, qui palum figant in pariete putant: hisce demum indignis artibus, nomen suum æternæ monumentis laudis incisum iri plusquam ridiculè præsumunt. Sed melius sibi consulerent, ac magis è re Christiana foret, si famæ, quæ meritis prorogatur, studerent; aut si ea saltem facerent, quæ, non dicam charitas Christiana, sed humanitas exigit. Quis enim non videat, quod hi illorum pravi mores, ac insanabile rixandi, calumniandi, maledicendique cacoëthes commendationem ingenii ac doctrinæ plane evertant, multum incommodi Reipublicæ Christianæ afferant, & à nostra Ec-

clesia alienis uberem risus materiam præbeant? At nihil mihi cum his negotii est: Utantur, suo ingenio: per me licet. Emisi hæc in publicum ut prosim, non, ut litigem: Candidi, nullis affectibus abrepti, & quorum in pectore Christiana charitas adhuc æstuat, non idem cum his censebunt. Tu, benevole Lector, ea, quibus tibi prodesse volui, æqui bonique consulas obsecro, si quid vero inveneris, quod satis non arrideat, ne id in sinistrum sensum rapias iterum atque iterum rogo; aliud præmium non ambio. Vale. Argentinæ Anno M DC LII.

L.N.M.E.M.

D. ep:
Levinus Nicolaus. Moltkenius Eques Mecklenburgicus

Lectori S.

Opusculum hoc author, & sibi & aliis injurius, Anglus Anglice scripserat; Eamq; non paucorum esse querelam intellexeram. Fecit enim titulus solus latine locutus, ut complureque cum lingua pretium quoque ejusdem nescirent, legendi & intelligendi copiam flagitarent. Hoc itaque tum ut horum desideriis satisfacerem, tum ne quod ab omnibus legi dignum est, angustis vernaculæ linguæ finibus coarctaretur, latinum facere conatus sum. Quoniam vero sermonis elegantiam latinis auribus me reddere posse desperavi, saltem Authoris sententiam summa qua potui fide ut redderem, mihi annitendum judicavi; quod & me assecutum spero. Tuum erit (Lector candide) quod tua causa factum est, boni consulere. Vale.

JOHANN. MERRYVVEATHER.

Author Lectori S.

Cupidum esse vitæ oportet, qui universo jam expirante mundo vivere cuperet, mortisque proterve impatientem, qui in communi hoc omnium fato mori recusaret: Nisi omnes passim præli injurias, & grassantem ubique tyrannida quererentur, non mihi, quod cum eodem expostularem defuisset. Verum enimvero quandoquidem in ea tandem tempora recidimus, quibus non sine summo præstantissimi hujus inventi abusu, sanctum Majestatis nomen violatum, honorem Parlamenti depravatum, & à prælo utriusque scripta corrupta, anticipata, & falso impressa vidimus; ridiculus profecto sim, si privatus querar; nec tam injuriarum capaces videantur mei loci & conditionis homines, quam ad easdem vindicandas impares. Enimvero nisi importuna amicorum petitio, veritas violata, & officium tum huic, tum illi à me debitum flagitassent, injuriam hanc per quandam ingenii ignaviam usque passurus eram, donec tempus, quod alias veritatem in lucem vindicat, mihi hoc quicquid est oblivioni tradendo satisfecisset. Quoniam verò è Typographiis prodeunt, non tantum manifesto falsa, sed vera etiam falso & mendose edita; hic mihi ipsi non deesse oportere judicavi. Vtcunque enim deplorata sint illa prioris generis mala; posteriora tamen, ut quibus mederi nobis in manu sit, non negligenda videntur. Hanc adeo ob causam, opusculum hoc perfecto tandem & destinato exemplari in publicum emitto, quod prius surreptitium & misere mutilatum prodierat.

Hoc cum quibusdam aliis consimilibus fateor me ante septennium exercitationis, & animi causa vacuis & subcisivis horis conscripsisse: Quod uni communicatum ad plures transiit, &

sæpi-

sæpius mendose transcriptum corruptissimo tandem exemplari ad prælum pervenit. Illud qui perlegerit multa propria & peculiariter de me ipso dicta observare poterit; unde facile perspiciet non publico destinatum fuisse. Quæcunq; enim in eo continentur, partim privatæ exercitationis gratia, partim ne memoriæ exciderent, conscripseram; nequaquam ut aliis normam & religionis Canones præscriberem: Ideoque nec aliis profuturum est, si quid forte cum privato cujuspiam sensu congruat, nec obfuturum, si discordet. Quæ erat autem loci in quo scripseram incommoditas, nullius profectò boni libri beneficio, jam inde ex quo primum calamum chartæ admoveram, usus fui, quo vel ingenii conatibus opitulari, vel memoriæ laboranti succurrere poteram. Vnde accidisse credo, ut non pauci lapsus ab aliis observati fuerint, pauciores tamen quam ipse suspicaret: Multi jam anni sunt, quod hoc primum composueram, idq; tanquam summam quidem eorum quæ tunc animo conceperam, non tanquam legem immutabilem maturiori judicio imponendam; adeoque fieri potest, ut non pauca quæ tunc animo satis arrisere, hodierno judicio non ita placeant. Multa rhetorice, multa tropice dicuntur, prout scilicet animi sensa commodissime quæque exprimere videbantur: Ideoque flexibili quodam, & leniori sensu interpretanda sunt, non ad severam Rationis normam exigenda. Quæcunque denique in hoc continentur, provectiori judicio cessura sunt, & quemadmodum ostendi, ea tantum patrocinium nostrum habitura, quæ doctissimorum virorum calculus approbaverit. Quarum considerationum favorem stipulatus, quod privatum erat, in publicum prodire jussi, & veritatem ejus ingenio cuique lectori dijudicandam committo.

THOMAS BROVVNE.

Præfatio Præfixa Edit. Parisiens.

Atheismi suspicione laborantes Medicos, purgaturus hic medendi artifex, & innocentem artem, Apostoli laudibus claram, interq; divina charismata annumeratam, à magnis & impudentibus vulgi calumniis vindicaturus, fidem ambiguam non tantum manifestat, verum etiam occupat omnia quæ contra illam ab Atheis, Turcis, Iudæisq; opponi posse arbitratus est. Magni sanè erat momenti ad Medicorum famam, hanc injuriam propulsare; Dico amplius Reipublicæ Christianæ non parùm intererat, viros sibi servare innocentes eosdemq; doctos, qui dum profundis aut erectis conatibus toti Naturæ rimandæ mundanoq; operi pervolvendo incumbunt, suo simul opifici haud dubiè faciunt. Nihil igitur suboleat mali, Religionis Medici Titulus, siquidem ejus author firmissimum primæ veritatis patrocinium suscipit: doctissimi acumen ingenii, plurimis Theologiæ dogmatibus tradit, subactam & fæcundam mentem in obsequium fidei accommodat; tandemq; inter dissidentia Ecclesiæ membra Christiana scissuræ ingemescit. Is est (mi Lector) quem securus tanges: sed nondum satis tibi innotescit, Anglum se licet esse profiteatur, & ad sectam Anglicanam per vim malignam nativitatis aut fortunæ præter voluntatem adactum, penè tamen Catholicus est, & ita ab Anglicanâ Doctrina ad Romanam deflectens ac propendens, ita ad fidem nostram universalem compositus, ita leniter dissidens à nobis, ut metu tantùm sævientis in Angliâ persecutionis, metu

metu inquisitionis hæreticæ in aliquibus adhuc aberrationibus detineri videatur. Sanè non pertinax illi suæ sectæ ingenium, sed facilè in nostram pietatem syncerè mutabile. Quid enim aliud est, parentum aut amicorum funeribus se volentem nolentem, interposito etiam voto, solvere justas preces, ut animæ illorum, dilatâ conscientia, criminibusq; dissolutæ, eximantur à cruciatu & transvolent in sinum Abrahæ, quid est inquam aliud quam Medicos illos purgatorii ignes nobiscum asserere: quos si se dicat non possè capere, sensu supponit aut intelligentia non fide? Quid aliud, adhibere Sanctos ad dolores, eorumq; opem ac suffragia, urgentibus miseriis, invocare, quam ad fidem Catholicam se adiungere? Quid Angelos custodiæ nostræ commissos ac interiore curâ deputatos profiteri, quam nostrarum partium Theologum se facere? Quid summum Pontificem non modo non adversari, sed eundem necessaria veneratione colere, & observare, invehi in eos qui malè ei dicunt ac Antichristum nominant, quid inquam nisi vicino vestigio propendere in Catholicam Ecclesiam, sese removere à suis, & Romam, cursu licet lento, contendere. Timidus quidem est dum se tegit, caliginemq; offundit altaris mysterio: sed quantum sit hoc in proposito clandestinus, quamq; habeat apud se reconditam doctrinam, conscia sunt eius de miraculis verba, ubi non unum alio maius asserit, & fide eadem qua unum creditur aliud credi posse innuit: disceptatricis Theologiæ argutias ferre nequit, nec sublimem hanc scholæ calliditatem patitur, at non illa placet Catholicis omnibus. Alicubi fortasse leves ad credendum irridet, cupitque credulitati proiectæ ac effusæ adhibere modum, at nihil agit contra nos, cum ibidem pertinaces suisq; consecrates erroribus ludibrio habeat. Sed quidquid tandem sit de eius genio ac fidei integritate; quid vetat, quo minus suadente etiam scriptura salutem ex inimicis nostris consequamur? Miraberis sal-

tem,

tem, lector, generosos ac faciles impetus, eamq; ex solo Aerario suo, libris vacuum, deprompsisse tam varia, quæ ditionis solius memoriæ erant: quid si patres, antiquitatis sacræ testes, consulere potuisset? Certè illud etiam observabis, ad rationum momenta expendenda adeò placidum & mansuetum ingenium afferre, tantam lenitatem condescensionemq; (utar verbo latinorum patrum) ut non sit censendus hæreticus; imò sperare possimus, fore ut animus fidei capessendæ idoneus, adornatis erroribus planè renunciet, & ampliori lumine à Deo illustretur.

Hanc præfationem non in alium finem addidi, quam ut videas hunc Authorem etiam Pontificiorum judicio, non esse inquinatum erroribus illis, quos illi nonnulli contentiosi homines pravè affingunt.

RELIGIO MEDICI.

PARS PRIMA.

Sectio I.

AD Religionem meam quod attinet, licet verisimilia quædam concurrant, ex quibus fieri possit conjectura, mihi nullam prorsus esse, cujusmodi sunt; † Hoc vitæ institutum quod secutus sum; † isto plerumque nomine male audiens; studiorum meorum genius; Moribusq; & sermonum in iis, quæ ad religionem spectant, indifferentia ? dum nec has partes tueri nec illas impugnare consueverim, ea studii & contentionis acritate, qua pleriq; fere uti solent. Hæc tamen omnia nequaquam obstant, quo minus honorificum Christiani nomen, idq́; jure optimo mihi ausim vindicare. Non quod Baptisterio tantum, aut † institutioni, aut Regioni ei, quæ me peperit, hunc titulum ac-

ceptum feram; quaſi aut eorum, quæ à parentibus incauta adhuc mente imbiberam, ex educatione confirmatio acceſſerit; aut communi quodam aſſenſu Religionem patriam amplexus fuerim: Sed quod maturiori jam ætate, & provectiori judicio, ſpectatis, exploratisque ſingulis, ipſa gratiæ principia, rationisq; leges, ut huic uni me addicerem, perſuaſerint. Nec tamen hic communis eius charitatis, quam omnes humanitati debemus, adeo immemorem me zelus reddidit, ut non † commiſeratione potius, quam odio Turcas & infideles, nedum Judæos proſequi velim: beatoque hoc cognomine frui contentus non infeſto in eos animo ſum, qui titulum tam glorioſum reſpuunt.

ANNOTATA
Ad Sect. I.

Hoc vitæ inſtitutum] *Qui nimium rerum abſtruſarum ſtudio immorantur, & præſertim cum ſingula non verò univerſa inter ſe connexa, ac coniuncta conſiderant, nonnunquam in immaniſſimum atheiſmi vitium incidunt: quo etiam in civili ſocietate nihil iniquius & ſtultius cogitari, nihil pernitioſius toti humanæ ſocietati fingi poteſt, quippe omni religione ſe exuentes, non ſolum conſequenter tollunt omnem inter hominem & brutum animal differentiam; ſed & omnia illa auxilia, quibus ad exercendum civili ſocietati ſummè neceſſarias virtutes adducimur. Prudentiores tamen illorum omnibus*

mnibus curis ac sollicitudinibus, quibus plerumque Christiani pii distorquentur soluti omnemq; beatitudinem in animi tranquillitate consistere credentes, alios in suas partes trahere haud nituntur, ne hoc ipso aliquid, quod fictam illorum beatitudinem turbare possit, sibi accersant. Auctor ne propter professionem sermonumq; (ut ipse dicit) de Religione indifferentiam huic atheorum generi adiungatur, rationem silentii de Religionis negotiis reddendo, omnem flagitiosi atheismi suspicionem à se dimovet, illosque per transcursum reprehendit, quos cæcus zelus omni charitate, quam tamen Iudæis ac paganis debemus, destituit.

Aut institutioni, aut Regioni] *His præiudiciis detinentur plerumq; homines, atq; impediuntur, ne ad Veritatis fanum penetrare possint: Unde Horat.* Epist. 2.l.1.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Et multi etiamsi melius videant, malunt tamen Deum secundum leges patrias, quam secundum illas, quas ipse præscripsit, colere. Sed felices illi, qui hisce vinculis se exsolvunt, seduloq; veritati inveniendæ student, eamq; inventam sponte amplectuntur.

Vt non commiseratione potius, quam odio] *Christiani ab omni odio debent esse alienissimi: præcipit Apostolus* ad Galatas 6.v.10. *ut omnibus Iudæis & Gentilibus benefaciamus, nullos excludit.*

Sect. II.

Quia autem hodie generalius est Christiani nomen, quam ut fidem nostram exprimat; sicut enim terrarum, sic & Religionum † Geographia quædam est, nec

tantum legibus ſuis ac finibus diſtinguuntur regiones, ſed doctrinæ etiam, fideique ſuæ canonibus circumſcribuntur; ſtrictius itaque ut agam,† Religionem illam Reformatam, de novo ad incudem redactam profiteor, in qua † præter nomen ſolum nihil diſplicet. † Fidem illam profiteor, quam Chriſtus ſervator docuit, quam diſſeminarunt Apoſtoli, quæ à Patribus authoritatem, à martyribus confirmationem accepit. Quæ tamen † ſiniſtris Principum conſiliis, † Epiſcoporum ambitione & avaritia, & † fatali temporum corruptione ita tentata, & labefacta fuerat, ita à nativa ſua pulchritudine reciderat, ut ad primævam ſuam integritatem recuperandam, temporum horum amica & diligenti opera indigeret. Fortuitus autem ille occaſionum concurſus, rationum rei gerendæ tenuitas, † eorumque qui opus tam bonum primi moliti ſunt, humilis & abjecta conditio, quæ apud Adverſarios noſtros riſum & contemptum pariunt, mihi quidem admirationem excitant: eadem iſta Chriſto olim, & diſcipulis eius inſolentes Ethnici obiectarunt.

ANNOTATA.

Ad Sect. II.

Religionum Geographia] *Præſertim in Europa inter Chriſtianos, Vide nuper Amſtelodami editum libellum, cuius auctor Bernhard.*

Va-

Varenius de diverſ. Gent. Religion. *In Aſia tamen & Africa magna etiam Religionum diverſitas eſt: & id non ſolum inter Ethnicos, ut ſunt Chinenſes ac Iaponenſes, Vid. Trigaut.* de exped. Chriſt. apud Chin. & *Bernh. Varen.* in deſcript. Regni Iaponiæ, *ſed etiam inter Mahumetanos, ut addiſcimus ex* Leone Africano l.8.c.25.

Religionem illam reformatam] *Nempe illam, quæ tempore Eliſabethæ in Anglia reſtabilita fuit, de quo vide Cambdenum* lib.1. Hiſtor. Eliſabeth.

Præter nomen nihil displicet] *Proteſtantes aut Calviniani appellantur, quod illi displicet, quia Apoſtolus corripit Corinthios, quod alius diceret*; Ego ſum Pauli; alius ego ſum Apollinis; alius, ego Cephæ &c. *Vid.* 1.*Cor.*1,12.

Fidem illam profiteor] *Eiusmodi fidem ſe profiteri gloriabatur Eccleſia Anglia.*

Siniſtris Principum conſiliis] *Qui nimia liberalitate Clerum corruperunt.*

Epiſcoporum ambitione & avaritia] *Hæc miſerè noſtram Europam concuſſerunt atq; afflixerunt: hoc eſt, cur tot ac tanti novi fidei articuli facti ſint. Hinc illud*: Pontifex eſt infallibilis: Eccleſia Romana eſt omnium Eccleſiarum Domina: Pontifici omnes Principes ſubeſſe debent: *ut docet* c. Vnam ſanctam extrav. commun. de maior. & obedient. & *Suarez.* defenſ. fidei contra ſect. Anglic.

Fatali temporum corruptione] *Vide de hoc & ejus remedio Machiavell.* lib.3. ſupr. Liv. diſc.1.

Eorum qui hoc opus moliti ſunt humilis & abiecta conditio] *In rebus difficilimus utitur Deus eiusmodi hominibus abiectis & nulla auctoritate præditis, ut animadvertamus Providentiam eſſe, huncque mundum non fortè aut caſu, ſed ipſo numine regi. Quid erant ipſi Apoſtoli Chriſti? tenuis ſane conditionis homines: eapro-*

pter S. Paulus dicit, Deum per stultos sermones velle homines salvos reddere. Nescio cur Pontificii ita hanc ob causam se ventosos praebeant, ac primos reformationis auctores despiciant: cogitare deberent, eundem Deum, qui per Samsonem maxilla asini mille Philistaeos trucidari voluit, Iudic. 15. *nunc humili monacho ad deprimendum saevum illorum dominatum, usum fuisse. Senec.* in Herc. Fur.

Dominare tumidus, spiritus altos gere;
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Nonnunquam etiam plebeiae atq; infimae conditionis homines ad summam Pontificatus dignitatem evenisse docet historia; non video ergò, cur ita in nos invehantur.

Sect. III.

NEc tamen in vecordem illum pertinacium hominum gregem memet adjungo, qui labefactatum navigium malunt fortunæ committere, † quam in navale de integro resarciendum deducere; † qui malunt omnia promiscuè retinere, quam quicquam inde diminuere, & pertinaciter esse, qui sunt, quam qui olim fuerunt, ita † ut iisdem ex Diametro repugnent. † Ab illis, † non contra illos, Reformationem instituimus, omissis enim convitiis illis, & verborum contumeliis, quæ quidem affectus & stomachum inter nos discernunt, non causam; Idem utrisque nomen est, † eadem fides, † idem necessarium principiorum systema nobis cum illis commu-

ne.

ne. Mihi itaque religio non eſt, † eorum familiaritate & conſuetudine uti, † illorum Eccleſias adire, quoties noſtræ præſto non ſunt, adeoque una, aut cum illis aut pro illis vota facere. Ex innumeris iſtis ſacræ paginæ locis, quibus Populo Iſraëlitico edicitur, ne ſe Idolorum templis polluat, nullam adhuc † ſatis validam conſequentiam deductam vidi: Chriſtiani enim omnes ſumus, nec ejusmodi aliqua execranda impietate disjuncti, quæ aut preces noſtras, aut locum in quo factæ ſunt contaminare valeat, aut quæ efficere poſſit, ut animus ſibi conſtans reique tenax creatorem ſuum vel ubivis gentium adorare nequeat, nedum in locis iſtis † qui cultui eius dedicati ſunt; in quibus ſi cultus, quem hi præſtiterint, Divinum animum offenſiorem reddat, meus forte placaturus eſt: ſi ille locum prophanet, fieri poteſt, ut meus expiet. † Aqua Luſtralis, & Crucifixa, (res vulgo formidabiles) nec judicio meo imponunt, néc Religionem pervertunt. Ad ſuperſtitionem (quam vocat zelus mendoſus) procliviorem me eſſe fateor. Vita ſane & converſatione ſeverus ſum, moribus triſtis, aliquando etiam moroſior, † in ſacris vero, & genu, & pilei, & manus urbanitas placet, una cum reliquis omnibus geſtibus, qui pietatem internam aut exprimant, aut adaugeant. Proprium mihi

brachium citius, † quam ædem ſacram violaturus ſum, quam Sancti alicujus aut martyris monumentum deiecturus. † Ad Crucis, ut Crucifixæ conſpectum à pileo facile temperare poſſum, nec tamen ſic quin mihi Servatör meus animum ſubèat. † Nec inutiles religiosè peregrinantium labores ridere poſſum, † nec miſerandam Monachorum conditionem contemnere: Licet enim in his quædam præpoſtere fiant, aliquid tamen in ſe pietatis habent. * Nolam Ave-Marianam nunquam niſi levato ad cœlum animo audire poſſum; nec mihi perſuadere, ideo quia iſti in una circumſtantia erraverint, mihi licere in omnibus ceſſare, ſtupido nimirum ſilentiö, & contemptu. Quem itaque illi cultum huic exhibuerunt, ego Deo, cultusque ejus errorem precibus meis rite inſtitutis correxi. In proceſſione ſolemni quandoque abundantius flevi, cum qui forte una aderant contradicendi ſtudio & præiudicio cæci immodico riſu diffluerent. Sunt procul dubio & † in Græcis, & Romanis, & Africis Eccleſiis ritus quidam & ceremoniæ, queis qui zelo ſaniori ſunt, rectè & Chriſtianè uti ſciunt, quæ tamen nos improbamus, non quidem tanquam in ſe mala, ſed quod vulgus homi-

* *Quâ ad horas 6. & 12. ſingulis diebus pulſatâ monetur unusquisque ſive domi, ſive foris in plateis fuerit, ut ad precandum ſe conferat, quæ preces vulgo ad Mariam Virginem diriguntur.*

hominum, quod quasi limis intuetur veritatis faciem, levesque & instabiles animos, qui non ita angustum recti tramitem servare norunt, quin huc illuc in extrema vagabundi ferantur, illecebris suis in superstitionem pertrahant.

ANNOTATA
Ad Sect. III.

Quam in navale de integro resarciendum] *Christus dilectionem ac pacem suis seriò mandavit* Ioh. 13. v.34. Ioh.14. v.27. Ioh. 15.v.12. *Laude ideo digni sunt, qui honestæ & Dei gloriæ haud deroganti paci inter Christianos restabiliendæ aut student, aut ad minimum odia diminuere enituntur. Sed, ut verum fatear, parum spei ad concordiam superesse videtur: Pontificij enim omnia sua dogmata, etiam illa, quæ nostri aut contra veritatem manifestè pugnare, aut nimis periculosa esse, aut apud veteres non pro articulis fidei fuisse admissa docent, non solum retinere volunt, sed & nostram Ecclesiam, & omnes alias antiquiores Ecclesias à se dissentientes, aut anathemate feriunt, aut pro schismaticis habent. Antiquissima tamen Ecclesia anathematis voce parcissimè usa est.* vide 1.Cor. 16. & Gal. 1.

Qui malunt omnia promiscuè retinere] *Quid superbius fingi potest, quam credere solùm unam Ecclesiam omni errore, etiam levissimo & haud fundamentali, esse immunem, cæteras ad unam in omnibus omnes cæcutire? Ab eiusmodi φιλαυτία nostra etiam Ecclesia longissimè abest.*

Vt iisdem ex Diametro repugnent] *Ideò B. Lutherus frequenter corripit Anabaptistas &*

alios, quod odio in Pontificem omnia etiam bona Ecclesiæ Romanæ dogmata abiiciant.

Ab illis] *Hoc est nostri maiores vel propter illos, vel per illos, reformationem instituerunt; quia ab illis acceperunt SS. Codicem, Historiam Ecclesiasticam, & concilia, quorum lectio nos veritatem docet, & primum Lutheri oculos ad videndum gravissimos, propter privatum commodum introductos, abusus aperuit. Vnde Lutherus* Tom. 2, Germ. Wittemb. in libro ad duos Monachos fol. 230. & Tom. 4. Germ. Ien. fol. 329. Nos fatemur in Papatu multa esse bona Christiana, imo omne bonum Christianum, atque inde etiam ad nos profluxisse Sacramentum altaris, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum Catechismum. & T. 4. Germ. Wittemb. in comm. Ioh. fol. 227. & Tom. 7. Ien. fol. 169. Nos cogimur hoc Papistis largiri quod verum est, in Papatu esse Dei verbum, nosq; S. Scripturam ab illis accepisse, alioquin quid nos de illa sciremus. Wir müssen ihnen einräumen daß wahr ist / im Papstumb ist Gottes wort / Apostelamt / und wir die heilige Schrifft / Tauf / Sacrament und Predigstuhl von ihnen genommen haben / was wüßten wir sonsten davon ? *Eapropter solum summa cum modestia petiit, ut abusus illi etiam in fidem irrepentes, & qui sine certa auctoritate in Ecclesias irrepserant, abrogarentur. Ideo in* artic. 21. August. Confess. *ita:* Hæc est summa doctrina apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est; Quod cum ita sit, inclementer judicant, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepserunt &c. *Sed quanquam graves abusus in Ec-*

in Ecclesiam essent invecti, ut etiam ipsi Pontificii scriptores, Guicciardin. l. 4. *Laurent. Sur.* in commentar. rerum ab orbe gestar. *& ipse Hadr. VI. in instructione quam dederat legato suo Cheregato, de quo vide Sleid.* l. 4. *fatentur; & quanquam Lutherus cum magna reverentia tolli hos peteret,* Tom. 5. Lat. in comm. Galat. 2. fol. 299. *dicit,* Papam venerari & personam eius colere velim, si relinqueret mihi conscientiam liberam & me non cogeret contra Deum peccare; *& alibi:* Nihil fidei meæ nocet, si Pontificem honoro, meque ad eius pedes abiicio. modo mihi primam tabulam puram & liberam relinquat; *Ille tamen non solùm hoc non obtinuit, sed & insuper anathematis diram vocem contra se efferri sensit. Vide Sleidan* l. 3.

Non contra illos] *Id est, non contra illorum salutem sed pro illa, ut illi puritate dogmatum nostræ Ecclesiæ ac vitæ sanctitate visa abiuratis erroribus nobiscum coalescerent*

Eadem fides] *Pontificii admodum multos habent articulos fidei; multosq; novos Concilium Tridentinum fecit, quos nostri non admittunt. Vid. Chemnit.* Examen Concil. Trident.

Idem necessarium principiorum systema] *Admittunt quidem Pontificii cum nostris S. Scripturam pro principio, sed addunt traditiones &c. nostri nullum aliud quam Veteris & Novi Testamenti libros, verum proprium atque indubitatum principium esse demonstrant, & S. Antiquitatem imitantur. Cyrillus Hierosolymitan.* in quarta illuminator. Catechesi: Oportet, *inquit,* ne minimum quidem aliquid tradere de sanctis & divinis fidei mysteriis absque divinis scripturis: neque moveri probabilibus sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem hoc dicenti fidem adhibito, nisi accepta eorum, quæ ponuntur demonstratione è sacris petita scri-

ſcripturis. *Hinc Ambroſius* in libr. de Paradiſ. c 12. Videat, ubi vita ſit. Tanget denique divinarum vitalia lectionum, ut nullo pravo offendatur interprete.

Eorum familiaritate uti] *Sancti Patres etiam Ethnicorum familiaritate uſi ſunt, ut ſatis docent Epiſtolæ, quas ad ſe invicem ſcripſerunt. Vide Ferrarij* lib. de Veter. Eccleſ. Epiſtolis, impreſſum Mediolani.

Illorum Eccleſias adire, quoties noſtræ præſto non ſunt] *Sunt tamen multa in illorum Eccleſiis quæ admodum offendere nos poſſunt; præſertim cum cogimur contra conſcientiam aliquid facere, tamen in caſu neceſſitatis id permitti poteſt. Vide* l. 2. Reg. cap. 5. v. 18. *de Naamo: nec omnes ritus pro ſuperſtitioſis reputandi ſunt. Vide & Sleidan.* l. 7. *ubi prodit, Theologos Saxoniæ Electori dixiſſe, illi licere Cæſari ad miſſam adeſſe, quod ad ſuum officium non admiſſam eſſet evocatus. Vid. & Franc. Balduin.* l. 2. c. 6 de Conſcient. Caſ.

Satis validam conſequentiam vidi] *Patres tamen primæ Eccleſiæ cultum imaginum pro Idololatrico habuerunt. Vide* Iuſtini Martyris Apolog. Tertull. c. 5. in lib. de idololatr. *Epiphan.* in Epiſtola ad Ioann. Epiſcop. Hieroſolymitan. *Lactant.* l. 2. c. 19. *Auguſt.* l. 1. c. 34. de morib. Eccl. Cath.

Qui cultui eius dedicati ſunt] *Auguſtanæ Confeſſioni addicti in Germania multa templa cum Pontificiis habent communia, ita ut Pontificii peractis illorum ſacris, idem poſtea noſtris permittant.*

Aqua luſtralis] *Huius aquæ uſum introduxit Alexander I. Vide Platinam* in vita Alex. I. *De utilitate huius aquæ vide* de conſecrat. diſt. 3. c. aquam cum ſale.

In ſa-

In sacris & genu & pilei & manus urbanitas placet] *Vid.* Eph.3.v.14. 1.Tim.2.v.8. Matth.6. v.5. 1.Cor. 11.v.4. *His Ceremoniis etiam primi Christiani usi sunt, sed tamen non semper nec ubique eodem modo observatæ sunt. Placet mihi quod S. August.* in Epistola 118. ad Ianuar. *scribit:* alia, *inquit,* toto terrarum orbe observantur, quæ dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis; vel plenariis conciliis commendata, atque statuta retineri &c. *pergit,* alia per loca terrarum regionesq; variantur &c. *pergit,* totum hoc genus, *inquit,* liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit, Ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit, quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum.

Quam ædem sacram violaturus sum, quam sancti alicujus aut martyris monumentum deiecturus] *Violarunt sanè ades sacras, qui privata auctoritate in templa irruerunt, imagines & statuas fregerunt, atque illas exinde eiecerunt, monumenta sanctorum aut destruxerunt aut deiecerunt. Sed Angli, ante hoc deplorandum intestinum bellum, moderatè reformationem instituerant, nec imaginibus bellum indixerant. Quanquam Ecclesia Anglicana genua suos coram statuis flectere, aut imagunculas carbone in parietate delineatas adorare nolebat, tamen in eum finem, ut Laicis, id quod Clericis scriptura præstaret, eas è templis haud removerat. Id non esse impium docet Gregor. M.* lib. 9. Epist. 9. ad Sirenium Massiliens. tom. 3. *Sed statuas aut imagines adorare aut venerari, non solum mandato Dei, sed etiam prisca Ecclesia contrarium est. Iustinus Martyr vixit secundo seculo, & ita* in Apologia ad Antoninum Pium:

Sed neque victimis multis, nec florum sertis honoramus eos, quos homines effigurarunt, & in templis collocatos Deos nominarunt &c. *pergit:* Quod non solùm contra rationem fieri existimamus, sed cum Dei etiam contumelia, si illius, qui ineffabili gloria & forma præditus est, nomen rebus corruptibilibus & humani artificii indigis imponatur. *Tertullianus, qui eodem seculo vixit* in l. de idololatria *ita.* Ne feceris idolum *& coniungens*, neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, & quæ in terra & quæ in mari &c. *pergit,* omnia colit humanus error præter ipsum omnium conditorem. cap. 5. *iterum:* ait quidam, *inquit*, cur ergo Moses in eremo simulachrum serpentis ex ære fecit, (*explicat ibi causam huius ac tandem dicit*) Bene quod idem Deus & lege vetuit similitudinem fieri, & extraordinario præcepto serpentis similitudinem interdixit, si eundem Deum observas, habes legem eius ne feceris similitudinem : Si & præceptum factæ postea similitudinis respicit : & tu imitare Mosen, ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit *Lactant. qui seculo tertio vixit,* l. 2. c. 19. Deus in summa regione quærendus est, quare dubium non est, quin religio nulla sit, ubicunque est simulachrum. *Clemens Alexandr. eodem seculo docuit,* in libro ad gentes *ita:* Pulchrum est ebur, sed nondum est Olympus. Materia semper arte indiget. Deus nullius indigus. Præcessit ars, adiecta est figura. Materia & essentiæ opus ad luxum quidem deducunt. Sola autem sunt figura veneranda. Aurum est tua statua, est lignum, est lapis, est terra, quæ si initio consideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare &c. *Paulò post dicit:* Vos vel simiis evadetis deteriores, dum lapideis & ligneis, & aureis, & eburneis imagunculis, & picturis

ctuis animum adhibetis. *Epiphanius qui docuit seculo quarto in Epistola, ad* Ioann. Episcopum Hierosolymitanum. Cum vidissem, *inquit*, in Ecclesia Christi, contra auctoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis consilium dedi custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent atque efferent &c. *& iterum dicit:* Deinceps præcepi in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. *Idem reprehendit Augustinus* l. 1. c 34. de morib. Eccl Cathol. *Idem Hieronymus, qui docuit seculo quarto, facit* in Danielis tertium caput. Cum tamen imagines aut simulachra (*simulachra solum Hebræis fuisse interdicta asserit HugoGrotius* in consultationem G. Cassandri, *quem tamen Andreas Rivetus* in animadversionibus *satis solidè refutat*) non ad cultum prostent, sed solum in eum finem ut templum ornatius reddatur, ac simul inde Martyrum ac Sanctorum res gestas in memoriam revocemus, à charitate alienissimum erit, propterea turbas movere, infirmisq; offendiculum præbere. *Eapropter Tertullian.* l. 2. contra Marcionem c. 22. Cherubim & Seraphim aurea, *inquit*, figuratum exemplum certè simplex ornamentum, accommodata suggestui longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. *Vnde & Rabbi Moses Maimonides solum lucum (qui ut & simulachra legibus prohibitus) cultus causa plantatum, legibus Mosis prohiberi dicit. Vide librum eius* de idololatr. c 8. § 5 secundum interpretationem Dionysii Vossii.

Ad Crucis aut Crucifixæ conspectum] *Signo Crucis Veteres Christiani frequentissimè usi sunt,*

Sed neque victimis multis, nec florum sertis honoramus eos, quos homines effigurarunt, & in templis collocatos Deos nominarunt &c. *pergit:* Quod non solùm contra rationem fieri existimamus, sed cum Dei etiam contumelia, si illius, qui ineffabili gloria & forma præditus est, nomen rebus corruptibilibus & humani artificii indigis imponatur. *Tertullianus, qui eodem seculo vixit* in l. de idololatria *ita:* Ne feceris idolum *& coniungens*, neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, & quæ in terra & quæ in mari &c. *pergit*, omnia colit humanus error præter ipsum omnium conditorem. cap. 5. *iterum:* ait quidam, *inquit*, cur ergo Moses in eremo simulachrum serpentis ex ære fecit, (*explicat ibi causam huius ac tandem dicit*) Bene quod idem Deus & lege vetuit similitudinem fieri, & extraordinario præcepto serpentis similitudinem interdixit, si eundem Deum observas, habes legem eius ne feceris similitudinem: Si & præceptum factæ postea similitudinis respicit: & tu imitare Mosen, ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit *Lactant.* *qui seculo tertio vixit*, l. 2. c. 19. Deus in summa regione quærendus est, quare dubium non est, quin religio nulla sit, ubicunque est simulachrum, *Clemens Alexandr. eodem seculo docuit*, in libro ad gentes *ita:* Pulchrum est ebur, sed nondum est Olympus. Materia semper arte indiget. Deus nullius indigus. Præcessit ars, adiecta est figura. Materia & essentiæ opus ad luxum quidem deducunt. Sola autem sunt figura veneranda. Aurum est tua statua, est lignum, est lapis, est terra, quæ si initio consideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare &c. *Paulò post dicit:* Vos vel simiis evadetis deteriores, dum lapideis & ligneis, & aureis, & eburneis imagunculis, & pi-

cturis

ςturis animum adhibetis. *Epiphanius qui docuit seculo quarto in Epistola,* ad Joann. Episcopum Hierosolymitanum. Cum vidissem, *inquit,* in Ecclesia Christi, contra auctoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis consilium dedi custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent atque efferent &c. *& iterum dicit:* Deinceps præcepi in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. *Idem reprehendit Augustinus* l. 1. c. 34. de morib. Eccl. Cathol. *Idem Hieronymus, qui docuit seculo quarto, facit* in Danielis tertium caput. Cum tamen imagines aut simulachra (*simulachra solum Hebræis fuisse interdicta asserit HugoGrotius* in consultationem G. Cassandri, *quem tamen Andreas Rivetus* in animadversionibus *satis solide refutat*) non ad cultum prostent, sed solum in eum finem ut templum ornatius reddatur, ac simul inde Martyrum ac Sanctorum res gestas in memoriam revocemus, à charitate alienissimum erit, propterea turbas movere, infirmisq; offendiculum præbere. *Eapropter Tertullian.* l. 2. contra Marcionem c. 22. Cherubim & Seraphim aurea, *inquit,* figuratum exemplum certè simplex ornamentum, accommodata suggestui longè diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. *Vnde & Rabbi Moses Maimonides solum lucum (qui ut & simulachra legibus prohibitus) cultus causa plantatum, legibus Mosis prohiberi dicit. Vide librum eius* de idololatr. c. 8. § 5 secundum interpretationem Dionysii Vossii.

Ad Crucis aut Crucifixæ conspectum] *Signo Crucis veteres Christiani frequentissimè usi sunt,*

debere sapientiam habere innuit *etiam Apost.* Coloss.3.v.16. Pauci sint sermones, nec Deus indiget multiloquio, Matth. 6.v.6. 4. *Mendicitate sua aliis onerosi sunt & cum magna reliquorum mendicorum jactura; cum tamen nec Christum nec Apostolos mendicasse legamus; sed iis contenti vivebant, quæ sibi sponte in victum offerebantur. Vnde Augustin.* in libro de opere Monachorum c. 14. & 17. *Valdè otiosos Monachos reprehendit ac docet, Monachos nec orationibus nec psalmis excusari, quo minus labores manuum suarum manducent, quia labor est præcepti & necessitatis, monastica vita arbitrii ac libertatis. Paulus laborabat ne alicui molestus esset.* 5. *Credunt in votis suis perfectionem, cum tamen id quod jussi sunt omittunt, & id quod faciunt sine mandato faciunt. Eleganter Senec.* in Epist. 5. *suo tempore Philosoph. Ethnicos monuit, ne in habitu aut genere vitæ notabilia facerent, quia hæcce solum ad conspectum servirent:* Asperum cultum, *inquit*, & intonsum caput, & negligentiorem barbam & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, evita. & *iterum*: Hoc contra naturam est torquere corpus suum, & faciles odisse munditias & squallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti, sed etiam tetris & horridis. 6. *Illorum numerus magno Reipublicæ atq; Ecclesiæ damno nimium accrevit.*

Nolam Ave Marianam] *Sic nostri adhuc rectè ejusmodi consuetudine, ut preces faciendas moneamur, utuntur.*

In processione] *Vtuntur Pontificii, ut & Græci ejusmodi processionibus non solùm festis, sed frequenter etiam aliis diebus, & putant se hoc ipso facilè, id quod expetunt, à Deo posse impetrare. Ritus processionum, quia noti sunt, describere nolo.*

In Græ-

In Græcis & Romanis & Africis] *Liberos ritus nostra Ecclesia non damnat, sed eos servari propter Charitatem & tranquillitatem imperat. Vid. Artic. August. Confess.* De potestate Ecclesiast. *Vid. quid in his agendum sit Christiano, apud August.* in supr. alleg. Epistolâ ad Ianuar.

Sect. IV.

VArii fuere reformatores, varia itidem reformationum genera: Quas gentes singulæ ratione quadam propria & peculiari, prout cuiusque commodum locique genius ferebat, administrarunt: † aliæ quidem morosè & severè, aliæ vero tranquille & moderatè, † non vi distrahentes, sed placide dividentes rem communem, † relicta interim honesta quadam reconciliationis possibilitate, quam animi pacis studiosi desiderant, † nec prorsus desperant aliquando cum tempore & bono Deo effectum iri: Quanquam si quis extremorum antipathiam, affectuumque & opinionum contrarietatem animo reputat, eadem prope spe Polorum cœlestium unionem expectare poterit.

ANNOTATA Ad Sect. IV.

Aliæ quidem morosè & severè) *Reformatio in multis locis ut in Schotia ac Belgio. (de Schotia Vid. Cambden.* part. 1. Histor. Elisabethæ Reg. Angl. *ubi ministrorum importunitatem describit. Vid.*

Vid. ipsum Iacob. in institut. ad Principem Henricum filium suum. *de Belgio vid. Stradam.* l. 5. de Bello Belg. *de Gallia vid. eund.* l. 3. *& le Sieur d' Aubygné* dans sons histoire.) *non solum contra pontificios nimium morosè instituta est, sed & ipsi reformatores in partes iverunt, partim propter naturalem dissentiendi libidinem, partim, quia multi non satis subactis ingeniis, ad hoc negotium accesserunt. Inde illa Reformata Ecclesiæ scissura; indè hæc sequitur Calvinum, illa Lutherum. Tolerabilius id esset, modo odium illud, quo nos invicem prosequimur, non egrederetur limites Christianæ pietatis: modo æquo animo ferremus eorum, qui minus omnia intelligunt, & tamen parati sunt discere, imbecillitatem: modo daremus operam, ut sine jurgiis nobiscum coalescerent. hoc modo Pontificiis causa nos irridendi deficeret.*

Non vi distrahentes, sed placidè dividentes) *Vt Lutherani in Germania fecerunt, de quo vid.* Sleidan. & acta publica Hordlederi, *& Elisabetha in Anglia, Vid. Cambd.* in annal. rer. Anglic.

Relicta honesta quadam reconciliationis possibilitate) *Vt Lutherus fecit (ut videmus ex* Tom. 5. lat. in comment. Gal. 2. fol. 299.) *& Philippus Melanchton. Vid.* in Tom. 4. oper. suor. *consilium eius, quod de moderandis religionis controversiis ad Gallos scripsit.*

Nec prorsus desperant) *Forsan non esset desperandum, modò affectibus libero ac moderato animo ad veritatem vel indagandam vel explicandam accederetur; modo veritatem inventam amplecti omnes opera ducerent; modo imitarentur Apostolos, qui solum præcipiunt quod errantes cum mansuetudine debeant doceri & ordiri; modo observaremus illos modos, qui nobis in Rec. Imper.* Augustæ de anno 1555. *præscripti sunt;*

ſunt; quod nempe illa diſſidia debeant dirimi, durch deß General Concilii, national Verſamlung/ Colloquien und Reichshandlung / *modo Pontificii non ex omnibus, de quibus antea liberè diſputari potuit, articulos fidei feciſſent; modo non omnes ab illorum dogmatibus diſſentientes anathemate notaſſent, modo obſervarent id quod Auguſt.* in Epiſt. 162. ad Glorium, Eleuſium, Felicem Grammaticum, Donatiſtas, *ſcripſit, quod in Can. relatum eſt. Vid.* Cauſa 24. q. 3. c. 29. nempe quod illi, qui ſententiam ſuam quamvis falſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem lapſis parentibus acceperunt, nequaquam ſint inter hæreticos deputandi. *Idem Bartolomeus Spina Dominicanus Monachus* in libro de univerſali generis hum. corruptione, *ſcribit.* Materialiter, *inquit*, hæreticus non peccat moraliter, imò poteſt mereri, non quod falſum tenet, ſed quod putet id verum eſſe ac pium; nec poteſt obiici quod veritas ei declaratur: multi non intelligunt vim declarationum, non tenentur omnibus declamatoribus credere. *Idem cenſent ipſi Ieſuitæ & alii Pontificii, tamen nos ut hæreticos perſequuntur: modo Pontificii vi abſtinerent, & vel illud Ambroſii in illud* 2. Corinth. 1. Non dominamur fidei veſtræ, *obſervarent:* quoniam, *inquit S. Ambroſ.* fides non neceſſitatis ſed voluntatis res eſt, ideò non dominemur fidei veſtræ; *vel illud quod Hilarius* in libro adverſus Auxentium *docet, cum valdè invehit in eos, qui vi homines ad obſequium Chriſti reducere tentabant,* v. ill. lib. *Etiamſi nos laboraremus nonnullis erroribus (quod tamen non concedimus nec probari poteſt) deberent tamen illi imitari* 1. *Chriſtum, qui Apoſtolis ſæpius mortem ſuam ac reſurrectionem prædicaverat, illos tamen id non credentes aut compre-*

bendentes (quia id haud malo animo fecerunt, sed solum pro data sibi fidei mensura crediderunt) non odio prosecutus est, nec à se ut impios aut infideles proiecit. 2. *Apostolos; quorum tempore erant quidam in fide infirmi, putantes se non posse sine observatione ciborum ac temporum discriminis salvos fieri; quanquam Servator noster docuisset* Matth. 15. *nullum cibum esse immundum; & Petrus* Actor. 15. *neqnaquam Christianos, adhuc legibus Moysis esse onerandos; & quanquam universo concilio visum fuisset gentiles conversos illis legibus haud debere subiici; dummodo abstinerent ab inquinamentis simulachrorum, & scortatione, & sanguine, & suffocato; secus credentes tamen è catalogo Christianorum haud expuncti fuere; sed ipse D. Paulus docet propter hanc illorum infirmam fidem, eos non minus ac firmiores in fide esse per Christum DEI filios. Vide* Roman. 14 & 15.

Quia nunc in hanc materiam incidi, & alibi de hoc tractare forsan non satis otii erit, per transcursum paucis animi mei sensa de Religionis dissidiis, & quid Christianus Princeps observare possit, exprimam.

Sunt Politici, qui censent, diversitatem Religionis Principi magis prodesse quam obesse: Illa enim impedit, ne subjecti concordes in illum conspirent, illumq; throno detrudere enitantur; Tali opinione Hugonota Galliæ Reges imbuere laborabant. Vide les memoires du *Duc de Rohan. Sed tristia illa intestina Germaniæ, Galliæ, bella ac nunc funestissimum Britanniæ spectaculum hoc politicorum placitum vanum ac ridiculum demonstrant. Nec verisimile est, Principem subditos habentem, quorum nonnulli opprimere alios student, nonnulli ne opprimantur continuo metu laborant, semperque ad defensionem attenti stant, domi ac belli celebritatem famæ adipisci posse.*

Semper

Semper intestinis malis conflictabitur. malus diuturnitatis custos est metus. Sed quid faciendum? Non uno eodemque modo contra hoc agendum est, nec omnes errantes eadem austeritate plectendi sunt. Vid. l.65. Cod. Theod. de Hæret. *Aliter principio morbi eum seducentibus ac contra fidei articulos docentibus; aliter eum novam opinionem, (quæ tamen articulos fidei non evertit) producentibus; aliter eum seductoribus turbas excitantibus, & contra civilem societatem molientibus; aliter eum seductis circa articulos fidei, aliter circa quæstiones juxta enatas errantibus; aliter tam cum seductoribus quam seductis, cum mala per longas jam invaluerint moras, agendum censeo. Largus se mihi de his differendi campus offert, sed scopus ad quem nunc tendo, id non permittit; pauca tamen attingam.*

De Seductore contra fidei articulos docente & principio morbi.

A*Lant ac foveant Principes nutritii Ecclesiæ* (Esa. 49. & 60.) *eruditione ac sanctitate vitæ præclaros Theologos, qui contra perversores divini verbi sint in excubiis. (Actor.* 20. *v.* 28.) *Cum Doctores Ecclesiæ muneris sui partes impleverint, tunc Princeps cui cura Ecclesiæ commissa est* (Esa. 60. Psalm. 37. v 11.) *variis modis & etiam severè cohibere potest, ne noceant, alios seducant aut turbent: hoc principi incumbere docent Theodosius ac Valentinianus Imperatores* in Constitutione græca quam Contius latinè *edidit: extat in* Cod. Iust. secundum edit Gothofredi l. 3. *decere.* de summa Trinit. & Fid. Cathol. *Quod principio morbi utiliter contra seductorem contra fidei articulos docentem, posse ac debere adhiberi puto: Quanquam adhuc seculo quarto Ecclesiæ Doctoribus ini-*

hendentes (quia id haud malo animo fecerunt, sed solum pro data sibi fidei mensura crediderunt) non odio prosecutus est, nec á se ut impios aut infideles proiecit, 2. *Apostolos; quorum tempore erant quidam in fide infirmi, putantes se non posse sine observatione ciborum ac temporum discriminis salvos fieri; quanquam Servator noster docuisset* Matth. 15. *nullum cibum esse immundum; & Petrus* Actor. 15. *neququam Christianos, adhuc legibus Moysis esse onerandos; & quanquam universo concilio visum fuisset gentiles conversos illis legibus haud debere subiici; dummodo abstinerent ab inquinamentis simulachrorum, & scortatione, & sanguine, & suffocato; secus credentes tamen è catalogo Christianorum haud expuncti fuere; sed ipse D. Paulus docet propter hanc illorum infirmam fidem, eos non minus ac firmiores in fide esse per Christum DEI filios. Vide* Roman. 14 & 15.

Quia nunc in hanc materiam incidi, & alibi de hoc tractare forsan non satis otii erit, per transcursum paucis animi mei sensa de Religionis dissidiis, & quid Christianus Princeps observare possit, exprimam.

Sunt Politici, qui censent, diversitatem Religionis Principi magis prodesse quam obesse: Illa enim impedit, ne subjecti concordes in illum conspirent, illumq; throno detrudere enitantur; Tali opinione Hugonota Galliæ Reges imbuere laborabant. Vide les memoires du *Duc de Rohan. Sed tristia illa intestina Germaniæ, Galliæ, bella ac nunc funestissimum Britanniæ spectaculum hoc politicorum placitum vanum ac ridiculum demonstrant. Nec verisimile est, Principem subditos habentem, quorum nonnulli opprimere alios student, nonnulli ne opprimantur continuo metu laborant, semperque ad defensionem attenti stant, domi ac belli celebritatem famæ adipisci posse.*

Semper

Semper intestinis malis conflictabitur. malus diuturnitatis custos est metus. Sed quid faciendum? Non uno eodemque modo contra hoc agendum est, nec omnes errantes eadem austeritate plectendi sunt. Vid. l. 65. Cod. Theod. de Hæret. *Aliter principio morbi cum seducentibus ac contra fidei articulos docentibus; aliter cum novam opinionem, (quæ tamen articulos fidei non evertit) producentibus; aliter cum seductoribus turbas excitantibus, & contra civilem societatem molientibus; aliter cum seductis circa articulos fidei, aliter circa quæstiones juxta enatas errantibus; aliter tam cum seductoribus quam seductis, cum mala per longas jam invaluerint moras, agendum censeo. Largus se mihi de his disserendi campus offert, sed scopus ad quem nunc tendo, id non permittit; pauca tamen attingam.*

De Seductore contra fidei articulos docente & principio morbi.

A*Lant ac foveant Principes nutritii Ecclesiæ* (Esa. 49. & 60.) *eruditione ac sanctitate vitæ præclaros Theologos, qui contra perversores divini verbi sint in excubiis. (Actor. 20. v. 28.) Cum Doctores Ecclesiæ muneris sui partes impleverint, tunc Princeps cui cura Ecclesiæ commissa est* (Esa. 60. Psalm. 37. v 11.) *variis modis & etiam severè cohibere potest, ne noceant, alios seducant aut turbent: hoc principi incumbere docent Theodosius ac Valentinianus Imperatores* in Constitutione græca quam Contius latinè *edidit: extat* in Cod. Iust. secundum edit Gothofredi l. 3. *decere.* de summa Trinit. & Fid. Cathol. *Quod principio morbi utiliter contra seductorem contra fidei articulos docentem, posse ac debere adhiberi puto: Quanquam adhuc seculo quarto Ecclesiæ Doctoribus ini-*

scripturis. *Hinc Ambrosius* in libr. de Paradis. c 12. Videat, ubi vita sit. Tanget denique divinarum vitalia lectionum, ut nullo pravo offendatur interprete.

Eorum familiaritate uti] *Sancti Patres etiam Ethnicorum familiaritate usi sunt, ut satis docent Epistolæ, quas ad se invicem scripserunt. Vide Ferrarij* lib. de Veter. Eccles. Epistolis, impressum Mediolani.

Illorum Ecclesias adire, quoties nostræ præsto non sunt] *Sunt tamen multa in illorum Ecclesiis quæ admodum offendere nos possunt; præsertim cum cogimur contra conscientiam aliquid facere, tamen in casu necessitatis id permitti potest. Vide* l. 2. Reg. cap. 5. v. 18. *de Naamo: nec omnes ritus pro superstitiosis reputandi sunt. Vide & Sleidan.* l. 7. *ubi prodit, Theologos Saxoniæ Electori dixisse, illi licere Cæsari ad missam adesse, quod ad suum officium non admissam esset evocatus. Vid. & Franc. Balduin.* l. 2. c 6 de Conscient. Cas.

Satis validam consequentiam vidi] *Patres tamen primæ Ecclesiæ cultum imaginum pro Idololatrico habuerunt. Vide* Iustini Martyris Apolog. Tertull. c. 5. in lib. de idololatr. *Epiphan.* in Epistola ad Ioann. Episcop. Hierosolymitan. *Lactant.* l. 2. c. 19. *August.* l. 1. c. 34. de morib. Eccl. Cath.

Qui cultui eius dedicati sunt] *Augustanæ Confessioni addicti in Germania multa templa cum Pontificiis habent communia, ita ut Pontificii peractis illorum sacris, idem postea nostris permittant.*

Aqua lustralis] *Huius aquæ usum introduxit Alexander I. Vide Platinam* in vita Alex. I. *De utilitate huius aquæ vide* de consecrat. dist. 3. c. aquam cum sale.

In fa-

In ſacris & genu & pilei & manus urbanitas placet] *Vid.* Eph.3.v.14. 1.Tim.2.v.8. Matth.6.v.5. 1.Cor.11.v.4. *His Ceremoniis etiam primi Chriſtiani uſi ſunt, ſed tamen non ſemper nec ubique eodem modo obſervata ſunt. Placet mihi quod S. Auguſt.* in Epiſtola 118. ad Ianuar. *ſcribit*: alia, *inquit*, toto terrarum orbe obſervantur, quæ dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis; vel plenariis conciliis commendata, atque ſtatuta retineri &c. *pergit*, alia per loca terrarum regionesq; variantur &c. *pergit*, totum hoc genus, *inquit*, liberas habet obſervationes, nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit, Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit, quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum.

Quam ædem ſacram violaturus ſum, quam ſancti alicujus aut martyris monumentum deiecturus] *Violarunt ſanè ædes ſacras, qui privata auctoritate in tem:la irruerunt, imagines & ſtatuas fregerunt, atque illas exinde eiecerunt, monumenta ſanctorum aut deſtruxerunt aut deiecerunt. Sed Angli, ante hoc deplorandum inteſtinum bellum, moderatè reformationem inſtituerant, nec imaginibus bellum indixerant. Quanquam Eccleſia Anglicana genua ſuos coram ſtatuis flectere, aut imagunculas carbone in parietate delineatas adorare nolebat, tamen in eum finem, ut Laicis, id quod Clericis ſcriptura præſtaret, eas è templis haud removerat. Id non eſſe impium docet Gregor. M.* lib. 9. Epiſt. 9. ad Sirenium Maſſilienſ. tom. 3. *Sed ſtatuas aut imagines adorare aut venerari, non ſolum mandata Dei, ſed etiam priſcæ Eccleſiæ contrarium eſt. Iuſtinus Martyr vixit ſecundo ſeculo, & ita* in Apologia ad Antoninum Pium:

Sed

Sed neque victimis multis, nec florum sertis honoramus eos, quos homines effigurarunt, & in templis collocatos Deos nominarunt &c. *pergit*: Quod non solùm contra rationem fieri existimamus, sed cum Dei etiam contumelia, si illius, qui ineffabili gloria & forma praeditus est, nomen rebus corruptibilibus & humani artificii indigis imponatur. *Tertullianus, qui eodem seculo vixit* in l. de idololatria *ita*: Ne feceris idolum *& coniungens*, neque similitudinem eorum quae in coelo sunt, & quae in terra & quae in mari &c. *pergit*, omnia colit humanus error praeter ipsum omnium conditorem. cap. 5. *iterum*: ait quidam, *inquit*, cur ergo Moses in eremo simulachrum serpentis ex aere fecit, (*explicat ibi caussam huius ac tandem dicit*) Bene quod idem Deus & lege vetuit similitudinem fieri, & extraordinario praecepto serpentis similitudinem interdixit, si eundem Deum observas, habes legem eius ne feceris similitudinem: Si & praeceptum factae postea similitudinis respicit: & tu imitare Mosen, ne facias adversus legem simulachrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit *Lactant. qui seculo tertio vixit*, l. 2. c. 19. Deus in summa regione quaerendus est, quare dubium non est, quin religio nulla sit, ubicunque est simulachrum, *Clemens Alexandr. eodem seculo docuit*, in libro ad gentes *ita*: Pulchrum est ebur, sed nondum est Olympus. Materia semper arte indiget. Deus nullius indigus. Praecessit ars, adiecta est figura. Materia & essentiae opus ad luxum quidem deducunt. Sola autem sunt figura veneranda. Aurum est tua statua, est lignum, est lapis, est terra, quae si initio consideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare &c. *Paulò post dicit*: Vos vel simiis evadetis deteriores, dum lapideis & ligneis, & aureis, & eburneis imaguncul is, & pi-

ctuis

ſturis animum adhibetis. *Epiphanius qui docuit ſeculo quarto in Epiſtola*, ad Ioann. Epiſcopum Hieroſolymitanum. Cum vidiſſem, *inquit*, in Eccleſia Chriſti, contra auctoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud, & magis conſilium dedi cuſtodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent atque efferent &c. *& iterum dicit:* Deinceps præcepi in Eccleſia Chriſti ejuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi. *Idem reprehendit Auguſtinus* l.1.c 34. de morib. Eccl Cathol. *Idem Hieronymus, qui docuit ſeculo quarto, facit* in Danielis tertium caput. Cum tamen imagines aut ſimulachra (*ſimulachra ſolum Hebræis fuiſſe interdicta aſſerit HugoGrotius* in conſultationem G. Caſſandri, *quem tamen Andreas Rivetus* in animadverſionibus *ſatis ſolide refutat*) non ad cultum proſtent, ſed ſolum in eum finem ut templum ornatius reddatur, ac ſimul inde Martyrum ac Sanctorum res geſtas in memoriam revocemus, à charitate alieniſſimum erit, propterea turbas movere, infirmisq; offendiculum præbere. *Ea propter Tertullian.* l.2. contra Marcionem c. 22. Cherubim & Seraphim aurea, *inquit*, figuratum exemplum certè ſimplex ornamentum, accommodata ſuggeſtui longè diverſas habendo cauſas ab idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur. *Vnde & Rabbi Moſes Maimonides ſolum lucum (qui ut & ſimulachra legibus prohibitus) cultus cauſa plantatum, legibus Moſis prohiberi dicit. Vide librum eius* de idololatr. c 8. §. 5 ſecundum interpretationem Dionyſii Voſſii.

Ad Crucis aut Crucifixæ conſpectum] *Signo Crucis Veteres Chriſtiani frequentiſſimè uſi ſunt,*

sunt, ut per illud beneficia Christi, quæ nobis in cruce acquisivit, quotidiè in memoriam revocarent. Tertull. de coron. mil. c. 3. Ad omnem progressum & promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas & lumina, ad cubilia & sedilia, quæcunq; nos exercet conversatio, frontem crucis signaculo terimus. *Iulianus apud Cyrillum* l. 6. O miseri homines, cum serventur arma, quæ magnus dimisit Iupiter, h. e. pater Martis, pignore dato, non verbo sed re, quod civitatem nostram, perpetuo protecturus sit, cessatis adorare & colere, & interim crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pingentes. *Respondet impio Cyrillus egregiè, ac tandem concludit:* Salutare, *inquit*, lignum suadet, ut cogitemus, quemadmodum dicens Divinus Paulus, unus pro omnibus sit mortuus, ut qui vivant posthac non sibi vivant, sed ei qui pro illis mortuus est & resurrexit. *Describit Eusebius* in vita Constantini l. 2. c. 22. 24. & 31. *Effigiem crucis illius, quæ media die Constantino apparuit; scribitq;* ibidem, *sibi illam oculis contemplari contigisse, totamq; historiam sibi ab ipso Imperatore fuisse narratam: non tamen addit, Constantinum illud signum, quanquam illo ante armatos suos ac satellites collocato Maxentium vicit, adorasse. Vnde Minutius, Felix, qui seculo tertio scripsit,* in Dialogo octavo: Cruces nec colimus, nec optamus; *(Calixtus cum Elmenhorstio putat legendum,* oramus) vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes adoratis: Nam & signa ipsa & cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt & ornatæ?

Nec inutiles religiosè peregrinantium labores] *Quid tamen pietatis in se habeant non video, nisi forsan visis locis illis, quæ sancti calcarunt,*

tarunt, eorum piè res geſtas nobis ob oculos iterum ponamus. *Optimè Auguſtinus* Sermon. 2. de Verb. Apoſt. Veni ad Chriſtum, noli longa itinera meditari; ubi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui ubique eſt, amando venitur, non navigando. *Chryſoſt.* homil. 1. in Epiſt. ad Philem. Via, *inquit*, ſolutionis ſeu remiſſionis peccatorum non laboribus indiget, nec pecuniarum expenſa, ſeu alia aliqua re, ſed ſimpliciter tantum bono propoſito. Non opus peregrinationem ſuſcipere, nec ultramontana aut externa loca petere aut pericula adire & ſuſtinere.

Nec miſerandam monachorum conditionem contemnere, licet in his quædam præpoſtere fiant] *Eraſmus* in ſua Moria *illos propter multas rationes ſtrenuè [illegible]et: Inter illos tamen multi ſunt, qui bono fine ſ[illegible]li vitæ generi addixerunt, & ſi nunc Eccleſia Romana illis deſtituta eſſet, in peiori ſtatu verſaretur: nam hi fermè ſoli conſcientiarii & concionatores ſunt ſeculares ſacerdotes parùm de his rebus ſolliciti magis ventrem curant. Interim multa ſunt, quæ in vita monaſticâ improbari poſſunt.* 1. *multi huic vitæ inepti vi ac fraude à parentibus in monaſteria detruduntur, ut reliqui eorum filii dapſilius vivere poſſint.* 2. *Temerè aliquid vovent, quod ſervare haud poſſunt.* *Vid. Auguſt.* confeſſ. de ceremon. artic. 6. *Melius eſſet illud Cypriani obſervare.* Quod ſi ex fide, *inquit*, ſe Chriſto dicaverunt pudicè ac caſtè ſine ulla fabula perſeverent: ita fortes ac ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeverare nolunt aut non poſſunt, meliùs eſt nubant quam in ignem delictis ſuis cadant. 3. *Tenentur continuâ vociferatione Pſalmorum, ſæpius nec ab ipſis intellectorum, templa implere, cum tamen* nemo ſapienter quicquam faciat quod non intelligit. *Vid. Paul.* 1. Corinth. c. 14. v. 9. Pſalmodiam

debere sapientiam habere innuit *etiam Apost.* Coloss.3.v.16. Pauci sint sermones, nec Deus indiget multiloquio, Matth. 6.v.6. 4. *Mendicitate sua aliis onerosi sunt & cum magna reli quorum mendicorum jactura; cum tamen nec Christum nec Apostolos mendicasse legamus; sed iis contenti vivebant, quæ sibi sponte in fictum offerebantur. Unde Augustin.* in libro de opere Monachorum c. 14. & 17. *Valdè otiosos Monachos reprehendit ac docet, Monachos nec orationibus nec psalmis excusari, quo minus labores manuum suarum manducent, quia labor est præcepti & necessitatis, monastica vita arbitrii ac libertatis. Paulus laborabat ne alicui molestus esset.* 5. *Credunt in votis suis perfectionem, cum tamen id quod jussi sunt omittunt, & id quod faciunt sine mandato faciunt. Eleganter Senec.* in Epist. 5. *suo tempore Philosoph. Ethnicos monuit, ne in habitu aut genere vitæ notabilia facerent, quia hæcce solum ad conspectum servirent:* Asperum cultum, *inquit*, & intonsum caput, & negligentiorem barbam & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, evita. *& iterum*: Hoc contra naturam est torquere corpus suum, & faciles odisse munditias & squallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti, sed etiam tetris & horridis. 6. *Illorum numerus magno Reipublicæ atq; Ecclesiæ damno nimium accrevit.*

Nolam Ave Marianam] *Sic nostri adhuc rectè eiusmodi consuetudine, ut preces faciendas moneamur, utuntur.*

In processione] *Vtuntur Pontificii, ut & Græci eiusmodi processionibus non solùm festis, sed frequenter etiam aliis diebus, & putant se hoc ipso facilè, id quod expetunt, à Deo posse impetrare. Ritus processionum, quia noti sunt, describere nolo.*

In Gra-

In Græcis & Romanis & Africis] *Liberos ritus nostra Ecclesia non damnat, sed eos servari propter Charitatem & tranquillitatem imperat. Vid. Artic. August. Confess.* De potestate Ecclesiast. *Vid. quid in his agendum sit Christiano, apud August.* in supr. alleg. Epistolâ ad Ianuar.

Sect. IV.

VArii fuere reformatores, varia itidem reformationum genera: Quas gentes singulæ ratione quadam propria & peculiari, prout cuiusque commodum locique genius ferebat, administrarunt: † aliæ quidem morosè & severè, aliæ vero tranquille & moderatè, † non vi distrahentes, sed placide dividentes rem communem, † relicta interim honesta quadam reconciliationis possibilitate, quàm animi pacis studiosi desiderant, † nec prorsus desperant aliquando cum tempore & bono Deo effectum iri: Quanquam si quis extremorum antipathiam, affectuumque & opinionum contrarietatem animo reputat, eadem prope spe Polorum cœlestium unionem expectare poterit.

ANNOTATA Ad Sect. IV.

Aliæ quidem morosè & severè) *Reformatio in multis locis ut in Schotia ac Belgio. (de Schotia Vid. Cambden.* part. I. Histor. Elisabethæ Reg. Angl. *ubi ministrorum importunitatem describit.*

Vid. ipsum Iacob. in institut. ad Principem Henricum filium suum. *de Belgio Vid. Stradam.* l. 5. de Bello Belg. *de Gallia Vid. eund.* l. 3. *& le Sieur d'Aubygné* dans sons histoire.) *non solum contra pontificios nimium morosè instituta est, sed & ipsi reformatores in partes iverunt, partim propter naturalem dissentiendi libidinem, partim, quia multi non satis subactis ingeniis, ad hoc negotium accesserunt. Inde illa Reformatæ Ecclesiæ scissura; indè hæc sequitur Calvinum, illa Lutherum. Tolerabilius id esset, modo odium illud, quo nos invicem prosequimur, non egrederetur limites Christianæ pietatis: modo æquo animo ferremus eorum, qui minus omnia intelligunt, & tamen parati sunt discere, imbecillitatem: modo daremus operam, ut sine jurgiis nobiscum coalescerent. hoc modo Pontificiis causa nos irridendi deficeret.*

Non vi distrahentes, sed placidè dividentes) *Vt Lutherani in Germania fecerunt, de quo vid.* Sleidan. & acta publica Hordlederi, *& Elisabetha in Anglia, Vid. Cambd.* in annal. rer. Anglic.

Relicta honesta quadam reconciliationis possibilitate) *Vt Lutherus fecit (ut videmus ex* Tom. 5. lat. in comment. Gal. 2. fol. 299.) *& Philippus Melanchton. Vid.* in Tom. 4. oper. suor. *consilium eius, quod de moderandis religionis controversiis ad Gallos scripsit.*

Nec prorsus desperant) *Forsan non esset desperandum, modò affectibus libero ac moderato animo ad veritatem vel indagandam vel explicandam accederetur; modo veritatem inventam amplecti omnes operæ ducerent; modo imitarentur Apostolos, qui solum præcipiunt quod errantes cum mansuetudine debeant doceri & ordiri; modo observaremus illos modos, qui nobis in Rec. Imper.* Augustæ de anno 1555. *præscripti sunt;*

ſunt; *quod nempe illa diſſidia debeant dirimi*, durch deß General Concilii, national Verſamlung/ Colloquien und Reichshandlung / *modo Pontificii non ex omnibus, de quibus antea liberè diſputari potuit, articulos fidei feciſſent*; *modo non omnes ab illorum dogmatibus diſſentientes anathemate notaſſent, modo obſervarent id quod Auguſt.* in Epiſt. 162. ad Glorium, Eleuſium, Felicem Grammaticum, Donatiſtas, *ſcripſit, quod in Can. relatum eſt. Vid.* Cauſa 24. q. 3. c. 29. nempe quod illi, qui ſententiam ſuam quamvis falſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem lapſis parentibus acceperunt, nequaquam ſint inter hæreticos deputandi. *Idem Bartolomæus Spina Dominicanus Monachus* in libro de univerſali generis hum. corruptione, *ſcribit*. Materialiter, *inquit*, hæreticus non peccat moraliter, imò poteſt mereri, non quod falſum tenet, ſed quod putet id verum eſſe ac pium; nec poteſt obiici quod veritas ei declaratur: multi non intelligunt vim declarationum, non tenentur omnibus declamatoribus credere. *Idem cenſent ipſi Ieſuitæ & alii Pontificii, tamen nos ut hæreticos perſequuntur: modo Pontificii vi abſtinerent, & vel illud Ambroſii in illud* 2. Corinth. 1. Non dominamur fidei veſtræ, *obſervarent: quoniam, inquit S. Ambroſ.* fides non neceſſitatis ſed voluntatis res eſt, ideò non dominemur fidei veſtræ; *vel illud quod Hilarius* in libro adverſus Auxentium *docet, cum valdè invehit in eos, qui vi homines ad obſequium Chriſti reducere tentabant*, v. ill. lib. *Etiamſi nos laboraremus nonnullis erroribus (quod tamen non concedimus nec probari poteſt) deberent tamen illi imitari* 1. *Chriſtum, qui Apoſtolis ſæpius mortem ſuam ac reſurrectionem prædicaverat, illos tamen id non credentes aut compre-*

hendentes (quia id haud malo animo fecerunt, sed solum pro data sibi fidei mensura crediderunt) non odio prosecutus est, nec á se ut impios aut infideles proiecit, 2. *Apostolos; quorum tempore erant quidam in fide infirmi, putantes se non posse sine observatione ciborum ac temporum discriminis salvos fieri; quanquam Servator noster docuisset* Matth. 15. *nullum cibum esse immundum;* & *Petrus* Actor. 15. *nequaquam Christianos, adhuc legibus Moysis esse onerandos;* & *quanquam universo concilio visum fuisset gentiles conversos illis legibus haud debere subiici; dummodo abstinerent ab inquinamentis simulachrorum,* & *scortatione,* & *sanguine,* & *suffocato; secus credentes tamen è catalogo Christianorum haud expuncti fuere; sed ipse D. Paulus docet propter hanc illorum infirmam fidem, eos non minus ac firmiores in fide esse per Christum DEI filios. Vide* Roman. 14 & 15.

Quia nunc in hanc materiam incidi, & *alibi de hoc tractare forsan non satis otii erit, per transcursum paucis animi mei sensa de Religionis dissidiis,* & *quid Christianus Princeps observare possit, exprimam.*

Sunt Politici, qui censent, diversitatem Religionis Principi magis prodesse quam obesse: Illa enim impedit, ne subjecti concordes in illum conspirent, illumq; throno detrudere enitantur; Tali opinione Hugonota Gallia Reges imbuere laborabant. Vide les memoires du *Duc de Rohan. Sed tristia illa intestina Germania, Gallia, bella ac nunc funestissimum Britannia spectaculum hoc politicorum placitum vanum ac ridiculum demonstrant. Nec verisimile est, Principem subditos habentem, quorum nonnulli opprimere alios student, nonnulli ne opprimantur continuo metu laborant, semperque ad defensionem attenti stant, domi ac belli celebritatem fama adipisci posse.*

Semper

Semper intestinis malis conflictabitur. malus diuturnitatis custos est metus. Sed quid faciendum? Non uno eodemque modo contra hoc agendum est, nec omnes errantes eadem austeritate plectendi sunt. Vid. l.65. Cod. Theod. de Hæret. *Aliter principio morbi cum seducentibus ac contra fidei articulos docentibus; aliter cum noVam opinionem, (quæ tamen articulos fidei non eVertit) producentibus; aliter cum seductoribus turbas excitantibus, & contra ciVilem societatem molientibus; aliter cum seductis circa articulos fidei, aliter circa quæstiones juxta enatas errantibus; aliter tam cum seductoribus quam seductis, cum mala per longas jam inValuerint moras, agendum censeo. Largus se mihi de his differendi campus offert, sed scopus ad quem nunc tendo, id non permittit; pauca tamen attingam.*

De Seductore contra fidei articulos docente & principio morbi.

ALant ac foVeant Principes nutritii Eclesiæ (Esa.49. & 60.) *eruditione ac sanctitate Vitæ præclaros Theologos, qui contra perVersores diVini Verbi sint in excubiis. (Actor.20. V.28.) Cum Doctores Ecclesiæ muneris sui partes impleVerint, tunc Princeps cui cura Ecclesiæ commissa est* (Esa.60. Psalm.37.v 11. *) Variis modis & etiam seVerè cohibere potest, ne noceant, alios seducant aut turbent: hoc principi incumbere docent Theodosius ac Valentinianus Imperatores* in Constitutione græca quam Contius latinè *edidit: extat* in Cod.Iust. secundum edit Gothofredi l. 3. *decere.* de summa Trinit. & Fid. Cathol. *Quod principio morbi utiliter contra seductorem contra fidei articulos docentem, posse ac debere adhiberi puto: Quanquam adhuc seculo quarto Ecclesiæ Doctoribus ini-*

quum videbatur, Principum operam adversus hæreticos implorare. Vid Hilar. in Libro adversus Auxent. Mediolanens. p.214. secundum edit. Erasmi Basileæ impress. *& primum Donatistarum insanabilis furor Augustinum ad hoc faciendum impulit. vid. Aug.* in Epist. 50. ad Bonifac. *&* in Epist.158. ad Marcellin. *tamen quia Principi externi cultus cura competit* (Deuteron. 17.) *statumque Reipublicæ nova religione mirè turbatur, hoc antidoto uti licet.*

De Seductore, novas opiniones producente.

CAveat Princeps, ne proferens novam quandam opinionem, quæ tamen non est contra fundamenta fidei, mox hæreseos condamnetur; neve ex illa opinione articulus fidei fiat; aut unus in alterum propter hoc iniquè invehatur; huic malo nullum salutarius remedium impositione silentii adhiberi posse, arbitrantur multi.

De Seductore turbas excitante.

SI aliquis ea docet, quibus, si fides iis adhiberetur, ipsa Republica summa periclitaretur: nimirum Magistratui haud esse obediendum; Leges civiles esse iniustas, seditiones posse excitari & alia id genus: ille ut nefarius quietis publicæ turbator potest puniri. In Cod. Theodos. quidem leges (quanquam contra hæreticos, & inprimis contra Priscillianistas, Frigas, Manichæos ac Nestorianos satis severa sint) pœnam contra pessimos hæreticos ultra bonorum publicationem vix extendunt. Vid. l.40. & l.ult. C.Th. de hæret. *Videmus tamen in Cod. Iust. propter certa crimina ad hæresin accedentia, aliasq; circumstantias, a quibusdam Imperato-*

peratoribus ultimi supplicii pœnam illis præscriptam esse, Vid. l. 2. C. Ne S. Bapt. iter. l. 14. C. de hæret. *Constit. græc.* Iustiniani ex Nomocan. tit. 12. cap. 2. *quæ in edit. Gothofredi est* L. 14. C. eod. *adde* Constit. Græc. *quæ secund. Gothofr est* l. 16. eod. *Augustinus quidem* in dicta Epistola 158. ad Marcell. *Donatistas etiam atrocia facinora confessos, citra tamen capitis supplicium puniri Vult; Sed quia Deus est auctor ordinis, ipseq; Leges sanxit, quibus crimina puniri debeant: & fermè nullum atrocius ac toti humanæ societati perniciosius crimen datur illo, quo fundamenta Reipubl. & consequenter totius humanæ felicitatis in hoc mundo destruuntur, Magistratus concessâ sibi à Deo potestate* (Roman. 13.) *æquissimè contra hos destructores uti potest. Si Imperatoribus Theodosio & Valentiano licitum fuit legem condere, quâ Manichæi, qui ad imam usq; scelerum nequitiam perVenerant, ultimo supplicio afficerentur*, Vid. C. l. 5. de hær. & Manich. *Cur non licitum esset Magistratui scelerum Vindici, & cui ciVilis beatitudinis cura demandata est, ultimo supplicio afficere manifestissimum publicæ salutis hostem? Nam in noVo Testamento nunquam legimus, hæreticos debere propter hæresin occidi, sed contra legimus, Magistratui gladium ad puniendum facinorosos esse datum. Hæc dicta sint de hæreticis Seductoribus ac seductis, qui ciVilem societatem subVertere nituntur.*

De Seductis circa articulos fidei errantibus.

NVnc de aliis seductis agendum est. Aut illi errant circa articulos fidei; aut circa quæstiones juxta enatas. Si errant circa articulos fidei quietè tamen ViVunt; nec opiniones foVent, quæ

civili societati adversantur, sedulò opera danda est a Christiano Principe, ut modis licitis & Christianis in veritatis tramitem reducantur. Idem Lutherus statuit Tom. 2. Germ. Wittenb. ad duos parochos de Anabapt. fol. 230. *Illud Augustini* Ep. 48. *observetur:* corrigi hæreticos debere non necari; *& illud quod alibi scribit:* neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum: *& illud Athanasii ad solitariam vitam agentes;* fides suadenda non cogenda. *Solum hæc spiritualia arma priorum quatuor seculorum orthodoxi Doctores contra hæreticos adhiberi voluerunt. Secundum monitum Apostoli: erudiantur in mansuetudine, si forte iis det Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, ut emergant è laqueo Diaboli.*

Cum mala jam invaluerint.

CVm jam hæresis adeo potens evaserit, ut periculum adsit, ne cum Zizaniis herba tritici evellatur, sedulò cavendum, ne vi aut metu ad res novas impellantur. Principes qui tunc vi illos reducere conantur, similes videntur Medicis illis, qui violentis ac periculosissimis medicamentis medicari morbis chronicis laborant. Omnibus principibus qui hoc tentarunt, infeliciter id evenit, Belgium, Germania, Britannia id docent. Magna Britanniæ Rex haud infami morte periisset, nisi pravis consiliis Archiepiscopi Cantuariensis aliorumque ductus, eosdem ritus, qui sunt in Ecclesia Anglicana, Ecclesiæ Scoticæ obtrudere tentasset. Abstinete ô Principes camarinam hanc movere. Arcanorum conscientiæ tribunalia introitum quidem Religionibus in Italiam & Hispaniam interdixere, sed si semel intrassent, atque ad quandam potentiam pervenissent, id non medicina, sed sævissimum venenum fuisset. Vnde Strada l. 2. de

Bello

Bello Belgico: Vna omnium maximè turbavit, concivitque Belgarum populos suspicio primum, deinde conatus inquisitionis adversus hæreses instituendæ. *Nullum mandatum Dei extat, quo principes hæreses vi extinguere obligentur; solum Deus sibi reservavit zizania à frumento discernere: unde ejusmodi conatum* c. 14 caus. 23. quæst. 4. *vocat* intolerabilem arrogantiæ tumorem, & humilitatis ac mansuetudinis oblivionem. *nam ejusmodi potestas futura esset in ipsam tritici, h. e. orthodoxorum destructionem. Cum autem hoc Principi haud à Deo commissum, stultitia ideò esset se totumq; statum suum, summo periculo exponere. Si non erratur circa ipsa salutis fundamenta optimum est, imò debet Princeps diversam religionem haud pro hæretica habere, sed omnibus persuadere, ut unusquisq; in utraque religione, quæ ibi viget, possit salvus fieri; Ipsi Pontif.* in Corp. Iur. Can. *aliquid simile permitti docent, vid. sæpè alleg. caus.* 24. *quæst.* 3. *c.* 28. & 29. *Idem Apostoli fecerunt, vid. quæ supra ex Roman.* 14. & 15. *dixi: Optimè Princeps sibi consuleret, si nulli tunc timendi oppressionem causam præberet. Feliciter tunc imitaretur Chinenses, de quibus Nicolaus Trigautius Pater è societate Iesu, scribit* l. 1. c. 10. apud eos esse tres sectas; primam esse literatorum quæ præ ceteris clara est; secundam appellari sciequia, quæ cum Pythagora transmigrationem animarum credit. Tertiam Lauzu, quæ inter reliqua inanium Deorum simulachra, cœli quoque Dominum colit, sed ei multa indigna affingit. *De his Sectis ita Trigaut.* Huius familiæ quæ nunc imperat, caput Humavus lege lata sanxit, ut tres illæ sectæ ad regni auxilium conservarentur, quod fecit, ut sectariorum omnium animos sibi conciliaret &c. *pergit Trig.* Hinc fit, *inquit*, ut nulla sectarum aliam extinguere meditetur: (*Felix Princeps esset si eadem*

lex ferretur atq; obserVaretur) Reges singulas sectas colunt, & eas adhibent ad res suas cum opus est, singulorum templa sæpè instaurant, nova erigunt. *Ioannes Leo* l.8.c.25. *tradit sequentia de Aegyptiis (usus sum editione Ioannis Floriani.)* Quatuor, *inquit*, Aegyptus & Alcairum sectas ab invicem tam in canonicis quam politicis rebus differentes fovet, tametsi ex Mahometano dogmate trahant principium. Quatuor enim quondam fuere eruditione ac doctrina præstantes viri, qui ingenii acumine modum invenerunt particularia determinandi sub universalibus à Mahomete descriptis. Horum singulo licuit Mahometanum dogma interpretari atque ad propria sensa pertrahere, quare opinionibus meritò inter se diffident, qui propter eorum Canones plurimum apud plebem existimationis nacti, initium quatuor prædictis sectis dedere: quarum unam quisque Mahumetanorum tuetur, quam postea deserere aliique insistere nequit, nisi vir fuerit doctrina cumprimis præcellens *&c. paulo post pergit.* Prædictarum sectarum Sacerdotes, cum in orandi norma velut & in aliis ab invicem differant, ob eam rituum discrepantiam mutuo se odio non prosequuntur, nec fovet inimicitias incondita vulgi multitudo: at homines scientia & ratione prediti, sæpe sermones inter se conferunt & privatis in rebus quisque, quam fovet sectam præstantiorem asserit, ita solidis quoque fundamentis confirmare audet, nemine 4. Doctores convitiis lacerare, gravissima mulcta constituta præsumente. *Hac Leo. Sed unde in Europa inter Christianos tot turbæ propter leVem sæpè discrepantiam excitantur? Ratio est, unaquæq; secta aliam in suas partes dolo ac Vi trahere inprimis studet, palamq; pronunciat à se diVersos cœlestes Vitæ haud participes fore. (Apostoli non tam redarguunt errores, quam eiusmodi mores. Vid.*

1. Cor-

1. Cor. 1. v. 10. Rom. 13. *jubet Paulus, ut ab ejusmodi hominibus declinemus) hinc odia, hinc rixæ, hinc tandem bella. Tolle flabra atq; incitamenta turbarum; Inhibe hominibus, ne ita in alios invehantur; & prohibe ne de Religione disputetur, nisi in tempore, nisi in loco, nisi placide, & huic malo medeberis.*

De leviter errantibus & circa quæstiones juxta enatas.

Sed solum tutè id (quod dixi) agere licet, cum quæstiones non ita ad salutem necessariæ, de quibus aliquis salvo fidei fundamento dissentire potest, dissidia excitant. Gravissimè errant Principes concedentes, ut ex privatis Doctorum opinionibus novi fidei articuli fiant; ipsi Apostoli non ita proni fuere ad aliquem hæreseos condemnandum, ut nunc sumus, quod patet ex iis quæ supra dixi. Hæc tamen condemnatio ac novorum fidei articulorum introductio multiplicat rixas, altercationes ac nostra tandem mala. Forsan tutissimum esset prohibere omnes disputationes, præscribere ut homines solo catechismo contenti, de aliis theologicis quæstionibus haud solliciti vivetent. Sed hoc remedio Princeps inter Barbaros, ut in Turcia ac Moscovia uti posset, in erudita vero nostra Europa inter Christianos, exceptis Moscovitis haud possibile.

Sect. V.

SEd ut propiori adhuc differentia secernar, circuloq; arctiori memet definiam: non alia est Ecclesia, quæ æque per omnia cum judicio meo quadrat, nec cuius articuli, constitutiones & consuetudines, æque rectæ rationi consentaneæ, æque ad pietatis meæ sensum accommodatæ videantur,

tur, ac ea, cuius fidei nomen dedi, Ecclesia Anglicana Cuius quidem fidei sacramentum dixi, adeoque & eius articulis subscribere, & constitutiones observare duplici nomine teneor. Alios articulos ut fide, aliasve constitutiones obedientia ut amplectar, nemo adduxerit: † His quæcunq; insuper tanquam adiaphora accesserint, ea ad judicii proprii præceptum, & pro privato pietatis meæ genio recipio, aut repudio: nec hoc crediturus quod † Lutherus affirmaverit, nec illud repudiaturus, quod improbaverit † Calvinus. Nec in universum displicet † Concilium Tridentinum, nec mihi in totum approbatur † Dordracensis Synodus. † Ecclesia deniq; mihi textus est, ubi silet scriptura; ubi ea loquitur, commentarius; ubi utraque in silentium consensit, nec † Roma, nec † Geneva mihi religionis canones præscribit, eos mihi à judicii mei dictamine peto. *Iniusto* opprobrio nos onerant adversarii nostri, ipsique turpi errore assentimur, religionis nostræ natales † ab Henrico Octavo computari. Is quidem Papam Romanum, non fidem eiecit; id quod maiores eius superioribus sæculis & voluerunt, & conati sunt; & nostra etiam memoria † Respublica Veneta, ut creditum est, efficere tentaverat. A charitate alienum est contumelias illas, & convitia † in Pontificem Romanum jacere; † cui

cui ſaltem, ut ſeculari principi verborum humanitatem debemus. Non deeſſe fateor, quod nobis ſtomachum moveat: Huius Decreto † excommunicatus ſum, hæreticusq; audio, nec me mitiori titulo dignatur; † Illi tamen Antichriſtum, hominem peccati, aut meretricem Babylonicam per opprobrium regeſſiſſe me nemo unquam audivit. † Charitatis eſt ſine reactione pati: Fieri poteſt, ut ſatyræ iſtæ, invectivæq; † ex ſuggeſto orationes apud vulgus aliquid valeant, cuius aures ad Rhetoricam arrectiores ſunt, quam Logicam: at quibus gravius eſt, & ſanius judicium, qui norunt cauſam juſtam temperata diſputatione defendi poſſe, nec ſtomachi patrocinio indigere, his inquam fidem neutiquam confirmare ſolent.

ANNOTATA
ad Sect. V.

Eccleſia Anglicana] *Quæ ſatis ante hanc nunquam auditam rebellionem bene ordinata erat; ſed nunc multitudine, varietate & confuſione ſectarum flagitioſiſſimarum ibi introducta, pietas atq; ordo omninò exulant ex Anglia.*

His quæcunque tanquam adiaphora acceſſerunt] *Ipſi Patres in prima Eccleſia de eiusmodi rebus, quæ haud articuli fidei ſunt, non ſemper conſentiunt. Vnde in Auguſt. noſtra confeſſione* artic. 21. *Nec canones quidem tam duri ſunt ut eosdem ritus ubiq; eſſe poſtulent: neq; ſimiles unquam omnium Eccleſiarum ritus fuerunt.*

Luthe-

Lutherus affirmaverit] *Lutherus initio non animadvertit omnes errores; quos postea magis magisq; inquirendo perspexit.* Tomo 4. Ienens. p.342. in visitat. Saxon. edita. Ann.1529. Wo schwache seynd/ die auß Blödigkeit und Furcht ihrer Gewissen nicht könten beyde gestalt emfangen/ die mag man lassen noch einerley gestalt noch ein zeitlang geniessen. *Tunc censuit institutionem sub utraq; non esse mandatum Dei, quo omnes de necessitate tenerentur communicare sub utraq;. Quod tamen vigore institutionis esse omnibus mandatum probat ex tota antiqnitate Doctissim. Calixtus* in disput. contra communionem sub una. *Statuit etiam Lutherus absolutum Dei decretum, quo aliquos necessario damnabiles facit.* Vid. Tom.2. edit. prim. Witteb. pag.467. *Quod tamen (ut nostri docent) postea retractavit.*

Calvinus] *Reiiciebat tamen Anglicana Ecclesia contra Calvinum absolutum Dei decretum.*

Concilium Tridentinum] *Historiam istius concilii egregiè descripsit Petrus Suavis.*

Dordracensis Synodi] *Habita est illa Synodus Ann.1618. contra Arminianos. Vid, acta istius synodi impressa Hardevvici.*

Ecclesia mihi textus est] *Sed non semper omnis particularis Ecclesia textus esse debet. Vincentius* in suo commonitorio, in ipsa Catholica Ecclesia, *inquit,* magnoperè certandum est, ut & teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est : hoc est enim verè proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verò universaliter comprehendit, sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.

Roma] *Vbi Romanus Pontifex suis articulos fidei præscribit.*

Geneva] *Libera urbs Sabaudiæ, ubi Calvinianismus inprimis floret.*

Ab Henrico Octavo] *Is artibus Thomæ Walsæi Cardinalis primum Catharinam uxorem fastidivit; posteaq; Romam misit, ut Clemens VII. P. delegaret, qui de causa cognoscerent: Catharina enim antea matrimonio cum Arthurio fratre copulata fuerat; Interim amare incipiebat Annam Bolenam, doctrinæ Evangelicæ addictam: Unde Walsæus pœnitentia ductus divortium impedivit: timebat etiam Pontifex à potentissimo Imperat. Carolo V. sororis Catharinæ filio. Henricus hisce offensus eodem tempore Catharinam repudiabat, & Walsæum bonis exuebat, Pontificisq; Romani auctoritatem profligabat, titulum supremi capitis Ecclesiæ Anglicanæ sibi tribuens. Hic quidem religiosos nimium in asserenda Pontificia auctoritate occupatos ac pertinaces suppliciis affecit, monasteriaq; solo æquavit, (quorum rudera mihi adhuc in Anglia videre contigit) tamen non minus iniquus in ipsos protestantes fuit, illosq; qui impugnabant transsubstantiationem, sacerdotum cœlibatum, missas privatas &c. combussit. de quo vid. Cambden.* in apparat. Histor. Elisabethæ.

Respublica Veneta] *Factum est id Pauli V. Pontif. tempore: ille enim devovendo Rempublicam illam, Senatum adduxit, ut omnes religiosos Pontificis mandato, ne sacra administrarent, morem gerentes, è toto suo dominio ejiceret; neq; unquam postea ea occasione expulsos patres è Societate Iesu recipere voluit, severissimisq; legibus interdixit, ne aliquis ex Senatu intercedat pro illis. Vide Historiam ab anonymo quodam, Italico idiomate conscriptam de rebus gestis* inter Pontif. Paul. 5. & Remp. Venet. *impressa est*

Mirandola anno 1624. *Multi tamen putant, Petrum Suavium Polanum, scriptorem Historiæ Concili Tridentini etiam hanc scripsisse.*

In Pontificem Romanum jacere] *Vid. quæ supra ad sect. 3. ex Luthero dixi.*

Cui saltem ut seculari Principi] *Honorem illi deberi ut Præsidi Ecclesiæ, docet Philipp. Melanchthon.* in consilio de moderandis Religionis controversiis ad Gallos.

Excommunicatus hæreticusque audio] *Pontifices omnes aliquid diversi ab illorum placitis credentes, pro hæreticis habent: unde Ecclesias non minus ipsa Romana antiquas, ut sunt Græca & Æthiopica, condemnare non dubitant. Vide Richardum Field.* in tractatu quem Anglicana lingua scripsit de Ecclesia, l. 3. c. 1. 2. 3. 4. & 5. *ubi hunc Pontificum errorem refellit.*

Illi tamen Antichristum] *Multi Patres crediderunt ante eversionem Imperii Romani haud venturum Antichristum. Vid. Tertull.* Apologet. c. 32. *Lactant.* l. 7. c. 25. *August.* in Tractat. de Antich. *Hinc Hugo Grotius probare vult, Pontificem haud esse Antechristum. Maresius contra hoc scripsit integrum tractatum.*

Charitatis est sine reactione pati] *Pontificii propter Ecclesiæ nostræ dogmata nos oderunt, imò sæpe igne ac ferro persecuti sunt. Maiorem odii causam haberemus: sed laudandi sumus, quod non eodem odio illos prosequamur, credentes illos quidem errare, sed misericordem Deum rudibus & imperitis, qui non satis aut ingenio ad rumpenda hæc errorum vincula valent, aut omnibus adminiculis, quibus ad veritatem aditus patet, destituuntur, propitium fore; rationem vero gravissimam exacturum ab Ecclesiæ doctoribus, hos errores contra conscientiam defendentibus: ut & inprimis ab illis, qui aut privato commodo, aut honoris aucupio, aut aliis levibus causis ducti, veritati num-*

ti nuncium mittunt, & turpiter à nostra Ecclesia deficiunt. *Aequius sane id de Pontificiis, quod Salvianus* l. 5. de Gubernat. *de Arianis, pessimis hæreticis, protulit, censemus. ille ita:* Hæretici sunt, *inquit,* sed non scientes, denique apud nos hæretici sunt, apud se non sunt; nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos hæreticæ appellationis infament; quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis. *Vid. plura ibid. paulo post.* Errant quidem, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Deum atque amare credentes.

Ex suggesto orationes apud vulgus] *Vetabat Marcianus* l. 4. C. de SS. Trinit. *ne vel Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana, publicè turbis coadunatis atq; audientibus, tractare conaretur. Imperandum esset, ut nunc modestius ac moderatius ageretur. Actum erit de salute patriæ nostræ, nisi Principes Reipublicaq; Rectores mentem manumq; admoveant; seduloq; factiosæ linguæ hominibus disputationes ac sermones odia multiplicantes: & nulli inservientes interdicant: ex his enim odia illa, quæ nos ab omni charitate alienos reddunt; ex illis tandem factiones, insidiæ, coniurationes, bella, proditiones & id genus alia. Vnius fermè seculi historia satis id docet. Hinc illa famosa Parisiensis Laniena, de qua vide* les Memoires de la Royne Margarite & *Serres* dans la vie de Charle IX. *Exinde illa sulfurea in Anglia coniuratio, de qua ipse Iacobus Rex scripsit libellum. Nolo causam diuturni civilis belli, quo dulcissima nostra Germania faciem suam amisit, attingere. Si Lucretius nunc viveret, non abs re laudare videretur suum Epicurum,*

Humana ante oculos fœdè cum vita jaceret,
In terris oppressa gravi sub religione,

Quæ caput à cœli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans,
Primum Graius homo mortalis tollere contra
Eſt oculos auſus primusq; obſiſtere contra &c.

Eapropter ſæpius in Receſſ. Imperii & nunc in Inſtrumento pacis eiusmodi conatus ac cæcus zelus prohibentur.

Sect. VI.

NUsquam mihi ortum eſt cum aliquo diſſidium propter opinionum diſcrepantiam, nec inimicitiæ ſuſceptæ, quod mecum in iis non ſentiret, à quibus forſan paulo poſt & ipſe diſſenſurus ſum. Quæſtiones ſuper iis, quæ ad Religionem pertinent, mihi non arrident; easdemque conſulto detrectare ſoleo: præſertim ſi quando certamen iniquum futurum ſit, adeoque evenire poſſit, ut patrocinii noſtri imbecillitas veritatis cauſæ officiat. Quoties aliquid addiſcere cupimus, cum ſuperioribus contendere expedit, ad noſtras vero opiniones confirmandas, cum iis confligere præſtat, quos & ingenio, & judicio ſuperamus, ut ex ſpoliis, crebrisq; victoriis inde reportatis, noſtris apud nosmet pretium & honorem conciliemus. Ad veritatem vindicandam & propugnandam non eſt quilibet idoneus aſſertor: Sunt qui ex principiorum ſuorum ignorantia, veritatisque propugnandæ inconſiderato zelo, erroris turmas ad prælium inconſultius provocant,

cant, tandemq; veritatis hostibus trophæa remanent. Accidit enim aliquando, ut etiam veritas necessario sit dedenda, haud aliter ac oppidum, quod tamen jure tenes. Præstat hac itaque tranquille frui, quam belli fortuna periclitari. Si quibus in rebus dubitare contingat, aut eas ex animo patior delabi, aut saltem tandiu missas facio, dùm maturiori jam & profectiori judicio me inde expedire liceat. † Oedipodem enim cuique certissimum esse suam ipsius rationem comperi; eamque esse, quæ modo spatium deliberandi detur, vincula ista & laqueos explicitura sit, quibus qui animo minus constanti & firmo sunt, impediri solent. In Philosophia ubi sæpe bifrons videatur veritas, satis paradoxus sum; at in Theologia viam tritam libens insisto: & nec implicita quidem, nec tamen pervicaci fide Ecclesiæ primum mobile sequor, ad cuius motum posthabitis omnibus eccentrici cerebri epicyclis feror. qua ratione factum est, ut hæresibus, schismatibus, & erroribus omnibus præcludatur introitus: à quibus in præsentia me undiquaque purum salva, spero, veritate, pronunciare possum. Inter studia quidem immaturiora tribus me pollutum fuisse non inficior, non quidem illis in novissimis his annorum centuriis enatis; sed obsoletis jam & antiquis, nec unquam, opinor, renasci-

turis, nisi ex cerebri alicuius nostri similis erratico & evaganti genio. Non enim cum authoribus suis hæreses intereunt, sed † Arethusæ more, licet hic intercidere videantur, alibi erumpunt. Unum aliquod generale Concilium, non unam aliquam hæresin è medio tollere valet. Profligari quidem in præsentia potest, non tamen ita extirpari, quin ventura sæcula similesque cœlorum aspectus eandem redditura sint, tandiu iterum victuram, dum iterum condemnetur. Opiniones enim in alia atque alia, iis unde primitus originem traxerant similia ingenia, post certas annorum periodos incidere solent, plane † quasi per metempsychosin quandam transmigratio fieret. Ut nos ipsos renatos videamus * † anno Platonico non opus est: nec enim est homo simpliciter unus: † Diogenes multi fuerunt, multi † Timones, quamvis pauci ita vocati. Iidem homines, eadem sæcula iterum atque iterum in scenam redeunt, nec quisquam ante hac vixit, cuius non similis aliquis revixerit, & quasi Virbius lumen reviserit. Ex hæresibus autem istis prima erat, † Arabum illa; Animas humanas unà cum corporibus interire, die

tamen

* *Certa quadam temporum est post millia aliquot annorum revolutio, in quo futurum est, ut quæcunque antehac fuerant, priori conditioni reddantur; adeoq́ Plato ipse eodem modo in Scholis præcipiat, quo cum hæc dictaret.*

tamen noviſſimo reſurrecturas; non quod animam plane mortalem eſſe ſenſerim, aut id ſi eſſet, quod Fides ſola non Philoſophia hactenus redarguere valuit, & ſi utrumque ſepulchrum una introiret, eam tamen, ſicut & corpus, reſuſcitandam eſſe. Nec profecto aliter ac vili noſtra natura dignum eſt, nobiſcum agetur, ſi usque in tenebris obdormiamus, dum ſupremum illud claſſicum canatur. Serio naturæ noſtræ vilitatem dum mecum reputarem, hanc animæ dignitatem arrogare metui. Liceat modo Servatore meo tandem aliquando frui, prope in æternum me nihil eſſe, haud moleſte paterer. † Secunda Origenis erat, Deum in æternum pœnas non ſumpturum, ſed poſt definitum iræ ſuæ ſpatium, liberaturum eſſe à ſupplicio damnatas animas: In quem errorem incideram, dum miſericordiam divinam, magnum illud Dei attributum, ſerio meditarer; eique aliquantulum indulſi, & quod ab omni malignitate alienus eſſe, aptumque & non inutile pondus habere videretur ad animum ab altero illo deſperationis extremo ſubtrahendum, cui nos melancholia, & contemplatio obnoxios reddunt. Tertia erat, † pro defunctis oratio, quam quidem nunquam, aut defendi, aut exercui, id tamen per veritatem & religionem noſtram licuiſſe ſæpius optavi; certis quibusdam pie-

 tatis

tatis argumentis ad id adductus: ægrè enim mihi temperare solitus sum, quoties amicum aliquem decessisse significaret campana, quin pro eodem preces funderem, & pro anima eius, conspecto corpore, vota facerem: Sic nos posteritati commendari mihi longe nobilius visum est, quam Historicorum calamis. Opiniones istas nunquam aut pertinaciter propugnavi, aut aliorum fidem iisdem implicare conatus sum: nunquam ne charissimis quidem indicavi, aut discutiendas proposui: unde factum est, ut nec propagarem in alios, nec in me ipso confirmarem; ultro passus eas materiam illam, unde primum hæc flamma nata est, depasci, adeoque fomento nullo aliunde admoto insensibiliter tandem extingui. Hæ igitur opiniones quamvis à legitimis Conciliis damnatæ, in me quidem hæreses non fuerunt, sed meri tantum & simplices intellectus errores, non accedente voluntatis pravitate. Illis non tantum depravatus est intellectus, sed affectus etiam morbidi, qui paradoxi aliquid habere non contenti sunt, nisi & hæresin insuper adiungant, † nec opinionis alicuius authores esse, nisi sectæ etiam sint, scelesto illi, primoque schismatico Lucifero non dissimiles, qui solus errare non contentus, multas spirituum legiones in factionem pertraxit; & ea experientia

edo-

edoctus Evam solum tentare satis habuit, ut qui bene nossent contagiosam peccati naturam alterique tantum imponere, tacite & consequenter perinde esse, ac si utrumque deciperet.

ANNOTATA
Ad Sect. VI.

Oedipodem] *Qui Sphyngis ænigmate dissoluto & monstro interemto, dictus est postea rerum obscurissimarum interpres.*

Arethusæ] *Est Virgo Venatrix, Dianæ comes, quæ in fontem mutata, per meatus in Siciliam venisse, fingitur.*

Quasi per metempsychosin] *De metempsychosi vide Laertium* in Pythagoræ vita & *Plutarchum* in libro de Homero. *E. Ovid.* l. 15. metaph. *qui hanc Pythagoricorum metempsychosin eleganter describit:*

Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.
Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Ibidem,

——————————Inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in corpora condi,
Corpora quæ possunt animas habuisse parentum, &c.

Tibull. l. 4. Elegiar.

Seu matura dies fato properat mihi mortem.
Longa manet seu vita tamen mutata figuram;
Seu me finget equum rigidos percurrere campos.
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,

Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis,
In quemcunque hominem me longa receperit ætas.

Apud Chinenses ac Indos sunt adhuc qui idem credunt: ut Trigaut. l. 1. c. X. de expedit: Christiana apud Chinas *& Mandeslovius, (qui sumptibus Serenissimi Holsatiæ Ducis, Domini mei clementissimi, postquam Bruchmannus S. Seren. Legatus ad Persas, è Persia ad redeundum in Holsatiam abiisset, illinc iter in Indiam suscepit, & de illa peregrinatione Epistolam ad Olearium scripsit) testantur. Hunc errorem refellit Lactantius* l. 3. c. 18. *vide & Tertull.* libr. de anima c. 28.

Anno Platonico] *Marsil. Ficin.* in comment. Platon. de Republ. *de hoc anno ita:* Sunt & qui dicant annum magnum, quo hominis anima suum explet circuitum, per quem in idem redeat 12. annorum millibus comprehendi, tribusque annis eiusmodi annum mundi exæquari magnum, quo mundi anima per firmamenti motum, suum peragat ambitum triginta sex annorum millibus peragendum. *Vide de hoc anno Voss.* l. 2. c. 35. de Orig. ac progr. idololatr. *Vide & Notas Lindenbrogii* in c. 18. Censorini de die Natali.

Diogenes] *Ipsius vitam vide apud* Laertium.

Timones] *De Timonis illius Atheniensis inhumanitate singulari scribunt Aristophanes & Plato. Cicero* de amicitia *ita*: Quia etiam si quis asperitate ea est & immanitate, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem, nescio quem, accepimus. & l. 4. Tuscul. *ita:* similiter definitur & mulierum odium ut Hippolyti: & ut Timonis generis humani,

Arabum illa] *Vide de hac heresi Eusebium* Hist. Eccles.l.6. c.37. *sive* lat. c.30. *Augustin.* hær. 83. *Niceph.* l.5. c.23. *Arabici vocantur, quia nullus certus eorum auctor. Hanc heresin refutat doctissimus Calixtus aut Iustus Gesenius* in disputat. de purgatorio th. 3.

Secunda Origenis erat] *Veteres illum errorem Origeni tribuunt, ut Athanasius* in libro de communi Essentia Patris, Filii & Spir. S. circa finem, *& Augustinus* de hæres. *ubi valde Origenis errores perstringit. Calixtus tamen noster* in tractatu de bono perfecte summo *probat, Origenem videri ab hoc errore alienum.*

Pro defunctis oratio] *Veteres Christiani, qui purgatorium tanquam articulum fidei haud admittebant, Deum tamen pro defunctis orabant. S. Augustinus* de Fide & operib. c. 15. & 16. de Civitate Dei l.21. c.26. *de purgatorio disputat, explicans locum Pauli* 1. Corinth. 3. v.12. *nihil certi ibi definit; pro defunctis tamen orationem laudat,* in libro de cura pro mortuis, *initio:* Legitur, *inquit,* oblatum pro mortuis sacrificium: sed si nunquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret Authoritas: Vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino ad altare funduntur, locum habet etiam commendatio mortuorum.

Nec opinionis alicuius authores esse, nisi sectæ etiam sint) *Opinio falsa haud continuo heresis est, nisi sit cum schismate, ut Paulus docet* 1. Corinth.11 v.18. Convenientibus vobis in Ecclesiam audio schisma esse, ex parte credo. Oportet enim & hæreses esse. *In eiusmodi schismata invehitur Apostolus etiam* 1.Corinth.1.v.10.& seq. *& jubet* Roman.13. ut ab his qui dissidia faciunt, declinemus.

Sect. VII.

ORituras esse hæreses † Christus olim ipse vaticinatus est at † antiquas abolendas esse nullus prædixit. Hæreses necessario futuras verum est, non tantum in ecclesia nostra, sed aliis etiam.† Ipsæ Hæreticorum doctrinæ suas habent hæreses, & non tantum ab ecclesia nostra † divisi sunt Ariani, sed etiam inter seipsos: qui enim ingenio ad schismata proclives sunt, & rebus novis natura student, usque sponte sua latius diffunduntur, nullo ordine, nulla œconomia coërcendi. Ideoq; ab aliis separati inter se ipsos minus firmiter cohærent, nec publica scissura, & Ecclesiæ dichotomia contenti, minutim sese † etiam atque etiam dissecantes, in atomos prope tandem comminuuntur. Ita sane natura comparatum est, ut viri singulari ingenio singulares itidem opiniones, & dogmata perpetuo habeant, eaq; non tantum à suæ aut alterius cuiuslibet ecclesiæ, sed à cujuslibet etiam authoris sententia diversa, quod quidem sano judicio citra omnem aut offensionem aut hæresin licebit. Innumera enim illa, & Conciliorum decreta, & Scholarum subtilitates multa adhuc integra & † intacta reliquerunt, in quibus mens proba & ingenua libere expatiata innocuo se lusu recreare poterit, procul omni hæresis periculo.

AN-

ANNOTATA
Ad Sect. VII.

Christus olim ipse vaticinatus est] Matth. 13. *Vide etiam Paulum* 1. Corinth. 11. v. 19.

Antiquas abolendas esse nullus prædixit] *Vid.* Matth. 13. 29. *ubi Christus zizania ante messem evelli vetat. Vid. Chrys.* super hunc text. *Iubemur tamen docere errantes cum mansuetudine.*

Ipsæ hæreticorum doctrinæ suas habent hæreses] *Quod nunc satis Anglia probat. Probat idem Sabellianismus atq; Arianismus. Sic & in Sarmatia novorum Photinianorum Dux Socinus & Franciscus Davidis eidem sectæ addictus, propter quæstionem de cultu Christo debito inter se collisi sunt, ut Socinus scribit* in Epist. ad Radecium.

Divisi sunt Ariani] *Ex Arianis postea orti Aeriani, Aetiani, Eunomiani, Vid. August.* de hæres. ad quod vult Deum.

Etiam atque etiam dissecantes] *Lis eorum nostræ fidei est; vincendo vincuntur.*

Intacta reliquerunt) *Nisi lites atq; odia multiplicari velimus, non oportet de his articulos fidei facere.*

Sect. IIX.

Aeria autem illa Theologiæ mysteria, caligantesque religionis subtilitates, quæ tot melioris notæ hominibus cerebrum cardine emoverunt, non unquam mihi piam matrem læserunt: Nec profecto satis impossibilitatum in religione nostra habere videtur alacris fides: cuius mysteriorum altissima profunditas, non tantum dilucide explanata est, sed syllogismis etiam ra-

am rationisque amussi confirmata. Obscuris aliquando deviisq; vestigiis mysterium aliquod libens sequor, donec ad *O Altitudo* ratio perveniat. Nodos illos de Trinitate, Incarnatione & Resurrectione, animi relaxandi gratia mecum interdum solitarius meditor, mentemque in his comprehendendis exercere soleo. Quæcumque mihi aut Satanas, aut ratio rebellis objiciat, ea omnia uno illo paradoxo Tertulliani consilio expedio; *Certum est, quia impossibile est.* In difficilimis quibusque fidem exercere studeo: † ea enim credere, quæ explorata sunt & sensibus constant, non fidei est, sed persuasionis. Sunt qui promptius credunt, quod Christi sepulchum spectaverint, marique rubro viso de miraculo nihil dubitant. Ego vero mihi gratulor, quod in miraculorum tempore non vixerim, quod nunquam aut Christum, aut Discipulos viderim, quod nec cum Israelitis mare rubrum transierim, nec in eorum numero fuerim quos Christus per miracula sanavit: hic enim mihi nolenti volenti credendum fuisset, nec ad me pertinuisset † benedictio de omnibus illis pronunciata, qui non videntes crediderint. Facilis est eorum, & necessaria credulitas, qui ea credunt, quæ oculi & sensus exploraverint. Eum mortuum & sepultum resurrexisse credo, inque gloria eius potius quam in cenotaphio &

& sepul-

ſepulchro contemplari cupio. Hæc autem credere minimum eſt; hanc fidem, ut æquum eſt, hiſtoriæ debemus. Illis erat præ cæteris nobilis & animoſa fides, qui ante adventum eius vixerant: †ex obſcuris*enim vaticiniis, myſticisque typis credenda expiſcati, expectarunt ea, quæ impoſſibilitatem quandam præ ſe ferebant.

ANNOTATA Ad Sect. IIX.

Ea credere quæ explorata ſunt) *Vnde Auguſtinus vel quisquis tractatus iſtius* in oper. Auguſt. tom.4. de fide rerum inviſibil. auctor. Iſti, *inquit*, quos oculis carneis ſic ſtultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non ſibi exiſtiment eſſe credendum, admonendi ſunt, quam multa non ſolum credunt, verum etiam ſciunt, quæ talibus oculis videri non poſſunt. *Idem* c.1. Dic mihi, *inquit*, obſecro te, amici tui erga te fidelitatem quibus oculis vides? Nulla enim voluntas corporis videri poteſt. An etiam hoc videas animo tuo quod in animo agitur alieno? Quod ſi non vides, quomodo amicabili benevolentiæ vicem rependis, ſi quod non potes videre, non credis. *Vid. ibid. plura.*

Benedictio) Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ioh.* 20.

Ex obſcuris vaticiniis myſticisque typis credenda expiſcati) *Nam ſecundum Nazianzenum* in orat. 6. juxta edit. Leonclavii; Vetus teſtamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obſcurius. Novum manifeſtavit filium, oſtendit divinitatem Spiritus,

Sect. IX.

HAbet profecto aciem quandam omnis firma fides, nec durior erit metaphora, si quis dicat: Gladius fidei. Eadem tamen in huiusmodi nodis pro clypeo potius utor, quo titulo ab Apostolo insignitur: eumque invulnerabilem fore comperi, qui hoc munitus in certamen descenderit. Ex quo eo profecerat sapientia mea, ut scirem nos nihil scire, ratione mea usus sum fidei indies magis magisque obsequenti. Nunc mysterium aliquod † ex descriptione Platonica intelligere contentus morosam definitionum severitatem non exegero. * † Allegoricam illam Hermetis descriptionem metaphysicis omnibus Theologorum definitionibus longe præfero. In quibus rationi satisfacere nequeo, phantasiæ morem gerere soleo. Æque mihi arrisurus est, qui animam definierit, Angelum hominis, corpus Dei, ac qui, ἐντελέχειαν. Qui lucem umbram Dei, ac qui actum perspicui. Quæ obscuriora sunt, quam ut ratio comprehendere possit, ea descriptione aliqua aut periphrasi adumbrare convenit. Cum enim hinc ratio nostra didicerit experta, quam imbecilles vires habeat, quamque impar sit ad manifestos istos &

quoti-

* *Sphæra cuius centrum ubique circumferentia nullibi.*

quotidianos naturæ effectus explicandos, ſummiſſior tandem futura eſt, & in fidei ſubtilitatibus minus audax. His artibus, inquam, rationem paulatim ſubigens ad fidei imperium fingo. † Credo jam tum fuiſſe arborem ex cuius fructu parentes noſtri guſtaverint infelices, quamvis in eodem ipſo capite, in quo Deus ipſis interdixerat, diſerta teſtentur verba † nondum natas fuiſſe agri plantas, nondum enim effeciſſe Deum ut in terram plueret. † Quod ſerpens ille ventre graderetur (ſi tamen hoc ad literam intelligendum eſt) ei ex corporis figura etiam ante maledictionem contigiſſe credo. † Virginitatis probandæ rationem Judæis à Deo præſcriptam incertam admodum & fallacem comperi. Docet & experientia, & Hiſtoria, † non tantum certas mulieres, ſed totas etiam nationes ab illa puerperii maledictione immunes fuiſſe, quam tamen toti ſexui Deus denunciaſſe videtur. Veriſſima tamen eſſe hæc omnia credo, quæ tamen falſa eſſe mihi ratio perſuadere parat. Nec fidei eſſe vulgaris arbitror res huiusmodi credere, quæ non rationem tantum ſuperare, ſed & ipſi, & ſenſuum teſtimoniis repugnare videntur.

ANNOTATA.
Ad Sect. IX.

Ex deſcriptione Platonica) Eiusmodi de-

D ſcri-

scriptiones ipsi Patres contra Paganos citarunt. *Vnde Cyrill.* libr. 8. contra Iul. In ipsis Græcorum sapientibus, *inquit*, invenimus S. Trinitatis cognitionem. *Huic mysterio simile quid proferunt Platonici. Ipse Plato* libr. 6. de Repub. *ait*, Deum Patrem primo generare Deum Filium ex se, & deinde factam animam mundi, postea naturam &c. *Proclus* in Platon. Theol. libr. 6. c. 9. Platonem, *dicit*, propter triplicem causam rerum universarum, Trinitatem eorum, qui sunt rerum opifices cum ipso Patre constituisse: *pergit*, eod. cap. Rursus, *inquit*, Plato in uno rerum opifice Trinitatis causam ponens manifestè declaravit, se hunc quidem rerum opificem quodammodo in seipso manentem, ex illa rerum effectione, quæ fit per partes, eximere. Illis verò rerum opificibus aliis ipsam divisionem rerum, quæ per imperii divisi partes administrantur, attribuere secundum istum. Quoniam & ipse Timæus paternam causam, & generatricem facultatem & regiam mentem in ipso per suppositionem statuens, de ipso eadem quæ ille Atheniensis hospes theologicè tradit. Ipsum quidem paternum robur imperatorium est ubique. Medii verò generis est ipsa facultas ac potestas. At ipsa mens ipsum finem Trinitatis concludit. *Plura vide ibid. Porphyrius ita.* Essentia Dei ad tres usque subsistentias sive hypostases porrigitur. Est enim Deus supremus, qui propriè bonus; post eum secundus qui opifex universi, & tertius demum anima mundi. Ad animam enim usque extenditur divinitas. Id autem sibi voluit Plato, ubi statuit tres Reges: Etsi enim pendent omnia ab his tribus, pendent tamen ita, ut primum à primo est, tertio à tertio, qui à secundo procedit, ordine pendeant. *Iambl.* de Mysteriis ex Mercurio *ita:* Primus Deus ante ens, & solus, pater est primi Dei, quem gignit

manens in unitate suâ solitaria, atque id est superintelligibile; estque exemplar ipsius quod dicitur, sui pater, sui filius, uni pater & Deus verè bonus. Ille enim maior & primus & fons omnium & radix eorum, quæ prima intelliguntur & intelligunt, scil. idearum. Ab hoc utique uno Deus per se sufficiens seipsum explicavit, *&c. Habent quidem Platonici multa eiusmodi dogmata, quæ primo intuitu cum nostris aliquo modo congruere videntur, sed si rectè examinentur, non magis illis consentanea sunt, quam illud, quod Philo Iudæus* de Sacrificiis Abel & Cain *habet, ubi tria in Deo* statuit, *quod & Maimonides* initio libri de Fundamentis, *& post eum Ioseph Albo faciunt: distinguunt enim in Deo, id quod cognoscit, quod cognoscitur & cognitionem, Vide Grot.* l 5. de verit. Religionis Christ. *animadvertes Cabalistas iisdem verbis, quibus Christiani in hoc mysterio, uti: dicere tamen, illos idem nobiscum credere, manifestissimè falsum esse.*

Allegorica Hermetis descriptio] *Multa eiusmodi descriptiones in Mercurii Pimandro atq; Asclepio legi possunt: sed Mercurii opera esse suppositita viri eruditissimi censent. In Pimandri* dial. 13. *ut verus Christianus de regenerationis mysterio loquitur. Extat hæc descriptio in hymno Pimandri:* Deus, *inquit,* est sphæra infinita, cujus centrum est ubique, & circumferentia nusquam. *Sed auctorem huius non esse multum antiquum, probat eruditissimus Casaubonus* lib. 1. ad apparat. Annal. Baronii.

Credo jam tum fuisse arborem] *Vid.* Genes. 2.

Nondum natas fuisse agri plantas] אלה תולדות השמים והארץ בהבראם ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים : וכל שיח חשדה טרם יהיה בארץ וכל־עשב השדה טרט יצמח כי לא חטמיר יהוה

יהוה אלהים על־הארץ ואדם אין לעבר את־הארמה:

Vulgata hæc ita transtulit: Ista sunt generationes cœli ac terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram. Eodem modo translatio ex Græc. LXX. & Chaldaica Paraphrasis translatio habent: Sed Tremellius & Fr. Iunius ita: & omnem stirpem agri: quæ nondum fuisset oritura, quum nondum demisisset Iehovah DEVS pluviam super Terram, & nullus homo fuisset ad colendam terram. *Augustinus* de Genesi ad Liter. l. 1. c. V. & VI. *Supra hoc sequentia* quò pertineat & quid nobis insinuet, indagare difficile est. Tanquam ideo antequam exortum est, fecerit Deus fœnum agri; quia nondum pluerat super terram. Si enim post pluviam fœnum fecisset Deus, pluvia magis exortum quam factum ab eo videretur. Quid enim quod post pluviam oritur ab alio fit quam ab ipso Deo? Cur autem non erat homo, qui operaretur terram? Nonne jam sexto die fecerat hominem & septimo die requieverat ab omnibus operibus suis quæ fecit? An hoc recapitulando commemorat; quoniam quando fecit Deus omne viride agri, & omne fœnum, nondum pluerat super terram & nondum erat homo? Tertio quippe die fecit ista Deus, hominem autem sexto. Sed cum fecit Deus omne viride, atque omne fœnum agri antequam exortum est super terram, non solum homo non erat qui operaretur eam; sed nec ipsum fœnum erat super terram, quod utique dicit ante factum quam exor-

exortum. An ideò die tertio fecit ista quia nondum erat homo qui operando terram faceret ea? Quasi vero tàm multa ligna, tam multa genera herbarum non fine ulla hominum opera nascantur? An hoc utrumque positum est, & quia nondum pluerat super terram, & quia nondum erat homo? Sunt autem quædam, quæ per pluviam non nascuntur, nisi humana opera accedat. Ideò nunc utrumque adiutorium est necessarium, ut cuncta nascantur, tunc autem utrumque defuit. Ideo fecit Deus hæc potentia verbi sui sine pluvia, sine opere humano. *Hæc Augustin. Alphonsus Tostatus* in Genes. c. 2. Quæst. 5. *Super verba (antequam oriretur in terra) ita:* Productio, *inquit*, herbarum facta à Deo fuit antequam naturaliter aliquid in terra oriretur; cum nondum virtus generativa terræ data fuisset *super verba (antequam germinaret) i.e. inquit*, antequam naturaliter dilataretur, ut emitteret germina; quia etiam herba ad productionem tertiæ diei pertinet. *Super verba (non enim pluerat Deus super terram) i.e.* in quatuor diebus, qui fluxuerant à Die, quo herbæ & arbores creatæ sunt, usque ad diem quo homo positus fuit in Paradiso non pluit; & hoc quoad defectum pluviæ humectantis. *Super verba. (homo non erat super terram)* & hoc erat, *inquit*, defectus secundi, scilicet artis humorem & calorem adiuvantis. *Hæc Tostatus. Eodem fermè modo Tremellius hunc textum intelligit. Chymiæ perito non usq; adeo hæc mira videntur. Vide Helmontium* in libro de Elementis.

Quod serpens ille ventre graderetur) *August.* in libro quæstion. veter. ac nov. testam. Usq; adeo autem natura serpens fuit, ut diceretur illi, supra pectus ac ventrem tuum repes, & terram edes omnibus diebus vitæ tuæ. Hoc longè fuit à conditione Satanæ. Etsi propius aspiciatur, videbitur sententia data nihil obfuisse serpenti, sed in eo

quo factus est, jussus est permanere. Quia enim minister factus est Satanæ ad subjugandum hominem, cui Deus omnia subiecerat: idcircò Deus in ea subiectione, qua homini omnia subiecerat, repressit elationem serpentis, quia cœperat minister esse superbiæ. Videbatur autem homo factus sub serpente, per quem accepto consilio legem datam contempsit. *Alphons. Tostatus* in Genes. cap.3. qu.17. *docet idem, nempe*, quod serpens supra pectus gradiatur, quod sit venenosus, naturale esse: *putat, etiamsi homo non peccasset, quod tamen adhuc serpens supra pectus graderetur, quia dispositio corporis talis est. Parum dextrè opinari videtur Cunæus* l.3.c.1.de Rep. Hebr. ibi serpentem pedibus amissis reptilem factum fuisse statuit. *Docet scriptura Deum creasse reptilia.*

Virginitatis probandæ rationem] *Vide* Deuter.22. v.15. & seq. *Fuit solum Iudæis præscripta illa; apud illos (Deo ita ordinante) certior esse poterat, quam apud alias gentes, & lex (ut Tostatus* in Deuter. 22, qu. 4. putat) *non poterat dare hominibus certum modum, contenta fuit dare istam probationem, quæ licet semper vera non sit, ut communiter tamen sic est. Et eodem lib. idem* genitalia, *inquit*, quidem artificialiter stringi possunt, ut nullatenus in hoc differant ab illa quæ virgo est, sed non facit probationem perfectè apparentem iste modus strictionis genitalium; quia secundum quod litera hic vult, monstrantur in veste signa virginitatis. Sunt autem aliquid cruor effusus: *hæc Tostatus. Sed eiusmodi signa virginitatis etiam non virgo artificio monstrare, & producere potest. Ideò hæc probandi ratio forsan propter naturalem fœminarum constitutionem sub illo climate, aut illarum educationem, vel, quod magis verisimile est, propter Dei voluntatem, qui hoc ad innocentiam*

tiam probandam perſcripſerat, certa apud Iudæos (quanquam apud alias gentes fallax) eſſe potuit.

Non tantum certas mulieres ſed totas etiam nationes] *Idem Deus, qui dixit, in dolore paries liberos, dixit etiam, maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum eius: multi tamen ſunt, qui ſani ac ſine dolore aut magno labore proventum eius comedunt. Deus ſolum reſpexit illa mala, quæ maxime hominum parti deberent obvenire. Si Eva in Paradiſo haud ſeducta fuiſſet, tunc nullum ille dolor afflixiſſet.*

Sect. X.

†SOlus cum ſim, & à turba ſegregatus (*nec enim cum porticus, aut me lectulus accepit, deſum mihi*) ſolum tamen me non eſſe cogito, ideoque non excidit mihi eum, ejusque attributa meditari, qui ſemper una verſatur; præſertim ſumma illa duo, Sapientiam eius, & Æternitatem: illa mihi mentem recreare ſoleo, hac confundere: quis enim † de Æternitate aut ſine ſolœciſmo verba facere, aut ſine ecſtaſi cogitare poterit? † Tempus animo comprehendere licet, ut quod quinque tantum dierum ſpatio nobismet ipſis grandius ſit, adeoque eundem nobiſcum orbis horoſcopum ſortiatur; Quoties vero eo usque in præterita retro ferri conor, ut principium, aut tam immenſo ſaltu in futura promicare, ut finem eius eſſentiæ animo complectar, quam

& † principio & fine carere statuimus, toties ad illud sancti Pauli asylum me recipere cogor, Nec ipsos Angelos id posse Philosophia nostra asserere audet. † Nullam creaturam sui capacem creavit Omnipotens. † Se ipsum comprehendere posse, eius ipsius solum naturæ proprium est. † Sum, qui sum, est ipsius definitio Mosi à se ipso dictata; brevis ea quidem, quæ brevitate sua mortalibus animis sensus confunderet, quicunque eum interrogare auderent, aut ex ipso, quid esset, quærere. Ille solus est, reliqua omnia fuerunt, & erunt; at † distinctiones temporum non habet æternitas. Ideoque vox illa terribilis Prædestinatio, tanta difficultate à rudioribus intellecta, † tantoque negotio etiam à doctissimis explanata, non est, si de Deo recte sentire velimus, † non est apud eum præscia futuræ nostræ conditionis determinatio, sed brevissima quædam † voluntatis eius sententia, eo ipso momento completa, quo decreta est. Æternitati enim, cum indivisibilis sit, & tota simul, novissima illá tuba jamdudum sonuit, jamdudum in flammis crucientur damnati, & in sinu Abrahami Beati recumbunt Unius tantummodo dieculæ rationem mille annos apud Deum habere † Sanctus Petrus verecunde dixit: si enim Philosophorum more loquendum est, temporis illa momenta, quæ fluxu

fluxu suo continuato in mille demum annos deducuntur, ne momentum quidem unum apud illum constituunt. Quod nobis est futurum, æternitati præsens est cuius tota duratio nihil aliud est, quam momentum fixum, & stabile, sine successione, sine partibus, sine fluxu, aut divisione.

ANNOTATA
Ad Sect. X.

Solus cum suum) Cum januam adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne unquam in mentem veniat dicere, quod soli estis: nón enim soli estis, sed Deus intus est, & genius vester intus est. *Epictet.* in dissertat. ab Arian. dig. l. 1. c. XIV.

De æternitate) *Quæ secundum* Boet. lib. 5. consolat. Philosoph. interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio est. *Illam ut Cic.* de nat. Deor. *dicit*, nulla circumscriptio temporum metitur, & *Censorinus* c. 16. de die natali: Est, *inquit*, tempus unum & maximum, immensum sine origine, sine fine, quod eodem modo semper fuit, & semper futurum est. *Vide plura* eod. cap.

Tempus animo comprehendere licet) *Sed tempus, secundum Helmontium* in tractatu de tempore, *non aliter ab æternâ duratione separatur, quam lumen diei non apparente sole, à lucidissima luce corporis solaris. Noctem, diem, menses atq; annum non esse tempus, sed mensuras & accidentia rerum in tempore contingentium demonstrat; nec Ver, æstatem, autumnum, hyemem esse tempus, sed alterationes aëris ordinatas in Vicissitudines rerum statuit.*

Principio & fine carere) *Aeternitas enim est unicum nunc, unicum hodie.*

Nullam creaturam fui capacem] *Helmontius* libr. de Anima. *ita:* Divinæ voluntatis placitum fuit, quod homo cognitionem fui non aliunde peteret, quam ab initio ac fonte fui: qui est totius Philosophiæ principium, medium, finis, scopus & summus veritatis apex. *Iamblich.* de Myster. Aegyptior. Anima humana à caduco corpore nimium obumbrata est; ideò nullam habet ad divinum opus potentiam efficacem.

Seipsum comprehendere posse, eius ipsius solum naturæ proprium] *Proclus* in Platon. Theolog. l 6. c.8, Solus ille rerum universarum unus & individuus opifex & creator & principium, & medium & finis, omnia entia in seipso comprehendens. Vnde *Damascenus:* universum illud esse in seipso habet, quasi mare quoddam infinitum & immensum. *Vid.* l 1. fid orthod. c.4. *Iamblichus de myster. Aegyptior. ita:* Immaterialis ipse, indivisus, immobilis & ingenitus, totusque ex seipso, & in seipso. *Lactant.* l.2 c.5. Qui vocatur Deus, cuius principium quoniam non potest comprehendi, ne quæri quidem debet. *Augustin.* Quæst. veter. ac nov. Testam. Deus hoc est quod nulla attingit opinio. Plus enim est, quam quicquid dici poterit aut cogitari. *Cyprianus* in Symbol. De Deo etiam verum dicere periculosum est.

Sum qui sum] אהיה אשר אהיה *Exod.* 3. v. 14. h.c. *sum qui sum, ero qui sum: quod paraphrastes reddidit*, ego qui fui, & ego idem nunc, & ego idem in futurum. *Iohann.* in princip. Apocalyps. v.4. Εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *h. e.* Pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. *Plura mystica de hoc vide ap. Iohann. Buxtorff.* in Lexic. Hebraic. & Chald. & *Rosel.* in Pimandr. Mercur. l. 3. comm. 1. dialog. 3.

Ille solus est] *Nam est* יהוה *Ens existens*

stens ab aeterno in aeternum, aut primum sine principio, aut ultimum sine fine.

Distinctiones temporum non habet aeternitas] *Proclus* Philos. Platon. c. 52. in inst. Theolog. Omne quod est aeternum, totum simul est, sive suam essentiam tantum habeat aeternam, ita ut ipsam totam simul praesentem habeat, non autem partem ipsius jam constitutam, partem verò postea constituendam, illam scil. quae nondum, sed quanta esse potest, tantum ipsum totum jam possidet, sine imminutione & sine intensione. *pergit:* Si aeternum est, quod semper est, ipsum vero esse & ipsum fieri, diversum ab eo quod semper est: ergò non oportet alterum quidem prius esse, alterum posterius.

Tantoque negotio etiam à doctissimis explanata] *Ipse Augustinus non satis constans in explicatione eius fuit. In Expositione proposit ex Epistola ad Romanos.* Non eligit Deus opera cuiusquam in praescientia, sed fidem elegit in praescientia; ut quem sibi crediturum esse praescivit ipsum elegerit, cui spiritum daret. *Sed haec retractat* l. 1. retract c. 23. *& quantum negotii praedestinatio Concilii Tridentini patribus dederit, Vide apud Petr. Suavium* Hist. Conc. Trid. sub Paulo 3. l. 2.

Non est apud eum praescia futurae nostrae conditionis determinatio] *Contrarium sentiunt BB. Patres. Vide Irenaeum* l. 4. c. 76. *Origen.* in prima verba Epistolae ad Romanos. *Ambros.* l. V. de Fide ad Gratianum August. c. 11. *Hieronym.* in commentar. in Gal. 1. 15. *Vide & Vossium* l. 2. de Origine ac progressu idololatr. c. 50. *& Hannib. Roselium* in comment. in Pimandr. Mercurii l. 4. comment. X. quaest. 4.

Voluntatis eius sententia, eo ipso momento completa] *Mercurius* in Asclepio: Placitum Dei

Dei necessitas sequitur; voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit, cum & futurum est, & placitùrum multo ante sciverit. *Sen. II.* natur. quæst. Ordinem fati æterna series regit, cuius hæc prima lex est stare decreto. *Vide plura apud Lipsium* in Prud. Civil. l. 1. c. 4.

In sinu Abrahami) *Luc.* 16. ℣. 22.

Sanctus Petrus dixit) 2. *Petr.* 3. ℣. 8.

Sect. XI.

NOn aliud attributum maiore difficultate Trinitatis mysterium implicat, ubi in relatione Patris & Filii neganda est prioritas. Mirum mihi videtur, qua ratione † Aristoteles mundum æternum fuisse intellexerit, aut duo simul æterna constare voluerit. † Similitudo illa de triangulo intra quadrangulum contento, illustrare aliquantulum videtur illam animarum nostrarum trinitatem, ut & ea vicissim † triplicem Dei unitatem. In nobis enim non tres sunt animæ, sed animarum trinitas. Tres sunt, si non animæ distinctæ, distinctæ tamen facultates, quæ in distinctis etiam subiectis, & possunt, & solent seorsim subsistere, ita tamen in nobis unitæ, ut unicam tantum animam & substantiam constituant. Si qua daretur tanta perfectione anima, ut tria distincta corpora simul informare possit, hanc pusillam quandam trinitatem dicere liceret. Et si nume-

merum ternarium distinctum animo fingas, intellectu non divisum, aut separatum, sed in unitate sua contentum; ea demum est perfecta trinitas. † Mysticam illam Pythagoricæ philosophiæ rationem, † arcanamque numerorum Magicam sæpe admirari solitus sum. † Cave à Philosophia, præceptum non est nimis laxe interpretandum: Nam in hac rerum naturalium compage, Theologica quædam legere est, non illa quidem literis maiusculis, sed stenographia quadam, brevibusq; characteribus expressa, quæ in tenebrosa scientiæ abysso prudentioribus pro lucernis esse possunt, illisque, qui sano judicio uti, fidemque integram servare norunt, pro machinis & scalis, ad Theologiæ muros arcesque altissimas conscendendas. Me nunquam severiorum Scholarum risus † ab Hermetico illo dogmate deterruerit, nihil aliud, nimirum hunc mundum visibilem esse, quam invisibilis simulacrum, in quo res nullæ veras essentias sortiuntur, sed æquivocas tantum icones & effigies, prout substantiam aliquam magis realem in fabrica illa invisibili referunt.

ANNOTATA
ad Sect. XI.

Aristoteles mundum æternum fuisse) *Vid. Arist.* l. 1. de Cœl. c. X. & *Voss.* l. 2. c. 38. de Orig. ac progressu

greſſu idololatr. *Præcipua eius ratio eſt; omnia quæ generantur etiam corrumpi videri. refellit Platonem (quem vide in Timæo) qui ſtatuit cælum factum, non tamen eſſe corruptibile. Cum Ariſtotele conſentit Manil.* l.1. Aſtron.

Hæc æterna manet divisque ſimillima forma.
Cui neque principium eſt usquam, nec finis in ipſo:
Sed ſimilis toto remanet, perq; omnia par eſt.
& poſt:
At manet incolumis Mundus, ſuaque omnia verſat,
Quæ non longa dies auget, minuitq; ſenectus,
Nec motus puncto currit, curſuque fatigat.
Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem,
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aſpicient: &c.

Cæcilius Ethnicus apud Minutium Felicem in Octav. *ridet, Chriſtianos cælo & aſtris interitum denuntiare, & Auguſtinus* l. 10. c. 24. de Civit. Dei, *dicit, Porphyrium Chriſtianos arguere maxima ſtultitiæ, quod iſtum mundum dicant eſſe periturum. Lactant.* l. 7. c. 1. *refutat Ariſtotelem & laudat Epicurum, qui dixit ortum & aliquando periturum mundum: Vnde Lucretius ex ſchola Epicuri* libr. 5.

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terraï & cœli, ſemperque æterna fuere:
Cur ſupra bellum Thebanum aut funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere poëtæ?

Id quod hic Lucretius, & artium inventiones ac progreſſus probant, & ipſe Ariſtotel. l. ſupra dicto, *fatetur omnes Philoſophos mundum eſſe genitum dicere: hos verò ſempiternum; alios corruptibilem.* In libr. de mundo c. 6. *dicit, mundum eſſe à Deo; & hanc opinionem eſſe vetuſtam. Scalig.* Exercit. 3. *probat, quod creationem mundi haud*

dihaud impugnaverit. Vid. apud Franc, Tolet. in commentar. in octo libr. Aristot. de Physica l. 8. c. 2. *magnum argumentorum numerum, quibus mundum haud posse esse aeternum probatur. Vid. & Voss.* l. 2. c. 38. de Theol. Gent. *Varias sententias Philosophorum de mundi principio, vide apud Plutarchum* de placitis Philosophor. c. 3. *Mercurius Trismegistus in* Pimandr. *de Mundi creatione fermè idem quod Moyses scribit. Phœnices principium huius universi statuunt, aërem tenebrosum ac spiritalem, & chaos turbidum. Vid. Euseb.* l. 1. præpar. c. 7. *secund. edit.* Basil. Thales *putat aquam fuisse primum elementum, ex hoc surrexisse omnia. Vid. Senecam* l. 3. natur. quæst. c. 13. Aegyptios credidisse mundum ut ortum, ita & interiturum *tradit Laert. in proœm. Deum fecisse omnia ex chao asserit* Ovid. l. 1. Metamorphos.

Ante mare & terras, &, quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan &c.

& 1. *Fastor.*

Lucidus hic aër & quæ tria corpora restant,
Ignis, aqua & tellus, unus acervus erant.

Idem censet Lucan. l. 1. Bell. Civil.

— — sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, &c.

Quod Phœnices, Aegyptii, Indi, Græci, ut Hesiodius & Comicorum vetustissimus Aristophanes, Empedocles, Platonici, Anaxagoras, Aratus, Mundum

dum incepisse statuerint, *probat Hugo Grotius multis* in annotat. ad librum de verit. Religion. Christianæ ad pag. 17. *Quod idem Orpheus, Hesiodus, Euripides, Sophocles, Aratus, Virgilius statuerint, Vid. Hannib. Rosel.* in comm. in Pym. Trismegist. l. 5. comment. 1. cap. 3. *Quod idem Cicero, Seneca, Epictetus, Iamblychus &c. Vid.* ibid. c. 3.

Similitudo illa de Triangulo) *Vid. Bohemi miri istius Philosophi Germani* l. de myster. Trinit.

Triplicem Dei unitatem) *Hoc mysterium non solum multi similibus explicare tentarunt, sed etiam ex monumentis vetustissimorum Philosophorum Vide Pl. ss. Mornæum* de Verit. Relig. Christ. *Vide & Platon.* in Epist. ad Dionys. & *Proclum.* in Platon. Theolog. l. 3. c. 21. *Robert. Flud.* in Historia Microcosm.

Si non animæ distinctæ) *De hoc maxime in Scholis disputationes Vid. Franc. Tolet.* de anima l. 2. c. 3. quæst. 7. *Augustinus*, in Ecclesiæ dogmat. c. 15. *docet in homine solum unam rationalem esse animam. Idem confirmatur in Concilio Vienensi & habetur in Clementinis* de summa Trin. & Fid. Cath. *alii quatuor animæ facultates, alii septem, Aristot. tres statuit. Vid. Voss.* l. 2. c. 47. de Orig. & progr. idololatr.

Mysticam Pythagoricæ Philosophiæ rationem) *Quomodo Pythagorei numeros & figuras insignierint Deorum appellatione vide apud Plutarch.* Libr. de Iside & Osiride: Triquetrum, *inquit*, æquis lateribus Minervam vocaverunt, fastigigenam & Tritogeniam: quia tribus perpendiculis ductis à tribus angulis definitur. Vnum Apollinem leporis gratia & simplicitatis monadis. Diadem contentionem & audaciam, triadem justitiam. *Vid. plura* ibid. *Pythagoræ dicta involuta explicat ibidem. Videatur idem* de instituendis liberis. *Vid. & omnino eund.* l. 8. quæst. convival.

vival. quæst.7. & 8. *de sua Philosophia vide & Agellium* in noct. Attic. l.1.c.9. & *Lact.*l.6.c.3.

Arcanam numerorum magicam) *Vt est Algebra & Cabala. de prima vide* Clavium & *nuper Patavii editum librum de* Algebra nova, *cujus auctor Ioannes de Luneschlos. Eius præstantiam laudat Cardanus* l.10 Arithm. & *Clavius* ad 2.defin. l.2. Euclid. *Mersennius* in Gen. *ex ea multa argumenta contra Atheos depromit. De Cabala vide Archangeli Minoritæ* interpretationes in selectiora Cabalistarum dogmata. *Iohan. Reuchl. & Paul. Riccium* de arte Cabalisticâ, & Petr. Galatinum in libr. de arcanis cathol. verit. *adde Picum Mirandulam* in conclus. Cabalist. *ubi dicit per secretissimam viam Cabalæ investigari posse futuram esse consummationem seculi, hinc ad annos* 500. & 14. & *dies* 25. *Optimè de ea scripsit Rabbi Ioseph. Bar Abraam* in libro, cui titulus *Hortus Noæ. De hac numerorum magia vid. & Rob. Flud. in* Historia microcosm. *tractat ibi multis, de magnis numerorum mysteriis.*

Cave à Philosophia, præceptum non est nimis laxe) *Sana Philosophia homines ad cognitionem Dei adducere videtur & præsertim illa, quæ animum à sensibus abducit & ad res cœlestes attollit. Vide Porphyrium* in libro de Occasionibus sive causis ad intelligibilia nos ducentibus. *Vnde Gregorius* in oratione, qua Basilio parentat: Illud, *inquit*, inter omnes sanæ mentis hominesconstare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium tenere locum, & non quidem hanc solam nobiliorem ac nóstratem: sed istam quoque externam, quam multi Christiani ut insidiosam & periculosam & à Deo avertentem repudiant pérperam sentientes. *Nam & hac scilicet paganorum Philosophia nos ad considerationem mirabilium Dei ducit. Recte Plato* in Epinom. Ratio omnium divinissima mun-

dum constituit visibilem, quem vir felix primum admiratur, deinde accenditur cupiditate discendi, quæcunque à natura mortali percipi possunt. *Vnde Alcinous Platonicus* cap. 7. de Doctr. Acad. Astrologiæ, *inquit*, dum incumbimus, ab iis, quæ oculis percipiuntur, ad invisibilem ducimur essentiam. *Eapropter ipse Apostolus*, Roman. 1. *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur. Ex his Stoici omnem Dei cognitionem traxerunt, ut Plutarchus* in libro de diversis Philosophor. placitis *testatur*, & *Lucilius* apud Cicer. lib. 2. de natura Deor. *ita*: Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis; quo hæc regantur. quod ni ita esset, qui potuisset consensu omnium dicere Ennius? Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem. *Errarunt tamen illi graviter, quod mundum rationis compotem, sensu præditum, imò esse Deum statuerint. Vide apud Ciceron.* eodem libro, *quæ Zeno profert. Pulchra sunt, quæ Lucilius* ibidem: An si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut etiamsi Dominum non videas, muribus illam & mustelis ædificatam putes: tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cœlestium, tantam vim ac magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non Deorum immortalium domicilium putes, nonne planè desipere videare? *Seneca* in libro de Providentia c. 1. Supervacuum est in præsentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & quæ casus incitat, sæpe turbari & citò arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum

morum luminum & ex dispositione lucentium: non esse materiæ errantis hunc ordinem. *Vid. ibid. sequentia. Manilius* l. 1. Astronom.

Quis credit tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum,
Si fors ipsa dedit nobis, fors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa,
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus?

Seneca in Hippolyt. act. 3.

Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum;
Celerique polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Vt nunc canæ frigora brumæ
Nudent sylvas; nunc arbustis
Redeant umbræ; Nunc æstivi
Colla leonis Cererem magno
Fervore coquant; viresque suas
Temperet annus? &c.

Exinde colligimus quod Philosophia multum ipsis Ethnicis profuerit, imò quod illis loco Theologiæ fuerit. Eapropter DaVid, Cœli enarrant gloriam Dei. *Ps.*19.V.1 *Mathematicus non sine admiratione hanc mundi fabricam considerare potest: Omnia enim in certum finem disposita Videt. Aut Solem, aut terram, aut totam materiam cœli, in qua Planetæ Versantur, mobilem statuamus; nihilominus, eiusmodi Vices temporum eVadunt, ut plurima regiones à radiis solis commodum capiant. Quemcunq; motum aut terræ, aut cœlo, aut soli tribuas, omnia certum in finem ordinata inVenies. Si Sol sub perpetuo æquatoris circulo ex ortu in occasum raperetur, lucem omnibus præstaret, sed in multis regionibus perpetua æstas, in multis*

perpetua hyems esset: alium ergò cursum divina providentia illi constituit. Si terra esset quadrata aut triangularis, radii Solis illi deessent; rotundam eam ideò esse oportuit. Sub Zona frigida 3.4.5. aut 6. mensibus Sol absens est, sed totidem mensibus absentiam præsentia compensat. Ne sub Zona torrida terra nimio calore marescat & inhabitabilis reddatur (ut olim antiqui nugati sunt) attrahi radiis suis vapores, qui subito caloris sui vehementia resoluti in guttas destillant, terram humectant, caloremq; adeo mitigant, ut tolerabilior in Regno Peruviano ac Mexicano, quam sæpe in ipsa Hispania, videatur. Quis hæc omnia æquo judicio ponderans, non clarissimum divinæ providentiæ documentum habebit? Quis non admiretur magna illa Dei opera, nempe Planetas ac Stellas fixas, quarum ratione terra vix punctum est? Et quantum est, quod adhuc nescimus? Forsan sumus in summum illud Ens injurii, arbitrantes omnia, hæc solum propter nos esse facta ut jam olim Stoici philosophati sunt: de quo vide Cicer. l.2.de nat. Deor. *De Deo optimè existimare est pietatis exordium: Parum ideò peccare videntur, qui dicta mira Solis ac Lunæ Phænomena observantes, magis magnificè de Deo credunt. Pauca illa, quæ Mathesis docere potest, superbiam nostram expellere possunt. Tunc tamen Philosophia homini Christiano maximè nocet, cum per eam homines superbire, nimium sibi tribuere, atque fidei articulos secundum Philosophiæ rationes dimetiri incipiant: sed quam fallacia ac parum solida sint Philosophiæ fundamenta, docent ipsæ Philosophorum sectæ, dum una alterius fundamenta destruit. Legas opera* Helmontii & Cartesii, *& videbis quam parum illis fidendum sit.*

Pro machinis & scalis, ad Theologiæ muros] *Optime Poeta* Tusciæ Petrarcha:

Che sono scala al Fattor che ben le stima.

Ab Hermetico illo dogmate) *Exstat simile quid apud Cyrill.* l. 2. contra Iulianum; Afferam, *inquit*, ad hoc, quæ Hermes ad suam mentem: *Ita* enim liber nominatur. Deinde, *inquit*, invisibilis Deus: lauda: & quis illo fulgidior, propter hoc fecit omnia, ut per omnia videatur. Hæc est Dei bonitas, hæc virtus, ut per omnia videatur ipse &c. *ita* Wolfg. Musculus *hæc latina reddidit. Latini Hermetem appellant Mercurium Trismegistum. libri qui illi attribuuntur suppositiii & à Christianis (ut eruditi arbitrantur, & libri ipsi indicant) conscripti sunt. Conf. ea quæ* in Pimandro dial. 1 *de Creat. Mundi & de homine scripsit, cum iis, quæ Moyses in Genesi & ea quæ* in Pimand. dial. 13. *de mysterio regenerationis cum nostra religione, animadvertes hunc tractatum à quodam Christiano, ut eò facilius nostræ religionis mysteria paganis persuaderentur, fuisse scriptum; fateor tamen multa profana in illo libro immixta inveniri. Vid.* in Asclepio c. 9. *ubi & idololatriam laudat; sed oportebat ita, ne pagani piam hanc fraudem animadverterent. Sæpe tamen ab Augustino* in libro de civitate Dei, Lactantio & Aliis Patribus citatur. *Citatur etiam à Iamblicho* in lib. de mysteriis. *Quanquam fateatur Mercurium ipsum non esse auctorem omnium librorum, qui sub eius titulo circumferuntur; dicit tamen omnes continere opiniones mercuriales; etsi sæpe Philosophorum Græcorum stylo loquuntur, esse tamen ex lingua Aegyptiaca in Græcam translatos. sed Casaub.* Exercit. in apparat. Ann. Baron. cap. 10. num. 18. *demonstrat à Græcis omnia esse conscripta & ficta, nec ex Lingua Aegyptiaca conversa in Græcam. Ea quæ hodie ex eius operibus super-*

ſunt, edita ſunt à Marſil. Ficino, Franc. Patritio & Fratre Hannib. Roſelio ex ordine Minorum Regularis obſervantiæ, *qui vaſtum commentarium in Pimandr. conſcripſit. An Hermes illorum librorum, qui nunc ipſi attribuuntur, auctor ſit, vide apud Conringium in libro, quem nuper* de Hermetica Medicina *edidit*, cap. 4. & 5. *ubi prolixe demonſtrat hos libros non eſſe multum antiquos, & incertæ fidei. Eodem ferè modo ut hic Hermes philoſophatur. Seneca* in præfat. l. 1. de natural. quæſt. Quid, *inquit*, eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, qua nihil maius excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum & extra & intra tenet.

Sect. XII.

ALterum illud attributum, quo pietatem meam recreare ſoleo, eſt Sapientia eius. Hæc me beat, huius ſolius meditandæ cauſa non pœnitet me in literarum ſtudiis fuiſſe educatum. Hac in re quoties mecum reputo, quanto beatior ſit noſtra quam vulgi conditio, & quanta hinc animi fælicitas usque accedat, omnium equidem ſtudiorum meorum in quocunque tandem ſcientiæ genere poſitorum amplam & liberalem mercedem percepiſſe videor. Sapientia eſt pulcherrimum eius attributum, quam licet nemini mortalium conſequi detur, grata tamen fuit Deo † Salomonis oratio eandem petentis. Ideo ſapiens eſt, quia omnia novit, & ideo omnia

mnia novit, quia universa creavit; eius tamen sapientiæ summa est, id comprehendisse, quod non creavit, nimirum seipsum: Hæc ut ipsi est, ita homini etiam suprema sapientia. Hanc ob causam meum vitæ institutum pluris æstimo, & ipsius Diaboli consilium amplector: † si quæ * Delphis, ea olim in Paradiso præcepisset, & nosmet ipsos felicius nossemus, nec metuissemus novisse illum. Sapientem esse in omnibus scio, in iis quæ intelligimus admirabilem, in iis tamen longe admirabiliorem, quæ intellectu comprehendere nequimus. Nos illum per umbram tantum & reflexionem quasi limis intuemur. Hebetior est mentis nostræ acies, quam † Mosis oculi; nos enim posteriores inferioresque Divinitatis partes ignoramus. † Arcanum consiliorum eius labyrinthum explorare velle, non tantum stultitiæ est in hominibus, sed in ipsis etiam Angelis audaciæ. Ut nos, sic illi quoque famuli eius sunt, non senatores: Non aliud concilium habet, quam mysticum illud Trinitatis; in quo licet † tres sint personæ, unica tamen mens est, quæ nullo refragante decernit. Non illi consultatione opus est: nec enim ex deliberatione proficiscuntur actiones eius. Quod optimum factu fuerit, sua protinus natura sapientia eius intelligit. Summis

* γνῶθι σεαυτὸν

Nullam creaturam ſui capacem] *Helmontius* libr. de Anima. *ita:* Divinæ voluntatis placitum fuit, quod homo cognitionem ſui non aliunde peteret, quam ab initio ac fonte ſui : qui eſt totius Philoſophiæ principium, medium, finis, ſcopus & ſummus veritatis apex. *Iamblich.* de Myſter. Aegyptior. Anima humana à caduco corpore nimium obumbrata eſt; ideò nullam habet ad divinum opus potentiam efficacem.

Seipſum comprehendere poſſe, eius ipſius ſolum naturæ proprium] *Proclus* in Platon. Theolog. l 6. c. 8, Solus ille rerum univerſarum unus & individuus opifex & creator & principium, & medium & finis, omnia entia in ſe ipſo comprehendens. Vnde *Damaſcenus:* univerſum illud eſſe in ſeipſo habet, quaſi mare quoddam infinitum & immenſum. *Vid.* l 1. fid orthod. c. 4. *Iamblichus de myſter. Aegyptior. ita:* Immaterialis ipſe, indiviſus, immobilis & ingenitus, totusque ex ſeipſo, & in ſeipſo. *Lactant.* l. 2 c. 5. Qui vocatur Deus, cuius principium quoniam non poteſt comprehendi, ne quæri quidem debet. *Auguſtin.* Quæſt. veter. ac nov. Teſtam. Deus hoc eſt quod nulla attingit opinio. Plus enim eſt, quam quicquid dici poterit aut cogitari. *Cyprianus* in Symbol. De Deo etiam verum dicere periculoſum eſt.

Sum qui ſum] אהיה אשר אהיה *Exod.* 3. v. 14. h. e. *ſum qui ſum, ero qui ſum: quod paraphraſtes reddidit*, ego qui fui, & ego idem nunc, & ego idem in futurum. *Iohann.* in princip. Apocalypſ v. 4. Εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *h. e.* Pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. *Plura myſtica de hoc vide ap. Iohann. Buxtorff.* in Lexic. Hebraic. & Chald. & *Roſel.* in Pimandr. Mercur. l. 3. comm. 1. dialog. 3.

Ille ſolus eſt] *Nam eſt* יהוה *Ens exi-*

ſtens

stens ab æterno in æternum, aut primum sine principio, aut ultimum sine fine.

Distinctiones temporum non habet æternitas] *Proclus* Philos. Platon. c. 52. in inst. Theolog. Omne quod est æternum, totum simul est, sive suam essentiam tantum habeat æternam, ita ut ipsam totam simul præsentem habeat, non autem partem ipsius jam constitutam, partem verò postea constituendam, illam scil. quæ nondum, sed quanta esse potest, tantum ipsum totum jam possidet, sine imminutione & sine intensione. *pergit:* Si æternum est, quod semper est, ipsum vero esse & ipsum fieri, diversum ab eo quod semper est: ergò non oportet alterum quidem prius esse, alterum posterius.

Tantoque negotio etiam à doctissimis explanata] *Ipse Augustinus non satis constans in explicatione eius fuit. In Expositione proposit ex Epistola ad Romanos.* Non eligit Deus opera cuiusquam in præscientia, sed fidem elegit in præscientia; ut quem sibi crediturum esse præscivit ipsum elegerit, cui spiritum daret. *Sed hæc retractat* l. 1. retract c. 23. *& quantum negotii prædestinatio Concilii Tridentini patribus dederit, Vide apud Petr. Suavium* Hist. Conc. Trid. sub Paulo 3. l. 2.

Non est apud eum præscia futuræ nostræ conditionis determinatio] *Contrarium sentiunt BB. Patres. Vide Irenæum* l. 4. c. 76. *Origen.* in prima verba Epistolæ ad Romanos. *Ambros.* l. V. de Fide ad Gratianum August. c. 11. *Hieronym.* in commentar. in Gal. 1. 15. *Vide & Vossium* l. 2. de Origine ac progressu idololatr. c. 50. *& Hannib. Roselium* in comment. in Pimandr. Mercurii l. 4. comment. X. quæst. 4.

Voluntatis eius sententia, eo ipso momento completa] *Mercurius* in Asclepio: Placitum

Dei

Dei necessitas sequitur; voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit, cum & futurum est, & placiturum multo ante sciverit. *Sen. II.* natur. quæst. Ordinem fati æterna series regit, cuius hæc prima lex est stare decreto. *Vide plura apud Lipsium* in Prud. Civil. l. 1. c. 4.

In sinu Abrahami) *Luc.* 16. ℣. 22.

Sanctus Petrus dixit) 2. *Petr.* 3. ℣. 8.

Sect. XI.

NOn aliud attributum maiore difficultate Trinitatis mysterium implicat, ubi in relatione Patris & Filii neganda est prioritas. Mirum mihi videtur, qua ratione † Aristoteles mundum æternum fuisse intellexerit, aut duo simul æterna constare voluerit. † Similitudo illa de triangulo intra quadrangulum contento, illustrare aliquantulum videtur illam animarum nostrarum trinitatem, ut & ea vicissim † triplicem Dei unitatem. In nobis enim non tres sunt animæ, sed animarum trinitas. Tres sunt, si non animæ distinctæ, distinctæ tamen facultates, quæ in distinctis etiam subiectis, & possunt, & solent seorsim subsistere, ita tamen in nobis unitæ, ut unicam tantum animam & substantiam constituant. Si qua daretur tanta perfectione anima, ut tria distincta corpora simul informare possit, hanc pusillam quandam trinitatem dicere liceret. Et si nume-

merum ternarium distinctum animo fingas, intellectu non divisum, aut separatum, sed in unitate sua contentum; ea demum est perfecta trinitas. † Mysticam illam Pythagoricæ philosophiæ rationem, † arcanamque numerorum Magicam sæpe admirari solitus sum. † Cave à Philosophia, præceptum non est nimis laxe interpretandum: Nam in hac rerum naturalium compage, Theologica quædam legere est, non illa quidem literis maiusculis, sed stenographia quadam, brevibusq; characteribus expressa, quæ in tenebrosa scientiæ abysso prudentioribus pro lucernis esse possunt, illisque, qui sano judicio uti, fidemque integram servare norunt, pro machinis & scalis, ad Theologiæ muros arcesque altissimas conscendendas. Me nunquam severiorum Scholarum risus † ab Hermetico illo dogmate deterruerit, nihil aliud, nimirum hunc mundum visibilem esse, quam invisibilis simulacrum, in quo res nullæ veras essentias sortiuntur, sed æquivocas tantum icones & effigies, prout substantiam aliquam magis realem in fabrica illa invisibili referunt.

ANNOTATA
ad Sect. XI.

Aristoteles mundum æternum fuisse) *Vid. Arist.* l. 1. de Cœl. c. X. & *Voss.* l. 2. c. 38. de Orig. ac progressu

greſſu idololatr. *Præcipua eius ratio eſt; omnia quæ generantur etiam corrumpi videri. refellit Platonem (quem vide in Timæo) qui ſtatuit cælum factum, non tamen eſſe corruptibile. Cum Ariſtotele conſentit Manil.* l.1. Aſtron.

Hæc æterna manet divisque ſimillima forma.
Cui neque principium eſt usquam, nec finis in ipſo:
Sed ſimilis toto remanet, perq; omnia par eſt.
& poſt:
At manet incolumis Mundus, ſuaque omnia verſat,
Quæ non longa dies auget, minuitq; ſenectus,
Nec motus puncto currit, curſuque fatigat.
Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem,
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aſpicient: &c.

Cæcilius Ethnicus apud Minutium Felicem in Octav. *ridet, Chriſtianos cælo & aſtris interitum denuntiare, & Auguſtinus* l. 10. c. 24. de Civit. Dei, *dicit, Porphyrium Chriſtianos arguere maximæ ſtultitiæ, quod iſtum mundum dicant eſſe periturum. Lactant.* l. 7. c. 1. *refutat Ariſtotelem & laudat Epicurum, qui dixit ortum & aliquando periturum mundum: Vnde Lucretius ex ſchola Epicuri* libr.5.

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terraï & cœli, ſemperque æterna fuere:
Cur ſupra bellum Thebanum aut funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere poëtæ?

Id quod hic Lucretius, & artium inventiones ac progreſſus probant, & ipſe Ariſtotel. l. ſupra dicto, *fatetur omnes Philoſophos mundum eſſe genitum dicere: hos verò ſempiternum; alios corruptibilem.* In libr. de mundo c. 6. *dicit, mundum eſſe à Deo; & hanc opinionem eſſe vetuſtam. Scalig.* Exercit. 3. *probat, quod creationem mundi haud*

dihaud impugnaverit. Vid. apud Franc, Tolet. in commentar. in octo libr. Aristot. de Physica l. 8. c. 2. *magnum argumentorum numerum, quibus mundum haud posse esse aeternum probatur. Vid. & Voss.* l. 2. c. 38. de Theol. Gent. *Varias sententias Philosophorum de mundi principio, vide apud Plutarchum* de placitis Philosophor. c. 3. *Mercurius Trismegistus in* Pimandr. *de Mundi creatione fermè idem quod Moyses scribit. Phœnices principium huius universi statuunt, aërem tenebrosum ac spiritalem, & chaos turbidum. Vid. Euseb.* l. 1. præpar. c. 7. *secund. edit.* Basil. Thales *putat aquam fuisse primum elementum, ex hoc surrexisse omnia. Vid. Senecam* l. 3. natur. quæst. c. 13. Aegyptios credidisse mundum ut ortum, ita & interiturum *tradit Laert. in proœm. Deum fecisse omnia ex chao asserit* Ovid. l. 1. Metamorphos.

Ante mare & terras, &, quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan &c.

& 1. *Fastor.*

Lucidus hic aër & quæ tria corpora restant,
Ignis, aqua & tellus, unus acervus erant.

Idem censet Lucan. l. 1. Bell. Civil.

— — sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, &c.

Quod Phœnices, Aegyptii, Indi, Græci, ut Hesiodus & Comicorum vetustissimus Aristophanes, Empedocles, Platonici, Anaxagoras, Aratus, Mundum

vival. quæſt. 7. & 8. *de ſua Philoſophia vide & Agellium* in noct. Attic. l. 1. c. 9. & *Lact.* l. 6. c. 3.

Arcanam numerorum magicam) *Vt eſt Algebra & Cabala. de prima vide* Clavium & *nuper Patavii editum librum de* Algebra nova, *cujus auctor Ioannes de Luneſchloſ. Eius præſtantiam laudat Cardanus* l. 10. Arithm. & *Clavius* ad 2. defin. l. 2. Euclid. *Merſennius* in Gen. *exea multa argumenta contra Atheos depromit. De Cabala vide Archangeli Minoritæ* interpretationes in ſelectiora Cabaliſtarum dogmata. *Iohan. Reuchl. & Paul. Riccium* de arte Cabaliſticâ, & Petr. Galatinum in libr. de arcanis cathol. verit. *adde Picum Mirandulam* in concluſ. Cabaliſt. *ubi dicit per ſecretiſſimam viam Cabalæ inveſtigari poſſe futuram eſſe conſummationem ſeculi, hinc ad annos* 500. & 14. & *dies* 25. *Optimè de ea ſcripſit Rabbi Ioſeph. Bar Abraam* in libro, cui titulus *Hortus Noa. De hac numerorum magia vid. & Rob. Flud. in* Hiſtoria microcoſm. *tractat ibi multis, de magnis numerorum myſteriis.*

Cave à Philoſophia, præceptum non eſt nimis laxe) *Sana Philoſophia homines ad cognitionem Dei adducere videtur & præſertim illa, quæ animum à ſenſibus abducit & ad res cœleſtes attollit. Vide Porphyrium* in libro de Occaſionibus ſive caufis ad intelligibilia nos ducentibus. *Vnde Gregorius* in oratione, qua Baſilio parentat: Illud, *inquit*, inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium tenere locum, & non quidem hanc ſolam nobiliorem ac noſtratem: ſed iſtam quoque externam, quam multi Chriſtiani ut inſidioſam & periculoſam & à Deo avertentem repudiant pérperam ſentientes. *Nam & hac ſcilicet paganorum Philoſophia nos ad conſiderationem mirabilium Dei ducit. Recte Plato* in Epinom. Ratio omnium diviniſſima mun-

dum constituit visibilem, quem vir felix primum admiratur, deinde accenditur cupiditate discendi, quæcunque à natura mortali percipi possunt. *Vnde Alcinous Platonicus* cap. 7. de Doctr. Acad. Astrologiæ, *inquit*, dum incumbimus, ab iis, quæ oculis percipiuntur, ad invisibilem ducimur essentiam. *Eapropter ipse Apostolus*, Roman. 1. *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur. Ex his Stoici omnem Dei cognitionem traxerunt, ut Plutarchus* in libro de diversis Philosophor. placitis *testatur*, *& Lucilius* apud Cicer. lib. 2. de natura Deor. *ita*: Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis; quo hæc regantur. quod ni ita esset, qui potuisset consensu omnium dicere Ennius? Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem. *Errarunt tamen illi graviter, quod mundum rationis compotem, sensu præditum, imò esse Deum statuerint. Vide apud Ciceron.* eodem libro, *quæ Zeno profert. Pulchra sunt, quæ Lucilius* ibidem: An si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut etiamsi Dominum non videas, muribus illam & mustelis ædificatam putes: tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cœlestium, tantam vim ac magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non Deorum immortalium domicilium putes, nonne planè desipere videare? *Seneca* in libro de Providentia c. 1. Supervacuum est in præsentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & quæ casus incitat, sæpe turbari & citò arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum

horum luminum & ex dispositione lucentium: non esse materiæ errantis hunc ordinem. *Vid. ibid. sequentia.* *Manilius* l. 1. Astronom.

Quis credit tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum,
Si fors ipsa dedit nobis, fors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa,
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus?

Seneca in Hippolyt. act. 3.

Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Vt nunc canæ frigora brumæ
Nudent sylvas; nunc arbustis
Redeant umbræ; Nunc æstivi
Colla leonis Cererem magno
Fervore coquant; viresque suas
Temperet annus? &c.

Exinde colligimus quod Philosophia multum ipsis Ethnicis profuerit, imò quod illis loco Theologiæ fuerit. Eapropter David, Cœli enarrant gloriam Dei. *Ps.19.v.1 Mathematicus non sine admiratione hanc mundi fabricam considerare potest: Omnia enim in certum finem disposita videt. Aut Solem, aut terram, aut totam materiam cœli, in qua Planetæ versantur, mobilem statuamus; nihilominus, eiusmodi vices temporum evadunt, ut plurimæ regiones à radiis solis commodum capiant. Quemcunq, motum aut terræ, aut cœlo, aut soli tribuas; omnia certum in finem ordinata invenies. Si Sol sub perpetuo æquatoris circulo ex ortu in occasum raperetur, lucem omnibus præstaret, sed in multis regionibus perpetua æstas, in multis perpe-*

perpetua hyems esset: alium ergò cursum divina providentia illi constituit. Si terra esset quadrata aut triangularis, radii Solis illi deessent; rotundam eam ideò esse oportuit. Sub Zona frigida 3.4.5. aut 6. mensibus Sol absens est, sed totidem mensibus absentiam præsentia compensat. Ne sub Zona torrida terra nimio calore marescat & inhabitabilis reddatur (ut olim antiqui nugati sunt) attrahi radiis suis vapores, qui subito caloris sui vehementia resoluti in guttas destillant, terram humectant, caloremq; adeo mitigant, ut tolerabilior in Regno Peruviano ac Mexicano, quam sæpe in ipsa Hispania, videatur. Quis hæc omnia æquo judicio ponderans, non clarissimum divinæ providentiæ documentum habebit? Quis non admiretur magna illa Dei opera, nempe Planetas ac Stellas fixas, quarum ratione terra vix punctum est? Et quantum est, quod adhuc nescimus? Forsan sumus in summum illud Ens iniurii, arbitrantes omnia, hæc solum propter nos esse facta ut jam olim Stoici philosophati sunt: de quo vide Cicer. l.2.de nat. Deor. *De Deo optimè existimare est pietatis exordium: Parum ideò peccare videntur, qui dicta mira Solis ac Lunæ Phænomena observantes, magis magnificè de Deo credunt. Pauca illa, quæ Mathesis docere potest, superbiam nostram expellere possunt. Tunc tamen Philosophia homini Christiano maximè nocet, cum per eam homines superbire, nimium sibi tribuere, atque fidei articulos secundum Philosophiæ rationes dimetiri incipiant: sed quam fallacia ac parum solida sint Philosophiæ fundamenta, docent ipsæ Philosophorum secta, dum una alterius fundamenta destruit. Legas opera* Helmontii & Cartesii, *& videbis quam parum illis fidendum sit.*

Pro machinis & scalis, ad Theologiæ muros] *Optime Poeta* Tusciæ Petrarcha:

Che sono scala al Fattor che ben le stima.

Ab Hermetico illo dogmate) *Exstat simile quid apud Cyrill.* l. 2. contra Iulianum: Afferam, *inquit*, ad hoc, quæ Hermes ad suam mentem: *Ita* enim liber nominatur. Deinde, *inquit*, invisibilis Deus: lauda: & quis illo fulgidior, propter hoc fecit omnia, ut per omnia videatur. Hæc est Dei bonitas, hæc virtus, ut per omnia videatur ipse &c. *ita* Wolfg. Musculus *hæc latina reddidit. Latini Hermetem appellant Mercurium Trismegistum. libri qui illi attribuuntur supposititii & à Christianis (ut eruditi arbitrantur, & libri ipsi indicant) conscripti sunt. Conf. ea quæ* in Pimandro dial. 1. *de Creat. Mundi & de homine scripsit, cum iis, quæ Moyses in Genesi & ea quæ* in Pimand. dial. 13. *de mysterio regenerationis cum nostra religione, animadvertes hunc tractatum à quodam Christiano, ut eò facilius nostra religionis mysteria paganis persuaderentur, fuisse scriptum: fateor tamen multa profana in illo libro immixta inveniri. Vid.* in Asclepio c. 9. *ubi & idololatriam laudat; sed oportebat ita, ne pagani piam hanc fraudem animadverterent. Sæpe tamen ab Augustino* in libro de civitate Dei, Lactantio & Aliis Patribus citatur. *Citatur etiam à Iamblicho* in lib. de mysteriis. *Quanquam fateatur Mercurium ipsum non esse auctorem omnium librorum, qui sub eius titulo circumferuntur; dicit tamen omnes continere opiniones mercuriales; etsi sæpe Philosophorum Græcorum stylo loquuntur, esse tamen ex lingua Aegyptiaca in Græcam translatos. sed Casaub.* Exercit. in apparat. Ann. Baron. cap. 10. num. 18. *demonstrat à Græcis omnia esse conscripta & ficta, nec ex Lingua Aegyptiaca conversa in Græcam. Ea quæ hodie ex eius operibus super-*

sunt, edita sunt à Marsil. Ficino, Franc. Patritio & Fratre Hannib. Roselio ex ordine Minorum Regularis observantiæ, *qui vastum commentarium in Pimandr. conscripsit. An Hermes illorum librorum, qui nunc ipsi attribuuntur, auctor sit, vide apud Conringium in libro, quem nuper* de Hermetica Medicina *edidit*, cap. 4. & 5. *ubi prolixe demonstrat hos libros non esse multum antiquos, & incertæ fidei. Eodem ferè modo ut hic Hermes philosophatur. Seneca* in præfat. l. 1. de natural. quæst. Quid, *inquit*, est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum & extra & intra tenet.

Sect. XII.

ALterum illud attributum, quo pietatem meam recreare soleo, est Sapientia eius. Hæc me beat, huius solius meditandæ causa non pœnitet me in literarum studiis fuisse educatum. Hac in re quoties mecum reputo, quanto beatior sit nostra quam vulgi conditio, & quanta hinc animi fælicitas usque accedat, omnium equidem studiorum meorum in quocunque tandem scientiæ genere positorum amplam & liberalem mercedem percepisse videor. Sapientia est pulcherrimum eius attributum, quam licet nemini mortalium consequi detur, grata tamen fuit Deo † Salomonis oratio eandem petentis. Ideo sapiens est, quia omnia novit, & ideo omnia

mnia novit, quia universa creavit; eius tamen sapientiæ summa est, id comprehendisse, quod non creavit, nimirum seipsum: Hæc ut ipsi est, ita homini etiam suprema sapientia. Hanc ob causam meum vitæ institutum pluris æstimo, & ipsius Diaboli consilium amplector: † si quæ * Delphis, ea olim in Paradiso præcepisset, & nosmet ipsos felicius nossemus, nec metuissemus novisse illum. Sapientem esse in omnibus scio, in iis quæ intelligimus admirabilem, in iis tamen longe admirabiliorem, quæ intellectu comprehendere nequimus. Nos illum per umbram tantum & reflexionem quasi limis intuemur. Hebetior est mentis nostræ acies, quam † Mosis oculi; nos enim posteriores inferioresque Divinitatis partes ignoramus. † Arcanum consiliorum eius labyrinthum explorare velle, non tantum stultitiæ est in hominibus, sed in ipsis etiam Angelis audaciæ. Ut nos, sic illi quoque famuli eius sunt, non senatores: Non aliud concilium habet, quam mysticum illud Trinitatis; in quo licet † tres sint personæ, unica tamen mens est, quæ nullo refragante decernit. Non illi consultatione opus est: nec enim ex deliberatione proficiscuntur actiones eius. Quod optimum factu fuerit, sua protinus natura sapientia eius intelligit. Summis

* γνῶθι σεαυτὸν

usq; & puriſſimis Bonitatis ideis mens abundat, conſultatio & electio, quæ in mente noſtra diverſæ ſunt operationes, in illo tantum una ſunt & ſimplex motio. Accedente enim voluntate protinus à potentia eius profluunt actiones. Metaphyſicæ ſunt ſpeculationes iſtæ, meæ autem ſumiſſiori contentæ methodo, ea tantum veſtigia ſectantur, & explorant, quæ in creaturis ſuis obviiſque naturæ effectibus impreſſa reliquit. † Nullo periculo exploratur myſteriorum horum profunditas: † Sanctum Sanctorum non habet Philoſophia. Brutis quidem ad habitationem, hominibus vero † ad contemplationem mundus creatus eſt. Debitũ hoc Rationis noſtræ erga Deum officium eſt, idque illi eo nomine præſtandum, quod nos bruta animalia non eſſe voluerit. Hoc ſi demeres, non aliter ſe res haberet quam olim ante mundum creatum; aut ante diem ſextum, cum nondum eſſet ulla creatura, quæ aut mundum intelligeret, aut creatum agnoſceret. Ad divinam ſapientiam perexiguus honor redit † à rudi illa hominum turba, qui tantum ruſtica quadam & craſſa admiratione eius opera ſuſcipiunt. Illi eum egregio honore accumulant, qui operibus eius conſulto & prudenter exploratis, creaturiſque diligenter perſpectis, † doctæ piæque admirationis officium præſtant. Hanc itaque ob cauſam;

Excute

EXeute naturam solers, ipsisq; petitum
Imi Erebi cellis redimat mens impigra verum.
Causarum palantum acies, agmenq; coërce
Ordinibus, rerum series hinc inde retexens.
Condidit æthereum tibi qui cum corpore mentem
Sola agnoscendus, solaq; colendus ab illa,
Hoc jubet, hoc poscit: Quem quamvis noverit illa
Sons Erebo damnata cohors, non laudibus ullis
Concelebrare studet, merito non tollere honore,
Dirus amor tantum est animis, studiumq; nocendi,
Hæc igitur versans divina volumina rerum
Fac ô sic relegam, sic ô pater optime nostrum
Proficiat studium, mox ut provectior ad te
Discendum pergam. Cauto petere alta volatu
Sic animum doceas, nimis ut sublimia vitem,
Lassatisq; alis ut te super usq; residam.
Sic animus cautis, tamen & sublimibus, alis
Propter humum volitans summum superabit O-
lympum.
Tandem Naturæ campos prædatus opimos
Parva apis exemplo referar, similiq; susurro
Usq; tua decus, & laudis meditabor honores.
Donec paulisper mors interpellet, at inde
Æterno det idem dulci modulamine carmen.

Hæc fere sunt in quibus submissa creatura gratiam quodammodo referre Creatori poterit. Si enim non ille servandus est qui dicit, *Domine, Domine*; sed † *qui facit quod vult Pater*; Profecto † velle nostrum operum loco esse oportebit, faciendique studium faciendorum vices supplere. Aliter enim quæcunque hic piè syncereque conati sumus, nobis olim anxietatem tan-

tum in sepulchro afferent, efficientque ut potius metuenda sit, quam speranda resurrectio.

ANNOTATA Ad Sect. XII.

Salomonis oratio] *Vid.* 3. *Reg.*3. *V.*9. *&c.*

Si quæ Delphis] *Vide Platonem* in Charmide *&* *Erasmi* Adagia centur. 6. Prov.95. *Plato* in Alcib.1. Cæterum ô beate mihi parens & illi, quod in Delphis est, Epigrammati obtemperans, nosce te ipsum.

Quam Mosis oculi] *Exod.* 33. *V.*20.

Arcanum consiliorum eius labyrinthum] *Vid.* Roman.xi.v.33. & *David. Ps.* 73. *V.* 16. *August.* de Civit. Dei libr.XI. c. 22. Divina nos admonet Providentia non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit; ibi credere occulta: Sicut alia, quæ vix potuimus invenire: atque hæc ipsa aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio.

Tres sunt personæ, unica tamen mens est] Ioann. 1.v.1. Ioann. 5. Ioann.14. *Vid. luculentissimam distinctionem apud Ioan.* 1. Ep.5. v. 7. Tres qui testificantur in cœlo, Pater, verbum & Spiritus Sanctus. *Scio hunc locum in multis græcis ac latinis codicibus jam olim haud repertum fuisse; eapropter etiam Augustinus nullo exinde testimonio contra Arianos utitur: Vsurpavit tamen Cyprianus* in libro de unitate Ecclesiæ; *Vixit tertio seculo, & ante Augustinum, qui quarto seculo celebris fuit. Tertullianus* in libro adversus Praxeam c.2. Perversitas se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non alias putat credendum. Quam si ipsum eundemque & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicat: quasi

quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ sc. unitatem, & nihilominus custodiatur ἀκοινωνίας sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit.

Nullo periculo exploratur mysteriorum horum profunditas] *Sed ea non nisi fide comprehendi, ac non nisi revelatione cognosci potest. Quanquam multi sunt, qui hoc conati fuerunt, Vid. Morneum* in lib. de Verit Relig. & *Iacob. Bohemum, Philosophum illum Germanum* in lib. de hoc mysterio. *Extat in suis oper. Quanquam ille homo sutor fuerit, nec animum literis applicuerit, mira tamen, sed plerumque adeo obscura & involuta, ut satis ego ea capere non possim, scribit. Vid. & Robert. Fludd* in hist. microcosm.

Sanctum Sanctorum] *Quid fuerit Sanctum Sanctorum apud Iudæos, Vide Cunæum* libr. 2. c. 1. de Republ. Hebr.

Ad contemplationem mundus creatus est] *Hinc Mercurius in* Pimandro: Homo effectus est divini operis contemplator, quod dum admiraretur, auctorem eius agnovit, *sed ratio mundi sine Deo comprehendi non potest ut Lactant.* lib. 7. cap. 2, *scribit.* Inprimis, *inquit*, causa errorum omnium Philosophis hæc fuit, quod rationem mundi, quæ totam sapientiam continet, non comprehenderunt. Ea vero sensu proprio & interna intelligentia non potest comprehendi, quod illi sine doctore per seipsos facere voluerunt: itaque in varias, sibiq; sæpe contrarias sententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent, & in eodem luto (sicut Comicus ait) hæsitaverunt; sc. assumptionibus eorū non respondente ratione; cum assumsissent quidem vera, sed quæ affirmari probariq; non possent sine scientia veritatis, rerumq; cœlestium, quæ non potest esse in homine, nisi Deo docente percepta. *Quantum tamen*

tamen mundi contemplatio prosit, supra ad Sect. XI. jam demonstravi.

A rudi illa hominum turba) *Hieronymus* ad Paulinum: Daniel, *inquit*, in fine sacratissimæ visionis ait: justos fulgere sicut Stellas, & intelligentes, id est, doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent justa rusticitas, & docta justitia: alii stellis, alii cœlo comparantur. Quanquam juxta hebraicam veritatem utrumq; de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Doctæ piæque admirationis officium præstant) *Unde Nazianzenus* orat. 2. de Theologia: Sicut qui citharam affabre structam conspicit, ejusque suavissimum concentum audit; ipsum citharæ artificem & cytharedum mente reputat, licet sibi de facie ignotum: ita qui mundi hanc harmoniam pulcherrimam intuetur, mundum à divino conditore factum intelligit, quamvis eum non videat. *Proclus* de Sacrificio & Magia interprete Marsilio Ficino *ita*: Quemadmodum amatores ab ipsa pulchritudine, quæ circa sensum apparet ad divinam paulatim pulchritudinem ratione progrediuntur: Sic & Sacerdotes antiqui cum considerarent in rebus naturalibus cognationem quandam compassionemque aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas & omnia in omnibus invenirent, sacram eorum scientiam condiderunt.

Sed qui facit quod vult Pater) *Matth.* 7. ℣. 21.

Velle nostrum) *Nempe velle facere voluntatem Dei.*

Sect.

Sect. XIII.

CAuſa rerum omnium primaria unica eſt, ſecundariæ quatuor. Quædam † efficiente carent, ut Deus; † quædam materia, ut Angeli; quædam forma, ut materia prima; nulla vero eſt eſſentia, ſive creata, ſive non creata, quæ non cauſam aliquam finalem habeat eſſentiæ ſuæ operationibusque propoſitam: Hanc in Naturæ operibus inveſtigare ſtudeo, ab hac pendet divina providentia. Pulcherrimam hanc orbis, rerumq; creatarum compagem ſtruxiſſe, opus erat ſolummodo † divinæ artis; at varias illas operationes ſingulisq; rebus ſua mandata munia, non niſi ex † ſapientiæ eius theſauris proficiſci oportuit. † Solis & Lunæ eclipſes una cum cauſis ſuis, naturis, & effectibus, materiam prope divinam ſpeculationi ſuggerunt; ſi vero res has penitius repetas, & rationem explorare contendas, cur eorum motiones in vaſto illo circuitu ad huiusmodi diſpoſuerit divina Providentia, ita ut ſibi invicem lumen eripiant, ſuavius ſane diſſeres, divinius philoſophaberis. Unde fit, ut in rebus nonnullis plus aliquando Theologiæ habere videatur Galenus in libris ſuis de Uſu partium, quam Suarezius in Metaphyſicis. Si quantum in reliquis, tantam in hac cauſa inveſtiganda diligentiam adhibuiſſet

Ari-

Aristoteles non imperfectam Philosophiam, sed perfectum Theologiæ tractatum reliquisset.

ANNOTATA.
Ad Sect. XIII.

Causa efficiente] *Plato ideo Deum vocat opificem universi,* in libro de Sophista.

Quædam materia, ut Angeli] *Tertull.* in lib. de Carne Christi c.6. constat Angelos carnem propriam non gestasse: utpote naturæ spiritalis, & si corporis alicuius sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, ut videri & congredi cum hominibus possint *Vide quod in libro* de anima c. 9. *scribit, id tamen minimè excusandum est. Plurimi patres statuerunt nihil præter Deum incorporeum dari. Nazianz,* tamen orat.2. de Theologia & Chrysost. orat.1. de Provident. *corpore illos carere censuerunt. Placet illud Augustini* de Civitate Dei l.21. c.10. Si quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat; non est de hac re aut laborandum operosâ inquisitione aut contentiosa certandum. *Psellus* de dæmonibus, *interprete Marsilio Ficino, Dæmones & Angelos corpora habere putat. Idem Platonici statuunt.*

Divinæ artis] *Lactant.* l.1. c 2. Stoici, &c. dicentes, nec fieri mundum sine divina ratione potuisse: nec constare, nisi summa ratione regeretur. *Plutarch.* de Placitis Philosoph Nil pulchri temerè nascitur, sed ab arte aliqua efficitur.

Sapientiæ eius] *Ea propter apud Pythagoram ac Platonem solus Deus sapiens est. Vide Mars. Ficin.* in Sophist. Platon. *& ipse Plato* in Phædro circa finem: Sapientis, *inquit,* cognomen, ô Phædre, magnum solique Deo convenire videtur.

Solis

Solis & Lunæ eclipses cum causis suis, naturis & effectibus] *Fit Eclipsis Solis, Luna prope Eclipticam nullam aut parvam latitudinem obtinente, & in novilunio, ac coniunctione cum Sole interposita inter nostrum visum ac solarem discum. Secundum Ptolemæum oportet ad Eclipsin hanc, ut ambo luminaria juncta non distent à Nodo boreo seu capite Draconis plus grad. 20. 40. vel à Nodo Austrino & cauda Draconis grad. 12. 22. aut ut conspecta Luna latitudo superetur ab aggregato semidiametrorum Solis & Lunæ. Contingit Lunæ eclipsis, cum Luna distat in oppositione Solis à capite, seu cauda Draconis plus grad. 15. aut quando aggregatum ex semidiametro umbræ terræ, & ipsius Lunæ maius latitudine Lunæ fuerit: Causa huius eclipsis existit interpositio terræ inter lunam ac Solem. Luminaria maximam vim ad humectandam vel exsiccandam terram, ad animalium vitam alendam ac conservandam habent: Sol enim est caloris fons, Luna radicalis humidi domina; cum ergo eorum lumen nobis detrahitur aut imminuitur, nocebit eiusmodi defectus, aut fertilitati terræ, aut vitæ hominum & animalium. Ptolemæus has eclipses esse causam omnium mutationum in his inferioribus putat, sed placet mihi illud vulgare:*

Sidera corporibus præsunt cœlestia nostris,
Influxuque regunt cuncta elementa suo:
Cogere sed nequeunt animam ratione fruentem,
Namque sub imperio solius illa Dei est.

Sect. XIV.

NAtura nihil agit frustra; Ex omnibus Philosophiæ axiomatibus hoc solum non

non est disputationis aleæ obnoxium: non ociosa aliqua supellectile instructa est hæc rerum Natura, nihil inutile habet, nihil inane. In creaturis maxime imperfectis, quibus nec in arca servari contigit, † quæ, ubicunque Sol vim suam exerat, ex seminibus quibusdam in Naturæ gremio latitantibus nascuntur; in his, inquam, omnibus sapientiæ eius dextra conspicitur. Hinc sibi admirationis suæ materiam selegit Solomon, & si verum fateri volumus, quotus & quisque est, quem non † Apes, Formicæ & Araneæ sapientiam docere possunt? Quæ tandem docta manus hæc illos docet, quæ nos ratio ipsa docere nescit. † Balænas, † Elephantos, Dromedarios, † Camelos, reliquumque id genus prodigiosum Naturæ opificium, attonitis animis miratur crassior hominum turba, sunt hæc, fateor, quasi naturæ colossi & augusta eius dextræ opera; plus tamen artis & ingenii † compages istæ parvulæ habent, plenius & concinnius Creatoris sui sapientiam ostendunt pusillorum istorum Quiritium Respublicæ. Quis non † Muscam magis, quam Aquilam Regiomontani miratur, magis duarum animarum operationes in brevibus hisce corpusculis, quam unius tantum in trunco cedrino? † Maris fluxu & refluxu, † annuo illo Ægypti diluvio, † styli nautici ad septentriones conversione,

ne,

ne, cæterisque id genus communibus Naturæ miraculis contemplandis nequaquam contentus, eadem sæpe cum quotidiano neglectoque Naturæ artificio conatus sum componere; idque sine multo negotio intra mei ipsius Cosmographiam me facere posse video. † Nobis intus sunt miracula illa, quæ foris quærimus. Universam Africam cum omnibus eius monstris intra nosmet ipsos inclusam habemus. Ipsi audax illud Naturæ opus sumus, quod qui diligenter didicerit, prudenter ea per compendium acquiret, quæ cæteri in immenso dispersoque volumine non sine maximo labore consequuntur.

ANNOTATA
Ad Sect. XIV.

Quæ ubicunque Sol vim suam exerat, ex seminibus quibusdam in Naturæ gremio latitantibus] *E putri materia, & è sinu terra, gigni animalia docet quotidiana experientia. Quomodo multa animalia terrestria ex putrefactione, ut mures; rana ex putri pulvere & imbre, rubeta ex cæno; serpentes, scorpiones, Ephemeri, salamandra, apes, vespæ, Fuci, Scarabei alio modo gignantur, vide apud Ioann. Bapt. Portam* lib. 2. magiæ natural. c. 2. *Quomodo aves ex putrescentibus arborum fructibus,* ibidem c. 3. *& pisces ex putrefactione producantur.* ibidem cap. 4. *Diodorus Siculus* lib. 1. *scribit*, in Thebaide Aegypti quo tempore Nilus exundat, humectata inde tellure, & incidente Solis æstu, ideoque

ſuperficie multis in locis putreſcente, copiam murium innumerabilem gigni: putat è terra indurata & aëre, priſtinum ordinem ac temperiei modum non ſervante, animalia naſci.

Apes, formicæ & araneæ ſapientiam docere poſſunt] *De Apibus Vid. Ariſt.* l.1. de Hiſtor. Animal. c.1. *& Plin.* lib.11. c. 5. illæ, *inquit*, ad uſus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, conſilia privatim, ac duces gregatim: & quod maximè mirum ſit, mores habent. Præterea cum ſint neque manſueti generis, neque feri: tamen tanta eſt natura rerum, ut prope ex umbra minimi animalis, incomparabile effecerit quiddam: quos efficaciæ induſtriæque tantæ comparemus nervos? quas vires? quos rationi mediusfidius viros? hoc certe præſtantioribus, quo nihil novere, niſi commune. *De Formicis Vide Plutarch.* in tractatu, utrum animalia terrena, an aquatilia maiore prudentia ſint prædita, *& Ariſtotel.* l. 1. c.1. de Hiſt. animal. *& Plin.* d. lib.11. c. 30. *qui ita:* Iis, *inquit*, Reip. ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra; maiora ad introitum dividunt, madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plena Luna: eædem interlunio ceſſant. Iam in opere qui labor? quæ ſedulitas? & quoniam ex diverſo convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio? quam diligens cum obviis quædam collocutio atque percontatio? Silices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet qualibet in re quid poſſit quantulacunque aſſiduitas. Sepeliuntur inter ſe viventium ſolæ, præter hominem, *De Araneis Plin.* d.l.11. c.24. *ita:* Orditur telas, tantiq; operis materiæ uterus ipſius ſufficit: ſive ita corrupta alvi natura ſtatò tempore (ut

re (ut Democrito placet) sive est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tereti filo, & tam æquali deducit stamina, ipso se pondere usus. Texere à medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens: maculasque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes, quum non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, & quadam polituræ arte, ipsa, per se tenax ratio tramæ? quam laxus adflatus, non ad respuenda quæ veniant, sinus, de relicta lassso prætenti summa parte, ut arbitrari licet illa quæ difficile cernuntur: atque ut in plagis lineæ offensæ præcipitantur in sinum? specus ipse qua concameratur architectura? & contra frigora quanto villosior? quam remotus à medio, aliudque agenti similis? inclusus verò sic, ut sit, necne, intus aliquis, cerni non possit? age firmitas quanta irrumpentibus ventis, qua pulverum mole degravante? latitudo telæ sæpe inter duas arbores, cùm exercet artem & discit texere: longitudo fili à culmine, ac rursùs à terra per illud ipsũ velox reciprocatio; subitque pariter ac fila deducit. Cum verò captura incidit, quam vigilans & paratus ad cursum? licet extrema hæreat plaga, semper in medium currit, quia sic maximè totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens. Namque & lacertarum catulos venatur: hos primum tela involventes, & tunc demum labra, utroque morsu apprehendentes amphitheatrali spectaculo cum contingit. Sunt ex eo & auguria: quippe incremento amnium futuro telas suas altius tollunt: iidem sereno non texunt. *Plura admiranda de ejusmodi animalculis legimus in historiis animalium. de Ethneide sive remora vide Plin.* l.32.c.1.

Balænas] *Vide de his Plin.* l. 9. c. 6. *& Aristot.* l. 6. & l. 8. de Hist. animal.

Elephantos] *Vide Aristot.* l. 2. c. 1. de Hist. animal. *Plin.* l. 8. c. 1. *& Lipsium* cent. 1. epist. 50.

Camelos] *Vid. Plin.* l. 8. c. 18. *Arist.* l. 2. c. 1. de Histor. animal. *Franc. AldroVand.* de quadrupedib. bisulcis lib. 1. c. 34.

Compages istæ parvulæ] *AVerroës inquit*, natura est vis divina, cuius divinitas in imperfectis & vilibus rebus sæpe magis elucet, quam in aliqua re nobiliori.

Muscam quam Aquilam Regiomontani] *Eiusmodi artificio à quodam confecta Aquila obViam VolaVit Cæsari Maximiliano ad quadrantem milliaris extra Vrbem Norinbergam. Vide Keckermann.* l. 1. Phys. c. 4. *Sic jam olim Attila Tarentinus columbam è ligno reddidit Volatilem. Sic Albertus M. caput humanum ex ære Corinthiaco confectum, loqui fecit, Vid. Keckerm.* citat. libr, *Sic jam olim Memnonis statua cum Solis radiis eam attingeret, locuta est, ut scribit Philostratus* l. 6. c. 3. de vita Apollon. Thianæi, *ubi totam statuæ istius formam describit. Idem tradit Callistr.* in exposit. statuar. *ex Feder. Morelli interpretatione & dicit*, illam orientem diem allocutam fuisse voce gaudium designante, & ad noctem inclinatâ die anxium quid gemuisse. *Vid. plura* ibid. *Vide & Tacit.* l. 2. annal. c. 61. *edit. Bernegger. Strabon.* l. 7. *Lucian.* in Toxari & Philopseud. *& quomodo eiusmodi statua, ut idem præstet, construi possit, docet Athanas. Kircher.* l. 10. de arte Lucis & Vmbræ c. 1. problem. 5.

Quam unius tantum in trunco cedrino] *Olim Mercurii statua ex cedro confecta locuta est: ut refert ex aliis Keckerm.* l. 1. Ph. c. 4. *& hac arte posse fieri, nullum Athanasio Kirchero est dubium: plus tamen artis inest muscæ VegetatiVam ac sensitiVam habenti. Vide Lucian.* in Encom. Muscæ.

Maris

Maris fluxu & refluxu] *De hoc etiam antiqui multa commentati sunt. Vide Solinum, Melam, & Plutarchum* de diversis Philosophorum Placitis. *Alii, ut Strabo, Posidonius, Plinius, aestus causam attribuunt Lunae motui: alii Soli attribuunt ut* Aristoteles Platonici *animanti simile mare esse dicunt: ut enim hoc spiritus attrahit ac retrahit, ita & illud. Qui plures veterum opiniones de hoc scire avet, legat Pauli Merulae* dissertationem de maribus. *Plerique recentiores totam hanc causam à Luna deducunt: Illa enim ascendente super Horizontem accessus maris fit, ac sex horis continuat; recedente verò eadem, recessus totidem horis generatur: putant tamen adiuvari accessus à Sole; nam in oppositionibus Lunae cum Sole maiores videmus accessus ac recessus. Alii à motu terrae hos provenire arbitrantur. Cartesius* part. 4. c. 49. *& in sequent. partim motui terrae, partim Lunae id ascribit. Vid.* ibid. *cur aestus maris sint maiores cum Luna plena est; cur aequinoctiis sint maximi; cur semper fluxus ab Oriente in occidentem fiant.*

Annuo Aegypti diluvio] *De hoc vide Platon.* in Timaeo. *& Plin.* l. 18. c. 18. *qui ita:* Nilus ibi coloni vice fungens, evagari incipit, à solstitio aut nova Luna, ac primo legente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol est: mox pigrescit in Virginem transgresso, atque in Libra residet. Si duodecim cubita non excessit, fames certa est: nec minus, si XVI. exuperavit. Tanto enim tardius decedit, quanto abundantius crevit, & sementem arcet. *Plinius secundus* in Panegyrico quem Traiano dixit, *eleganter de hoc*: Aegyptus, *inquit*, alendis augendisq; seminibus ita gloriata est, ut nihil imbribus cœloque deberet: siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quam quas ipsa devexerat, tantis segetibus induebatur, ut cum feracissimis terris quasi nunquam cessura

certaret. *de caufis hujus diluvii ita Plin.* l. 5. c. 9. Caufas hujus incrementi varias prodidere, fed maxime probabiles, Etefiarum eo tempore ex adverfo flantium repercuffum, ultrò in ora acto mari: aut imbres Aethiopiæ æftivos, iisdem Etefiis nubila illo ferentibus è reliquo orbe. Timæus mathematicus occultam protulit rationem: Phialam appellari fontem ejus, mergique in cuniculos ipfum amnem, vapore anhelantem fumidis cautibus, ubi conditur: verum Sole per eos dies cominus facto, extrahi ardoris vi & fufpenfum abundare, ac ne devoretur, abfcondi. Id evenire à Canis ortu per introitum Solis in Leonem, contra perpendiculum fontis fidere ftante, cum in eo tractu abfumantur umbræ. Plerisq; è diverfo opinatis largiorem fluere, ad Septentrionem Sole difcedente, quod in Cancro & Leone evenit, ideoque tunc minus ficcari. Rurfus in Capricornum & Auftrinum polum reverfo forberi, & ob id parcius fluere. Sed Timæo, fi quis extrahi poffe credat, umbrarum defectus iis diebus & locis, fine fine adeft. Incipit crefcere Luna nova, quæcunque poft folftitium eft, fenfim modiceq;, Cancrum Sole tranfeunte, abundantiflimè autem, Leonem: & refidit in Virgine, iisdem, quibus accrevit, modis: in totum autem revocatur intra ripas in Libra, ut tradit Herodotus, centefimo die. Cum crefcit, reges aut præfectos navigare eo, nefas judicatum eft. Auctus ejus per puteos menfuræ notis deprehenduntur: juftum incrementum eft cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo: hę ferendi tempora abfumunt folo madente: ille non dant fitiente: utrumque reputat provincia. In duodecim cubitis famem fentit, in tredecim etiamnum efurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim, fecuritatem: fexdecim, delicias. Maximum incremen-

mentum ad hoc ævi fuit cubitorum decem & octo, Claudio principe: minimumque Pharsalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine aversante. Cum stetere aquæ, apertis molibus admittuntur, ut quæque liberata est terra seritur. *Hac, quia notatu digna sunt, ex Plinio recensere pretium operæ duxi. Vide & Diod. Sicul.* l.1. Bibl. Histor. *Alii putant Nili incrementum oriri ex influentia Mercurii: sed forsan rectius illi, qui sentiunt id oriri è nivibus in monte Atlante, qui iis perpetuò vestitur, quas Sol ab Aequinoctiali ad Tropicum cancri redux radiis suis perpendicularibus dissolvit.*

Styli nautici ad Septentrionem conversione] *Stylus ille est acus ad magnetem, secundum regulas artis affricta ac pyxidi inserta: cum hæc liberum supra obelum motum habet, versus septentrionem se convertit, summumq; nautis beneficium præstat. Antiquis Magnetis innotuerat vis attractiva, de quo vide Plin.* l. 36. c. 16. & *Plutarch.* in quæstion. Platon. *sed an etiam cognitionem pyxidis nauticæ habuerint, vid. Kircher.* in Philos. Magnet. l 1. part. 1. c. 6. *ipse huius inventum tribuit cuidam Italo Amalphiano, cui nomen fuit Ioannes Goias. Plin.* l. 2. c 67. *narrat*, à Gadibus columnisque Herculis Hispaniæ ac Galliarum circuitu totum tum navigatum fuisse occidentem: septentrionalem verò Oceanum auspiciis D. Augusti maiore ex parte navigatum: *Inde nonnulli censent, etiam tum temporis pyxidem nauticam innotuisse, nam alioquin tam magnas navigationes haud potuisse fieri. Alii id ex Hieroglyphicis Aegyptiorum probare nituntur: sed certum est, nec Aristotelem, nec Platonem, nec Plinium unquam huius acus magneticæ, aut huius magnetis naturæ mentionem facere: credendum ideò, veteres nautas secundum stellas cursum direxisse, quod etiam historici ac*

poëtæ omnes testantur. Quando primum Europæi hanc Magnetis proprietatem invenerint, Vid. Athan. Kircher. de Art. Magnet. supra dicto libr. *De causa conversionis magneticæ ad polos terræ, Varii varia scripsere. Vide Gielbertum, Cabeum & Athan. Kircherum* de Art. Magn. l. 1. part. 2. Theor. 12. Exper. 2. *& quomodo in diversis mundi partibus acus variet, Vide* eod. libro, theor. XI. *Comprehendit sanè philosophia Magnetica maxima naturæ Secreta.*

Nobis intus sunt miracula] *Vnde Mercurius* in Asclepio: Propter hoc o Asclepi, magnum miraculum est homo, animal adorandum & honorandum. *Antiqui propter hoc minorem mundum hominem appellabant. hinc Manilius* lib. 4.

— Quid mirum, noscere mundum,
Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis.

Hinc Ovid. l. 15. metamorphos.

Nos quoque pars mundi, quoniam non corpora solum,
Verum etiam volucres animæ sumus.

Chalcidius in Timæum ita, secundum edit. Leidens. Corpora nostra ex quatuor materiis esse composita in promptu est. Est enim quiddam contiguum in iis, quod tactui resistit, idque sine terrena soliditate non est. Est etiam calidum aliquid idemq; visibile: porrò quæ talia sunt, sine igne esse non possunt. Est præterea plenum spiritus; ut sunt hæ venæ, quæ arteriæ nuncupantur. Est etiam humor, ut sanguis, & cætera, quæ manant ex corpore: sed neque humor sine aqua, neque spiritus sine aere consistet unquam &c. *Vide de his miraculis Rob. Flud.* in Microcosmo.

Sect. XV.

DUo itaque mihi libri sunt ex quibus Theo-

Theologiam addiſco: ſcriptus quidem alter eſt, †1sq; Dei, alter † famulæ eius Naturæ, Univerſale ſcilicet illud, & publicum Manuſcriptum foliis explicatis omnium oculis expoſitum. Illum qui in altero numquam viderant, in hoc conſpexere. Hæ olim ſcripturæ fuere, & Theologia Ethnicorum. Non Iſraeliticis tantam admirationem excitavit † ſupernaturalis Solis ſtatio, quantam illis quotidianus eiusdem motus; nec tám hi miracula eius ſtupuerunt, quam illi notiſſimos Naturæ effectus. Certe myſticæ huius literaturæ peritia Ethnici Chriſtianos longe ſuperarunt, characteres iſtos obſcuros multo nobis doctius coniungere, & legere norunt. Nos hieroglyphica iſta vulgaria negligenter inſpicimus, Theologiam ex naturæ floribus exactam aſpernantes. Nec tamen ita Dei immemor ſum, ut Naturam venerer; Quam non † principium motus & quietis cum Scholis definio, ſed, rectam illam & regularem lineam, immotum illum & conſtantem ordinem creaturarum actionibus pro ſua cuiusq; natura à Divina ſapientia præſcriptum. Singulis diebus revolutionem conficere, Solis natura eſt; hic enim curſus neceſſarius eſt, ipſique à Deo mandatus, à quo nequaquam aberrare poteſt; id autem ne poſſit, vocis illius potentia effecit, quæ primum illi hunc motum tribuit. Inſtitu-

tum autem iſtum † Naturæ curſum Deus rarius mutare aut interturbare ſolet: ſed tamquam peritus artifex hoc opus ſuum ita ex omni parte abſolutum reddidit; ut iisdem huius inſtrumentis uſus occultiſſima quæque conſilia ſua ſine nova aliqua creatione facile adminiſtret. Sic ligno aquis amaritudinem adimit; ſic creaturas per arcam ſervat, quas tamen pari facilitate per oris ſui ſpiritum creaſſe potuerat; perito Geometræ non diſſimilis, qui cùm lineam rectam uno circini ductu facilius aut deſcribere aut dividere poſſit, hoc tamen circulo aliquo, artis ſuæ inſtitutis & præceptis obſervatis, efficere mavult. † Quamvis hanc artis ſuæ rationem nonnunquam negligere & evertere ſolet, quo eos prærogativæ ſuæ commonefaciat, ne forte ratio noſtra potentiam eius in dubium vocare per inſolentiam auderet, eumq; hæc nec poſſe ſtatueret. † Naturæ igitur effectus Dei opera voco, cuius illa tantum quaſi manus & inſtrumentum eſt, adeoque illius actiones huic tribuere, nihil aliud eſſet quam honorem principalis Agentis in inſtrumentum transferre: quod ſi iure feciſſe licet, quin mallei ſe nobis ædes noſtras conſtruxiſſe iactant, calamique noſtri ſcriptorum honorem vendicant? Univerſalem eſſe pulchritudinem per omnia Dei opera diffuſam ſtatuo, adeoq; nullum crea-

turæ

turæ genus aliquid deformitatis habere. Logicæ quomodo consentaneum sit, non satis assequor,† ut aut bufo, aut ursus, aut elephantus deformes vocentur: ea enim externa specie & figura creati sunt, quæ cum ipsorum actionibus formaq; interna aptissime conveniat. Universalem illam Dei examinationem hæc omnia subierant, qui vidit, quæcunque fecerat, omnia esse bona, hoc est, voluntati suæ conformia, quæ ab omni deformitate abhorret: hæc enim est ordinis omnis & pulchritudinis norma. †Monstra tantum deformia dicenda sunt, quamvis & hæc etiam pulchritudinem quandam sortiuntur, quod adeò ex naturæ ingenio, & arte evenit, quæ partes istas abnormes ita disponit, ut nonnunquam magis spectabiles evadant, quam principalis fabrica. Strictius adhuc ut loquar, præter unum Chaos nihil unquam deforme natum est, in quo tamen ipso deformitas non erat, quia nec forma; nondum enim à divina voce gravidatum fuerat. Naturæ autem cum arte non disconvenit, nec arti cum natura: est enim utraque Providentiæ famula. † Ars est naturæ perfectio: si nunc eodem modo se Mundus haberet, quo die sexto habuit, essent adhuc omnia chaos. Mundum unum natura condidit, ars alterum. Omnia denique artificialia sunt, natura enim est ars Dei.

AN-

ANNOTATA
Ad Sect. XV.

Isq; Dei] *SS. Scriptura, Vetus ac novum Testamentum. Platonici jam olim agnoverunt sine revelatione nos in divinis cæcutire: hinc Iambl.* de mysteriis Aegypt. *ita*: Anima humana & una specie comprehensa est, & à caduco corpore nimium obumbrata. Ideo nullum habet ad divinum opus potentiam efficacem. Si quando verò videmur tale aliquid quodammodo posse, solum id agimus illustratione divina desuperinfluente, per quam & actionis divinæ videmur esse participes, *Vnde provenerint omnes paganorum errores, docte Vossius* l.1. de Orig. ac progr. idololatr. c.4. *demonstrat.*

Famulæ eius] *Vnde suppositititius Trismegistus* in Pimandro: Homo effectus est divini operis contemplator, quod profectò dum admiraretur auctorem eius agnovit. *Hinc Cicer.* l. 2. *de divinatione*: Esse præstantiam aliquam æternamque naturam & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum cœlestium cogit confiteri. *Tertullianus* lib. de Resurrect. Carnis: præmisit Deus naturam magistram, submissurus & prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ discipulus Naturæ.

Supernaturalis Solis statio] *Vide Ios.* 10. v. 13.

Principium motus] *Vid. Aristot.* 2. Phys. c.1. Natura, *inquit*, est principium ac causa motus & quietis eius rei, in qua inest primo & per se & non secundum accidens.

Naturæ cursum interturbare] *Nam turbaret propriam ipsius potentiam ordinariam.*

Quamvis hanc artis suæ rationem non-

nunquam negligere solet] *Omnia Dei opera miracula sunt, propterea ineptum est à Deo aliud expectare perpetuum miraculum: ne tamen aliquis forte humana negotia volvi agiq; sibi persuadeat, miraculis supra naturam interdum divina providentia nobis probatur. Quid signa illa, quæ magnorum Imperiorum eversionem aut mutationem præcedunt? & hac semper præcedere ipse Machiavellus, homo non multum credulus, fatetur.* Vid. l. 1. discurs. in Liv. c. 56. *variisque exemplis id probat. Quid illa, quæ magnorum Principum mortem portendunt? Librum à pientissimo Theologo Iohanne Arndio conscriptum, à Zelo obcæcato quodam Pontificio in ardentissimum ignem ustulandum coniectum, ibique per integram horam plane illæsum conservatum scio: haud mirandum esset, si aliquo modo flammæ vim sensisset, (nam ignis firmiter compactæ chartæ tardè nocet) sed integritas libri, diuturnitasque temporis, quo Vulcani furori consecratus fuit, divinæ providentiæ argumentum sunt. Nolo ea narrare quæ in prima Ecclesia adeò manifestè facta fuerunt, ut ne Christianorum Hostes id negare potuerint. Vide de Iuliano* apud Cyrill. l. 3. *Magnum id est, homines excisa propter religionem lingua tamen locutos esse, Vid.* l. 1. C. de offic. præf. præt. Afr. & Procop. l. 1. de bello Vandal. *Æneas Gazæus, qui tunc temporis vixit, dicit* in dialogo, cui nomen Theophrasti *dedit: se illos loquentes audiisse, & ore aperto linguam radicitus evulsam vidisse, Marcellinus Comes idem in Chronico se testatur, & se oculatum testem fatetur; Nonne illud miraculum est, candens ferrum, in manibus sine læsione tenendo aut manum in ferventem aquam immittendo probare innocentiam? Quod sæpius ab antiquis Germanis factum esse testantur historiæ, (vide Aventin. lib. 4. Annal.*

Baior.

Boior.RadeVic.l.1. c.26. Goldast. antiq. Alemann. tom.2.) & ipsa adhuc extantes leges. Vid. Capitular.Francor.l.4.c.13. & *Lindenbrog.* tit. ¶. §. 29. LL. Longob.

Naturæ effectus Dei opera] *Scaliger dicit se credere, naturam nihil aliud esse quam ordinariam Dei potentiam.*

Vt aut bufo aut ursus] *Cum definitio pulchritudinis examinetur, nihil deforme in illis reperitur: nam Vilissimis etiam rebus aliquid mirabile inest: insunt etiam his, ut Philosophi loquuntur, materia ac forma.*

Monstra tantum deformia] *Vnde* Aristot. l.2. Phys. c.8. *ea appellat peccata naturæ.*

Ars est naturæ perfectio] *Ideò Gen.* 2. *conjuncta hæc sunt, non enim pluerat super terram, & homo non erat super terram:* & hoc erat (*inquit Tostatus super hoc*) defectus artis, humorem & calorem adjuvantis.

Sect. XVI.

HÆc est nota ac trita Divinæ providentiæ semita, cujus bonam partem ars & industria investigarunt: Cujus effectus prædicere sine oraculo licet, hoc enim prognosticare est, non vaticinari. Est autem alia Mæandris, & labyrinthis impedita via, de qua ne Dæmonibus quidem ipsis, aut Spiritibus ullis sunt certæ ephemerides. Hæc est † Providentiæ ejus obscura, & magis specialis methodus, qua particulares individuorum actiones ordinantur. † Hanc Fortunam nominamus, serpentinam illam, & flexuosam semitam, qua actiones suas omnes deducere solet, quascunq; occultio-

cultiore ratione administrandas instituit. Crypticam hanc & involutam methodum semper admirari solitus sum. Nec quoties pericula mihi sæpius vitata, fortuitosque rerum occursus recordatus, vitæ meæ commentarios & discrimina memoro, Fortunæ tantum gratiæ mihi agendæ videntur, non sideribus meis solummodo gratulandum. Quod † vepreto implicitus hæreret agnus, casui alicui tribuisse Abrahamus poterat. Fortuito tantum accidisse, ut † Moses arcæ inclusus in Pharaonis filiæ conspectum ageretur, humana forte ratio crediderit. Quot vero & quales labyrinthos habet illa de † Josepho historia, qui vel Stoicum à sententia sua dimovere possint. Sunt procul dubio offendicula quædam, & moræ unicuique in vita obiectæ, quæ licet prima specie † Fortunæ effectus videantur, ea tamen si diligentius excutias, à dextra Divina proficisci comperies. Non bruto tantum casu factum est, ut † ad sulphuream coniurationem detegendam, in reddendis literis error acciderit. Quod nostra illa anno 1588. † de Hispanica classe victoria non sine tempestatibus & ventorum adversitate acciderit, id quod illi nobis dedecori vertunt, Fortunæque indulgentiæ tribuunt, hoc idem mihi victoriam ipsam vehementius commendat. Non dehonestavit nationem nostram Philippus Rex, cum

se clas-

ſe claſſem miſiſſe diceret cum hominibus, non cum ventis præliatum. Quoties manifeſta virium iniquitate duo aliqua agentia concurrunt, ipſa rationis axiomata victoriam fortiori ſpondent: quoties vero caſus aliquos inopinos incidere & intervenire contigit, eos à ſuperiore aliqua poteſtate proficiſci neceſſe eſt, quæ horum axiomatum legibus non tenetur: In quibus, haud aliter ac in iis, quæ in * pariete exarata erant, manum quidem conſpicimus, ea vero unde moveatur, non videmus. Puſillæ illius Hollandorum provinciæ ſucceſſum (de qua ſuperbe ſatis Tyrannus Turcicus, ſi quantum Hiſpano moleſtiæ negotiique ab illa ortum eſt, ſibi obtigiſſet, miſſurum ſe fuiſſe, dixit, qui ligonibus furculisq; in mare conjicerent) non Gentis ingenio induſtriæq; imputare poſſum; ſed Divinæ tum clementiæ, quæ ſolertem illum genium animis indidit, tum providentiæ tribuo, quæ ſingulis regionibus beneficia ſua pro arbitrio diſpenſat, idq; ſuo cuique tempore jamdudum præfinito. Non univerſis ſimul licet eſſe fælicibus; cum enim ab huius imperii ruinis illius gloria pendeat, ſuam quodque revolutionem amplitudinisq; viciſſitudinem habere oportet, eiusq; rotæ converſioni parére, quæ ab Omnipotentis dextra, † non ab intelligentiis movetur;

* Dan. 5.

tur;quæ Rebuspublicis omnibus summitatem quandam, & quasi punctum verticale statuit, quo juxta præstitutam cuique periodum perveniendum est. Omnium enim non hominum tantum, † sed Rerumpublicarum etiam, sed totius mundi, æva, non quidem Helices more se usque & usq; ampliantis feruntur, sed circuli ritu progressa, & ad meridianum suum tandem pervenientia, retro iterum sublapsa referri incipiunt, ingloriaque demum sub Horizonta recidunt.

ANNOTATA
Ad Sect. XVI.

Providentiæ eius obscura & magis specialis methodus] *Nihil plus negotii Ethnicus creavit quam hoc ipsum. Alii cum viderent, malis benè, bonis malè esse, providentiam negarunt. Hinc* Dionysius Syracusarum tyrannus fano Proserpinæ spoliato Locris, cum per altum secundo vento classe veheretur, ridens, amicis, videtisne, ait, quam bona navigatio ab ipsis Diis immortalibus sacrilegis tribuatur. *Valer. Max.* l. 1. c. 1. Hic debita supplicia non exsolvit. *vid.* ibid. *Unde Euripides apud Athenagoram* in Apologia:

Sæpe mihi subivit cura
Animum, dubitavi anxiè
Deus an fortuna regat
Hominum inconstantem vitam.
In qua & inopinatò sæpius
Et iniquè miseri sunt quidam
In familiis etiam claris:
Aliqui, quod nemo sperasset,
Absque Deo fortunati.

hinc Ovidius l.3. Eleg. *de morte Tibulli:*

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

& Claud. l 1. in Rufin.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio. &c.

Hinc Olympiacus apud Plutarchum in lib. de tarda Dei vindicta: Illæ, *inquit*, quantum habent, Patrocles, Dei in his cunctationes absurdi, quod fidem tarditas Providentiæ abroget: & quia afflictio simul atque admissum quoque flagitium est, homines profligatos non persequitur, sed post eum jam id pro infortunio habent, calamitatem non supplicium vocant: ita non emendantur, &c. *pergit:* Enimverò quæ sensim & segni pede, ut Euripidis verbis utar, & temerè incumbit malis vindicta, ea fortuito potius quam ex providentia &c. *Sed egregium responsum accipit à Timone:* Gravius est, *inquit*, quam si de Musica eius rudes, & de re militari pagani differunt, si nos qui homines sumus divina fataliaque negotia exactè pervestigemus, sicut imperiti artificum mentem ex opinione & mentis conceptu per coniecturam venantes. Nam si Medici ei, qui imperitus est, consilium divinare arduum est, cur non ante, sed post secuerit: neque heri laverit, sed hodie: multo minus proclive fuerit mortali afferre aliud, quam, cum articulum illi improbitati medicinam faciendi optimè noverit, remedium eum cuique adhibere punitionem, quo nec modum gravitatis communem, neque tempus unum & idem habeat, &c. *Postea pergit:* Neque earum quas mortales sanciunt legum, ratio consona semel & perpetuò est conspicua: verum quædam scita sane quam ridicula apparent. Vt Lacedæmone per Præconem Ephori, simulatque

atque ineunt Magiſtratum, pronunciant: ne barbam alant, & ut audientes ſint legibus, ne ipſis ſint duræ. *Vide ibid. plura exempla de Romanis ac Solone. Tandem dicit:* Quid ergò miri, ſi cum res nobis ita obſcuræ ſint humanæ, de conſilio divino dicere parum ſit nobis expeditum. *Vide plura ibidem. Et ejusmodi res haud probare, ſine providentia mundana regi, probat Seneca* in aureo libello quare bonis viris mala accidant, cum ſit providentia. *Docet Deum inſtar parentis ſolum caſtigare bonos, eosq; ſolum exerceri & per aſpera indurari; pro ipſis eſſe quibus accidunt: evenire aterna lege &c. Nicias apud Thuc.* l. 6. de Bell. Peloponeſ. *ſe ipſum conſolatur, & dicit:* Deum in futurum aliquid polliceri pro his quæ ſancte fecerat. *Damaſcenus* libr. 2. de Fid. orthod. c. 29. Iubet omnia admirari, omnia laudare, omnia ſine inquiſitione ſuſcipere providentiæ opera, etiamſi multis iniuſta videantur: qua ſcilicet ignota eſt.

Alii eandem ob cauſam omnia fortuito accidere, nec Deum res humanas curare putabant, ut Epicurei: de quo vide Cic. l. 1. de Natur. Deor. *Vellejus ibi ita:* Quod æternum beatumque ſit, id nec habere ipſum negotii quidquam, nec exhiberi alteri: Itaque neque ira, neque gratia teneri, quod quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia. *Plinius idem credidit. Vid.* l. 2. c. 7. *Vid. & Plut.* de placit. Philoſ. *Sed rectè Cicer. in init. dicti libri:* Quorum (*ſcil. Epicureorum*) ſententia ſi vera eſt, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? *& poſt.* Fides etiam (*ſi hoc ſcil. verum*) & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia tollitur. *Faciunt ſane illi Deum inertem. Egregiè Auguſt.* l. 12. c. 17. de Civ. Dei novit quieſcens agere, & agens quieſcere. *Ea propter Horatium pœnituit, quod Epicuroos ſequutus eſſet:* l. 1. Od. 34. *ita canit:*

Parcus Deorum cultor & infrequens
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
Cogor relictos &c.

Proclus in libr. de anima & dæmonibus *rectè:* ignorantia finalis causæ circa rem quamlibet efficit, ut & cæteræ causæ ad eandem pertinentes similiter ignorentur. *Causas finales Epicurei haud indagarunt, alioquin ejusmodi opinione facilè liberari potuissent. Omnia supera infera in certum finem dispositaVidemus. Vide quæ supra* ad sect. 11. *dixi.*

Alii putarunt, Deum habere quidem rerum cælestium atque universalium curam, sed nullam habere procurationem rerum humanarum ac singularium. Vide Arianum in Epictet. lib. 1. c. 12. *& Cicer.* lib. 1. de Natur. Deor. *Hinc Chorus apud Senecam* in Hippol. act. 3. *queritur, Deum quidem cæli cursus regere, humana tamen negligere.*

Cur tibi tanta est cura perennes
Agitare vias ætheris alti?

Postea:

Sed cur idem
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes: hominum nimium
Securus ades, non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis.

Sed egregiè ap. Plat. l. 10. de ll. *Atheniensis hospes;* Caveamus, *ait*, ne Deum mortalibus opificibus viliorem putemus. Isti sanè quanto peritiores sunt, tanto arte una in propriis ipsorum operibus & parva simul & magna exquisitius absolutiusq; perficiunt. Deus verò qui sapientissimus est, & curare potest ac vult, magnis quidem providebit solum, parva autē, quæ facilius gubernari pos-

sunt

ſunt, propter pigritiam atque ignaviam negliget. *Singulis à Deo provideri probat Cicero* l. 2. de natur. Deor. circ. finem.

Alii eandem ob cauſam omnia, æterna quadam neceſſitate ita fieri putabant, & ipſum Deum alligabant. Unde Seneca in libro de Provident. c. 5. Quid eſt boni viri? præbere ſe fato. Grande ſolatium eſt cum univerſo rapi. Quicquid eſt quod nos ſic vivere juſſit, ſic mori: eadem neceſſitate & Deos alligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel juſſit. Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera & acerba funera adſcriberet? Non poteſt artifex mutare materiam, hæc paſſa eſt. *Idem* l. 2. natural. quæſt. c. 35. Fata, *inquit*, aliter jus ſuum peragunt, nec ulla commoventur prece, non miſericordia flectuntur, non gratia. Servant curſum irrevocabilem, ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat: ſic ordinem rerum fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt, ſtare decreto. c. 36. Quid, *inquit*, intelligis fatum? exiſtimo neceſſitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc ſi ſacrificiis & capite niveæ agnæ exorari judicas, divina non noſti. Sapientis quoque viri ſententiam negatis poſſe mutari. quanto magis Dei? cum ſapiens quid ſit optimum in præſentia ſciat, illius divinitati omne præſens ſit. *De hoc fato Agell.* l. 6. c. 2. *ita:* Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum & catena, volvens ſemet ipſa, ſeſe & implicans per æternos conſequentiæ ordines ex quibus apta connexaque eſt. *Hinc Manilius* lib. 4. Aſtronom.

Solvite mortales animos, curasq; levate,
Totq; supervacuis vitam deflete querelis:
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaq; per certos signantur tempora cursus.

& Senec. in Octavia.

Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quisquam spondere potest,
Firmum & stabile.

Sed Iamblichus de mysteriis *benè*: Non igitur putandum est, de quo tu dubitabas, omnia insolubilibus necessitatis vinculis, quod fatum nominant colligari; habet enim anima principium in se proprium, quo ad intelligibile sese conferat, & discedat quidem ab iis, quæ gignuntur, ad ipsum verò ens accedat, atque divinum. Neque rursus diis applicuimus fatum, quos tanquam solventes à fato in templis, sacrisque & statuis veneramur. Ipsi quidem Dii fatum solvunt. *Vide plura ibid.*

Alii omnia astris attribuerunt, quod fecerunt Chaldæi & alii. Egregiè Iambl. de myster. In Astronomia est aliquid veri, quamvis exiguum. *Vid. ibid plura, non longè à fine.*

Alii omnino Deos negarunt; ut Diagoras, Theodorus Cyrenensis, Evemerus Tegeates, Euripides Tragicus. Vid. Plut. l. 1. c. 7. de Placit. Philos. *& plures apud Cicer.* l. 1. & 2. de Nat. Deor. *& Sext. Empyr. Idem puto Dionysium Syracusanum Tyrannum fecisse:* Nam omnia, *ut Valerius Maximus prodit*, sacrilegia sua jocosis dictis prosequi, voluptatis loco duxit. Detracto Iovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum Tyrannus Geto è manubiis Carthaginēsium ornaverat, injectoque ei laneo pallio, dixit; æstate grave amiculum aureum esse, hyeme frigidum: laneum autem ad utrumque anni tempus aptius. Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi jussit: quod affirmaret, non convenire patrē

Apolli-

Apollinem imberbem, ipſum barbatum conſpici. Menſas argenteas atque aureas è fanis ſuſtulit: quodque in his more Græciæ ſcriptum erat, bonorum Deorum eas eſſe, uti ſe bonitate eorum prædicavit. Victorias aureas, pateras, & coronas, quæ ſimulachrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, tollebat, & eas ſe accipere, non auferre, dicebat: perquam ſtultum eſſe argumentando, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle ſumere. *Valer. Max.* l. 1. c. 1. *De his Philoſophis ac hominibus Lactant.* l. 1. c. 2. *ita*: Nec difficile ſanè fuit, paucorum hominum pravè ſentientium redarguere mendacia, teſtimonio philoſophorum atque gentium in hac una re non diſſentientium. *Cicer.* de Nat. Deor. *hos etiam refellit.* *Infra plura de hoc apponentur.*

Hanc Fortunam nominamus] *De hoc ita Auguſtinus* l. 5. de Civit. Dei. c. 9. Sufficit omne quod fit, non niſi cauſa præcedente fieri. Nos enim eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes; easque tribuimus vel veri Dei, vel quorumlibet ſpirituum, voluntati.

Vepreto implicitus agnus] Gen. 22. v. 13.

Moſes arcæ incluſus] Exod. 2.

Ioſephi Hiſtoria] *Vid.* Geneſ. 37. & ſeq. cap.

Fortunæ effectus] *De Fortuna vid. Ariſtot.* l. 2. Phyſ. c. 5. *Putat eam eſſe cauſam per accidens in iis, quæ fiunt ob aliquem finem ex electione. Platonis aſſeclæ fortunam ita definiunt:* ut cauſa ſit ex eventu rerum, quæ alicuius cauſa fiunt in his in quæ cadit delectus. *Vid. Plut.* de Fato. *Quid diverſæ Philoſophorum ſectæ per Fortunam ſignificarint, vid. apud Voſſ.* l. 2. cap. 43. de orig. ac progr. idololatr. *Lactant.* l. 3. cap. 28. *ita*: Fortuna per ſe nihil eſt: nec ſic habendum eſt, tanquam ſit in aliquo ſenſu. *Paulò poſt.* Quod mul-

ea, inquit Cicero (*sc. l.* 1. *Academ. quæst.*) efficiat inopinata nobis propter obscuritatem ignorationemq; causarum. Cum igitur causas ignorent, propter quas fiat aliquid, & ipsum qui faciat, ignorent necesse est. Idem Cicero (2. *de offic.*) magnam esse Fortunæ vim in utramque partem quis nesciat? Nam cum prospero flatu eius utimur, ad exitus pervenimus optatos; & cum reflaverit, affligimur. *pergit Lactant.* Doceat me, si potest, quæ sit illa vis, qui flatus iste, & qui reflatus.

A dextra divina] *Per dextram Theologi intelligunt Dei potentiam. Curtius* lib. 5. *egregiè:* Eludant licet quibus fortè ac temerè humana negotia volvi, agiq; persuasum est; equidem æterna constitutione crediderim, nexuq; causarum latentium & multò ante destinatarum suum cuique ordinem immutabili lege percurrere. *& Sen.* in Oedip. act. 5.

Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

Sulphuream coniurationem] *De qua extat libellus* in oper. *Iacobi, Regis Britanniæ.*

De Hispanica classe victoria] *Vide Camdenum part.* 3. Histor. Elisabethæ Angliæ Reg.

Non ab intelligentiis] *Aristoteles censet intelligentias cœli motores esse, vide* c. 3. l. 12. Metaph. c. 8. *quam sententiam eruditè Vossius* l. 2. c. 41. de idololatr. *refellit.*

Ab omnipotentis dextra] *Augustinus putat corpora cœlestia ab Angelis moveri. Vid.* lib. de cognit. ver. vit. c. 6. *Idem statuunt Conimbricenses* artic. 34. quæst. 5. super c. 5. l. 2. de cœlo.

Sed Rerumpublicarum] *Sic vim fati quandam, ut Romanus Princeps Ctesiphontem transire non potuerit, fuisse, scribit Flavius Vopiscus* in vita Cari, Numeriani & Carini, c. 8. *sed transierunt Diocletianus ac Traianus. Quod Deus hominibus atq; imperiis limites ab initiò definiverit, vid.* act. 17. v. 26.

Heli-

* Helices môre] *Helice est sidus juxta Polum arcticum, de quo vide Lucanum* l. 1.

Sect. XVII.

HÆc igitur fortunæ effecta nominanda non sunt, nisi relative tantum, quemadmodum Naturæ opera. Hanc prima vocem ignorantia peperit, falsumque nomen Divinæ providentiæ incogitanter indidit. Non enim est causis ullis concessa licentia fortuito, & inordinatim operandi, nec universalis alicuius superiorisq; causæ iniussu ullus unquam effectus oritur. Latrunculorum ludum à precatiuncula aliqua auspicari, non est ita ridiculæ religionis, in ipsis enim sortilegiis, & quæcunque fortunæ maxime obnoxia videntur, † eventorum certa quædam est & præfinita series. † Ipsi nimirum cæci sumus, non fortuna: quia hebetior est nobis oculorum acies, quam ut administrationis eius mysterium perspiciamus, nos stulti cæcam inepte pingimus, Numinisque omnipotentis providentiæ obvelamus oculos. Nec vili illi proverbio patrocinor, † *Fortunam favere fatuis*: nec arroganti illi paradoxo, † *Sapientem supra fortunâm esse*: nedum contumeliosis illis poëtarum epithetis, apud quos impudica, lena, & meretrix audit. Ita quidem naturâ comparatum est, ut fere hi, qui singularibus ingenii dotibus præditi sunt,

illis Fortunæ careant. Quod tamen illis, qui recte sapiunt, huiusq; administrationis æquitatem intelligunt, nequaquam animos deiicere solet: præstantioribus enim donati muneribus, de vulgari ista felicitatis parte sunt minus solliciti. Iniquissima est eius ambitio, qui omnia Omnipotentis beneficia sibi soli expetit, nec animi bonis contentus, etiam corporis illa & fortunæ postulat: & erroris plus quam hæretici sunt isti condemnandi, qui sarcinas tantum, & impedimenta fælicitatis suspicientes, essentialia quæ beatitudinem consummant, quibusque Creatorem nostrum referimus, parvi æstimant. Hæc promeruisse tantum satis est illis, qui prudenter sapiunt, nec ut iisdem fruantur sunt ita solliciti. Providentiam stultis consulere facile patior: maximum hoc Divinæ æquitatis argumentum est; tantum abest, ut iniqua indulgentia videri possit. Naturalium enim parentum more Deus nobiscum agit: qui corpore animoq; valent, ipsos sibi ipsis consulere jubet; in cæteris quod ingenio deest, ampliori hæreditate sarcit, & internorum bonorum defectum externis compensat: Ita nec est, cur aut naturæ succenseamus, quæ nos nudos reliquerit, nec reliquis animalibus invideamus, ut quibus cornua, ungulas, & vellera tribuerit: cum ipsi ratione instructi simus, quæ nobis hæc omnia facile suppeditat.

ditat. † Non opus est ut tanto argumentorum molimine Astrologiam judiciariam oppugnare conemur. Si quid enim veri habet, id Theologiæ nequaquam officit, Licet aut nasci † imperante Mercurio ingenium tribuat, aut † imperante Jove, divitias; nihil tamen honoris aut huic aut illi debeo, sed illi tantum benevolæ dextræ, quæ incertam meam & indifferentem nativitatem ad tam amicos aspectus coërcuit. Qui omnia per Fortunam administrari senserunt, id tantum errarunt, quod ibi substiterint. Aliquid hic divinitatis subesse, licet obscurius, agnoscebant Romani, cum † Fortunæ templum ædificarent. Qui enim legitimam rerum rationem init, ab Omnipotente incipit, & in eundem desinit. Compendiosius in cœlum iri potest, quam per illam † Homeri catenam. Non res est magni negotii & cœlum & terram in unum idemq; argumentum connectere, & omnia deinde brevius, quam per soritis acervum, in Deum resolvere. Licet enim, ut usu venire solet, à proximis causis nomina sua sortiantur effectus, certa tamen & vera omnium causa Deus est, cujus concursus licet universalis sit, in singulas tamen particularium actiones diffunditur; nihil enim aliud est, quam spiritus ille, cujus solius beneficio unaquæque particularis essentia, non tantum subsistit, sed operatur etiam.

AN-

ANNOTATA
Ad Sect. XVII.

Eventorum certa quædam est series] *Augustinus & Platonici idem docent. Vide Augustin.* l.5. de Civ. Dei c.9. *& Platon.* l.4. de Leg.

Ipsi nimirum cæci sumus non Fortuna] *Nam*

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Ovid. lib. 4. de Pont. *Vide de hoc Boët.* lib. 1. de consolatione Philosoph. *Cæca appellatur apud Plin.* l. 2. c. 7. volubilis à plerisque vero & cœca etiam existimata &c.

Fortunam favere fatuis] *Aristot.* in 2. Magnor. Moral. c.8. Vbi plurimum, *inquit*, mentis ac rationis est, ibi minimum fortunæ: Vbi autem plurimum fortunæ, ibi minimum mentis. *De hoc multi semper conquesti sunt. Hinc apud Senecam* in Hercule fur. *Megara:*

Iniqua rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit.

Et in Hippolyto Chorus act. 3.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq; manu
Munera cæca, peiora fovens.

Et Iuvenal. sat. 7.

Si fortuna volet, fies de Rhetore consul;
Si volet hæc eadem, fies de consule Rhetor.

Plin. l 2.c.7. *ita:* existimata vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. *Putabatur Fortuna mens è cœlis in terram missa, ut cœco impetu omnia ageret ac verfaret, illamque in Deorum numerum retulerunt. Hinc Iuvenal.* sat.10.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloq; locamus.

Hinc Plin. d. libro: Toto quippe mundo, *inquit*, & locis omnibus; omnibusq; horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur. *Aristoteli, quia maximè fatuis Fortuna est propitia, hac opinio*

nio valdè absurda videbatur; & Deo id indignum censebat. Nos supra diximus ex Lactantio, Fortunam per se esse nihil; ex Augustino, causas fortuitas vero non esse nullas sed latentes, ac provenire à vero Deo; quod etiam Stoicis notum fuit. Deus sæpe propter causas latentes indignis, secundum nostrum judicium, mirè se propitium præbet. Ideo Paulus Roman. 9. v. 15. Non per manus ejus qui vult, neque per manus ejus qui currit, sed per manus Dei misericordis, *&c. Hic multus est in laborando, ut locuples evadat, in paupertate tamen manet: ille otio torpet, prosperè tamen omnia ipsi cedunt. Sed rarò tamen id accidit. Livius* lib. 1. *nihil agenti putat de cælo haud devolaturam Victoriam. & potest id, quod supra dixi, provenire à justissimo Deo, ad emendationem primi; vel ad puniendum jam antè commissa peccata, vel propter præscientiam, opulentiam illi fore noxiam: ad secundi verò conversionem; ut per ita largam Dei gratiam, ad meliorem mentem reducatur. Habet Providentia abyssum, quam nemo penetrare potest.* Animi morbus est *(inquit Basilius)* superfluè de hoc quærere. *Verum tamen est, quod Deus ita agat in tempore, ut decrevit ab æterno. Decrevit verò pleraque mundana hæc debere nostra cura, studio, opera, administrari. Quid illæ leges essent, quibus mali pœnis, boni præmiis, afficiuntur? Quid præcepta de labore? Quid nostra studia? Quid exercitatio? Vana hæc essent, si fato Stoico omnia contingerent. Stultum esset se bellicis laboribus exercitare, cum etiam sine his victoria obtineri posset: ineptum, laborare; cum etiam sine labore vita sustentari posset: stolidum, lucubrationibus multum olei consumere; cum etiam sine his scientiæ acquirerentur. Ea propter multa, quæ ita evenire videmus, inertiæ aut imprudentiæ illorum, qui indignis favent, imputanda sunt.*

Sinit

Sinit id Deus propter multas sibi notas causas. *Sapè, quod Claudianus canit* lib. 1. in Rufin.

——————Tolluntur in altum,
Vt lapsu graviore ruant. ——

Sed cur in aulis interdum videmus Fortunam fatuis, indignis, negotiorum quibus præficiuntur imperitis, esse propitiam: sapientibus, doctis, piis, peritis, novercam? Plerumque qui ad magna eveniunt, veris aut simulatis virtutibus sunt conspicui, judicio pollent, ac laboris sunt patientes: interdum tamen id accidere, notum est. Nolo ego arcana Dei indagare. Sæpe id à culpa eorum, qui ejusmodi homines evehunt, provenire arbitror. Deus creavit hominem cum agendi libertate, quæ facile vitiosum aliquid producere potest. Princeps ergò non se subiiciendo rationi a Deo acceptæ, sed solum indulgendo affectibus, indignos facilè maximis dignitatibus ornare potest: Sinit id Deus, ut tandem etiam Principis inertia puniatur. Porrò Principe non satis iudicio nec rerum usu, valente, sæpe fortunæ porta imperito magis quam sapienti patebit: nam facilè rerum cognitione destitutus imperitum, insipientem pro sapiente reputabit: & ejusmodi homini adhuc facilior erit via ad fortunæ bonæ fanum, si iisdem moribus, quibus Princeps, præditus est. Ex gr. placeat Principi noctes diesq; epulando ac potando consumere, hic illud laudet seq; ei fidelem ministrum præbeat, fortuna prospera non deerit ipsi: Sic jam olim propter hoc deferebat Tiberius Pomponio Flacco an Pisoni Syriam Provinciam, ac præfecturam Urbis. Vid. Sueton. in Tiber. c. 42. *Studeat Princeps libidini, & habeat secum vilioris ingenii hominem sibi in hoc servientem, propter hoc facilè ille fortunam benevolam habebit. Id jam olim Sofonium Tigellinum amicum Neroni reddebat, de quo vide Tacitum* l. 14. Ann. c. 51. *Sit Princeps venatio-*

nationibus deditus, facilè gratiam eius ille captabit, cui eadem cordi est. Sit Princeps avarus, & offerat se illi aliquis cæterarum rerum imperitissimus, modo novum aliquod compendium pecuniæ conflandæ doceat, fortuna propter hoc illi benignior quam sapientissimo erit. Sit Princeps vanus fumoq; falsarum laudum delectetur, accedat quidam etiam fatuus, ac cæterarum regni rerum imperitus, modo paululum in hoc artifex sit, pluris non solum illum æstimari videbis, quam prudentissimum; sed etiam sæpius illum huic in dignitatibus præferri. Si delectatur Princeps facetiis & insulsis jocis, scurra in his multùm sapiente felicior, faciliorem habebit viam ad Principis gratiam obtinendam: sapiens verò qui pietate ac candore elucet, adulationes odit, gravia, nec semper Principi grata, loquitur: cum Principem suum videt propter avaritiam, aut propter nimias largitiones, aut propter malorum consortia, aut propter libidinem, aut propter id genus alia peccata ad proprium interitum, ad summum periculum, ad irreparabile damnum properare, affligitur; nec data occasione sibi temperare potest, quin Principi mala exinde pullulantia demonstret. At vero, cum ita faciendo Principi vitia exprobrare videbitur; struet sibi ipsi scopulos ac Syrtes, quo minus ad altiora provehi possit. Accedit malorum continuum cum Principe consortium, qui ut sapientia ac virtute claros oderunt, ita illis, ne emergere possint, in omnibus obstabunt. Præterea nemo tam fatuus est, ut non in aliqua re peritiam habeat: callet sæpe morio multò melius aulicas artes, quam sapiens aut eruditus, illæ tamen ad fortunam apud Principes conciliandam maximè sunt necessariæ. Sæpe etiam homines cum Principibus educati, quanquam nec virtutibus nec ingenio pollent, possunt tamen propter diu-

diuturnam illam consuetudinem, Principis ingenium atq; inclinationem optimè novisse, atq; sic multò facilius aliquid à Principe, quam alii hac cognitione destituti, impetrare. Non leve quoque subsidium illis est familiaritas, quam cum Principe contraxerunt. Nulla sanè res magis usui alicui quam hoc, ad obtinendum aliquid a Principe, esse potest. Graves viri non tam facilè eam familiaritatem cum Principibus inire queunt, quam facetiarum & jocorum artifices. Prudentes cautè ac circumspectè agunt, nec ita audaces sunt, atq; imperiti: ex audacibus verò petitionibus commodi plus sapè in aulis capitur, quam ex magna prudentia. Reperias etiam Principes, qui ita ambitiosi sunt, ut nullos se prudentiores circa se pati possint: assumunt ergo homines imperitos, quiq; nihil aliud efficere valent, quam quod ipsis imperatum est. Quandoq; etiam Principes sibi imaginantur, si se sapientioris consuetudine utantur, illorum vitia subito omnibus manifesta fore. Hac & plurima alia secundos fortuna ventos indignis excitare valent.

Sapientem supra fortunam esse] *Hinc Juvenal.* satyr. 13.

Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia.

Nam juxta Terentium in Adelph. act. 3. sc. 4.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est,
Videre: sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere.

Verum tempora interdum adeo infelicia sunt, ut nihil magis obsit homini, quam sapientia, de quo vide Plinii Panegyricum Traiano dictum. Sunt tempora (*inquit Tacitus*) in quibus magnis virtutibus est certissimum exitium. *ac plurima*

rima humana negotia sunt tot casibus subiecta, ut interdum nulla humana sapientia naufragium evitari possit. Quomodo fortuna bona acquiratur ac conservetur, nonnulli auctores, ut Verulamius in tractat. cui titulus Faber Fortunæ, *& Machiavellus passim,* præsertim c. 25. in suo Principe, *docuerunt: sed eiusmodi doctrinam non semper viam ad constantis Fanum Fortunæ monstrare, Cæsaris Borgiæ exitus probat: ille Discipulus Machiavelli censentis, prudentem omnes fortunæ casus avertere posse, non poterat tamen artibus illis, quibus fideliter à suo Præceptore imbutus erat, fortunæ scopulos sine naufragio prætervehere. Multi etiam de Fortuna aulica scripserunt, aulicisq; dederunt præcepta, quorum observatione fortunam constantem in aulis habere possint: fateor ea non nihil aulico prodesse posse; videmus tamen prudentissimis, artiumq; Curiæ callentissimis, nulla arte licuisse fortunæ volubilitatem evitare. Ferdinandus Consalvus, vir prudentia militari ac civili ante alios conspicuus, Regiq; Aragoniæ Ferdinando, cui Neapolitanum Regnum subiecerat, maximaq; alia servitia præstiterat, summe fidus, non poterat his omnibus fortunam sibi propitiam conservare; sed oportebat ut dignitatibus illis, quibus eum propria merita condecoraverant, exutus, & aula extorris, in privato senesceret atq; decederet statu. Dux Albanus, artium curialium peritissimus, omnibus Carolo V. ac Philippo II. præstitis servitiis non poterat fortunæ mutationem arcere: proiiciebatur à Philippo, privatisq; ædibus tanquam carceri includebatur. Vide le Sieur de Silhon* dans la premiere partie au premier livre du ministre d'Estat, aux discours 6. & 7. *Aliis exemplis allegandis supersedeo.*

Contumeliosis poëtarum epithetis] *Adde & Philosophorum. Cebes Philosophus Thebanus*

 in sua

in suâ tabula *eam appellat cæcam, stultam, surdam.* *Vide* li discorsi morali *del Mascardi* su la tavola di Cebete, nella seconda parte nel discorso terzo. *Cicero* in Philipp. 13. *eam etiam cæcam appellat. idem facit Plin.* lib. 2. c. 7. *Apuleius* lib. 7. de asino aureo, *dicit, eam esse cæcam & prorsus exoculatam, quæ semper suas opes ad malos & indignos conferat. Poetæ eodem modo sæviunt:*

Inconstans, fragilis, perfida, lubrica,
Nec quos clarificat perpetuo fovet.

Auson. in Epigr.

Semper movetur, variat & mutat vices,
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Ovid. lib. 5. Fastc.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat.

Seneca in Medea *eam appellat rapidam & levem.*

Non opus est, ut tanto argumentorum molimine astrologiam judiciariam oppugnare] *Contra Astrologos judiciarios scripserunt multi veteres ac recentiores. Vide Pici Mirandulæ integrum tractatum. Vide & Helmont.* in libro, Astra non inclinant. *Patres Antiquæ Ecclesiæ, etiam admodum impugnarunt eam. Vid. Augustin.* l. 5. de civit. Dei. c. 5. & l. 11. de doct. Christ. *Vide & Concil. Braccarens.* 1. can. 8. *Leges Romanæ eandem artem interdicunt. Vid. leg.* 2. & 5. *C. de Malefic. & Mathemat. Cuiacius in Paratit. illo tit. per Mathematicos intelligit illos, qui profitentur se fata cuiusq; nosse & natalitias siderum observationes. Inter ipsos Ethnicos multi haud magnifecerunt hanc scientiam. Vide Sext. Empiric. Pyrrhon. hypotyp. Iamblichus* in lib. de Mysteriis, *irridet Porphyrium multum huic professioni attribuentem. Suidas testatur Alexandriæ quoddam tributum nomine Blacenomium, quod Astrologi penderent, quia ad eos acce-*

accederent stulti. Hinc Cicero l. 2. de Divinat. Quam multa, *inquit*, ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini: neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: id mihi permirum videatur quemq; extare qui etiam nunc credat iis, cum prædicta quotidiè videant re & eventu refelli. *Eapropter Tac.* l. 1. Hist. *vocat Astrologos*, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. & *Valer. Max.* l. 1. c. 3. Cornelium Hispallum Prætorem intrà decimum diem illos abire ex Vrbe atque Italia edicto jussisse, levibus atque ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes. *Astra tamen multum in hæc inferiora posse, non solum Ptolemæus & omnes alii hujus scientiæ Professores testantur; sed ipsa experientia docet. Patet id apertissimè ex approximatione & recessu Solis, Pleniluniis, atq; aliis aspectibus. Voluntatem tamen humanam non cogi à sideribus, sed solum hominem ad aliquid disponi, & ejusmodi siderum operationes posse etiam ab eo impediri, fatetur Ptolemæus* de astror. judiciis l. 1. c. 4. tex. 24. & 25. *Ego, ut haud dubito, astra magnam in hæc inferiora vim habere; ita censeo, Astrologum non posse aliquid certi de vita, moribus, virtutibus, vitiis, inclinatione hominis & aliis id genus prædicere. Dicit Porphyrius apud Iamblich.* de Myster. regulas Astrologiæ esse incomprehensibiles & incertas. *Sunt sanè illorum fundamenta ut plurimum fallacia.* (1.) *Prædicunt omnia ex illis siderum aspectibus, qui tempore nativitatis fuere; credo in mille nativitatibus vix semel momentum, quo quis natus, observatum fuisse.* (2.) *Observant illi solum causas remotas, causis proximis haud attendunt: causa proxima sunt natura patris & matris, cibus*

quibus tempore generationis ac conceptionis nutriti fuere parentes, eorundemq; imaginatio, aër, alimenta & educatio infantis, atq; id genus alia. Haud censendum est siderum aspectus plus in homines quam in agros ac tempestates posse. In duabus provinciis sub una eademque elevatione Poli ac meridiano sitis, fertilitas agri, ac tempestas omninò differunt. Si soli aspectus siderum considerandi essent, nulla diversitas adesse deberet, sed situs locorum, terra cultura, ac bonitas agri, eam veluti causa proxima inducunt: tempestas enim alia est in montibus, alia in planitie, alia in locis palustribus, alia in locis arenosis & aqua destitutis. Eodem modo alias propensiones animi corporisque constitutionem habebit homo natus à robustis ac sanis parentibus, bonis cibis nutritus, ac in loco salubritate aëris gaudente rectè educatus, quam ille cujus parentes semper ægrotarunt, qui minus sanis cibo à puero imnutritus, parumq; in consuetudinem virtutum adductus fuit. (3.) Sequuntur Ptolemaum atque Arabes, quorum tamen præcepta nostro climati haud conveniunt: nam cum situs locorum ac lux sit diversa, oportet etiam effectus in domibus cœlestibus esse diversos. alia lux est sub sphæra recta, quam sub sphæra obliqua; alia sub sphæra obliqua, quam sub sphæra parallela &c. Oportet ergò lucem illam, qua fruuntur homines sub Zona Torrida (cui solum Ptolomai atque Arabum Aphorismi conveniunt) alios producere effectus, quam eam qua nos hic fruimur.

Imperante Mercurio] *Vid. Luc. Gaurici* Aphorismos Astrolog. & librum de judiciis Themat. Genethl. *qui sub nomine Dn. Henrici Ranzovii Cimbriæ Producis, omnium ingenuarum scientiarum insignis amatoris, editus est. & Kepl. Maximam vim Mercurio plurimi Astrologi tribuunt,*

buunt, sed cum sit admodum exilis stella radiisq; Solis perpetuò tegatur, vix verisimile, eam multum in hæc inferiora posse.

Imperante Iove divitias] *Vide Ptolem.* de astror. judic. *Henric. Ranzov.* de judic. Themat. Genethliac. *Kepler.*

Fortunæ templum] *Vide Plutarch.* in libro de Romanorum Fortuna. Virtutis, *inquit*, apud eos (*scil. Romanos*) serò & post multa secula templum sacravit Scipio Numantinus *&c. pergit ibidem:* sapientiæ verò ne in hunc quidem diem ædes extat, neque temperantiæ vel fortitudinis, vel magnanimitatis, vel continentiæ, sed fortunæ delubra splendida & vetusta, ac primis incunabilis æqualia admixta eis fuere. *Vide plura ibid. hunc honorem Fortunæ exhibebant, putantes, eam vim omnium dominatricem obtinere, ut idem Plutarchus testatur.*

Per homeri catenam] *Vide Ioh. Baptist. Portam* l.1. c.6. Mag. Natur.

Sect. XIIX.

NOn paucorum religio in atheismum conversa est, dum duas istas secundarias causas, Dei quasi visibiles manus, sinistre & præpostere interpretarentur: qui salubrium fidei monitorum immemores affectuum & rationis conjurationi aures præbent. Ideoque semper, quod potui, ad inimicas istas terricasq; affectuum, fidei, & rationis iras componendas operam dedi: Hæc enim tria in anima nostra imperium affectant, non minus paci ipsius & tranquillitati inimica, quam olim † triumviratus ille alter Reipublicæ Romanæ Ra-

tio fidei rebellat, affectus rationi; quæ fides censuit, ratio improbat; quæ ratio statuit, aversatur affectus, & tum hujus, tum illius sententiæ refragatur ratio, si tamen prudens & placidum judicium accesserit, ita res hæc tota componi poterit, ut omnia simul regnent, nec tamen nisi unicam Monarchiam constituant, cum unumquodque jus suum & authoritatem, & loci, & temporis ratione habita legitime exerceat. Habet quidem ut Philosophia, † sic Theologia etiam, impeditos quosdam nodos, objectionesq; contumaces, quibus, quæ est cognitionis nostræ infelicitas, non raro implicari solemus. Quod genus me uno nemo hominum plura expertus est; quæ equidem non vi & armis, sed genibus flexis subegi. Nec enim nobis cum dubitationibus istis certamen est, sed cum ipso Diabolo: ille, quæ est spiritus ejus scelerata improbitas, etiam studiis nostris ad infidelitatem in nobis generandam utitur; & quædam naturaliter fieri posse ostendens, de miraculis ipsis suspicionem injicit. Ex archidoxis & arcanis rerum sympathiis perlectis, similiter † in æneo olim serpente nihil fuisse miraculi persuadere parat, hæc † enim omnia per sympathiam aliquam effecta fuisse, & remedium illud per artes Ægyptiacas sine miraculo inventum. Cum itidem in † bitumine experimenta quædam

dam conſpexiſſem, & longe etiam plura de † Naphta legiſſem, ille ſtatim animo curioſo de altaris igne ſuſpicionem injicit, nec miraculi quicquam † edidiſſe Eliam, cum altare foſſa cingeret, aquamque circumduceret; non enim materiam illam adverſario humore extingui, ſed in mediis inimicæ aquæ amplexibus exardeſcere. Ad eundem modum † Sodomorum combuſtionem naturalem fuiſſe, & lacum illum † ante incenſa Gomorrha bituminoſum & aſphalticum. Novi hodie † mannam in Calabria ubertim colligi, idemque olim in Arabia accidiſſe aqud Joſephum legeram; continuo Diabolus, quale ergo, inquit, fuit hoc † Moſis miraculum? Non aliud tunc viderunt Iſraelitæ, quam hodie regionum iſtarum incolæ. Sic ille, quaſi in latrunculorum ludo mihi peditem cedens, reginam captat; ſtudiiſque meis ingenuis ſiniſtre uſus fidem mihi labefactare conatus eſt, dum ego rationi cumulandæ ſtudeo.

ANNOTATA

Ad Sect. XIIX.

Triumviratus ille] *Vide Flor.* l. 4 c. 6.

Sic Theologia etiam] *SS. Scriptura quidem ea quæ ad fidem, ac bonos mores ſpectant, ſatis perſpicuè docet. ideò Auguſt.* l. 2. de doctr. Chriſt. c. 9. in iis quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, ſpem ſcil. atque charitatem & *Chryſoſt.* Homil. 3. in 2. Theſſal. πάντα σαφῆ καὶ εὐ-

θέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *h.e.* Omnia sunt dilucida & recta quæ sunt in divinis scripturis; manifesta sunt quæcunque sunt necessaria. *sed multa alia sunt, quæ nos satis assequi non possumus. Prophetiæ sunt mysteria, eorum clavis unicuiq; non datur. Et etiam in aliis sæpe, quia circumstantiæ nobis latent, sensum non assequimur. Cum Sanctiss. Scriptores de rebus naturalibus, aut aliis rebus non ad fidem spectantibus, scribunt, sæpe loquuntur vulgari modo, ac per transcursum & sine ordine illa tangunt, multisq; peregrinum exinde capiendi sensum occasionem præbent. Placet mihi illud, quod August.* Epist.7. ad Marcellin. *scribit:* Si ratio, *inquit,* contra divinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, vallit verisimilitudine. nam vera esse non potest. Rursus si manifestæ certæque rationi velut sanctarum scripturarum obiicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non scripturarum illarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obiicit veritati, nec quid in eis sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.

In æneo olim serpente] *Vide Num.*21.v.9.

Nihil fuisse miraculi] *Quid dici potest, illum serpentem factum fuisse ad aspectus Planetarum & varietatem ascendentium. Vide Tostat.* in Numer.21. qu.9. & 10. *ubi hoc refellit. ac hoc in serpente illo fuisse miraculum probat.*

Bitumine] *De hoc vide Strabonem* l.16. *Plin.* l.35.c.15. *Porta* l.12. Mag. Natur. prodit proprium bituminis esse aquis accendi, oleo restingui.

Naphta] *Vid. Plutarch.* in vita Alexand. & *Plin.* l.2. c.5. *testatur* eodem libro c.4. *idem, in Comagenes Urbe Samosatis stagnum esse, emittens limum (Maltham vocant) flagrantem: & illum limum aquis accendi: terra tantum restingui. Dioscorides Thracio Lapidi, qui na-*

sci-

*fitur in quodam Scythiæ Fluvio, eandem vim tribuit. Plura eiusmodi vim habentia, Vide apud Port.*l. 12. Mag. natur. c. 10.

Edidisse Eliam] *Vid.* 3. Reg. 18. *Si maliciosè aliquis hoc miraculum eludere conaretur, ad nullas tamen naturales artes referre posset,* Quod corvi Heliæ detulerint panem et carnem mane ac vespeři, quod hydria farinæ non defecerit viduæ Sareptanæ operâ Eliæ, quod idem mortuum resuscitaverit, vid. 3. Reg c.17.v.6.16. 12.22. quod jussu eius ignis de cœlo descenderit & devoraverit quinquagenarium & quinquaginta, qui erant cum eo, vid. 4. Reg. c.1.v. 10.11. & seq. quod pallio aquas Iordanis diviserit, & cum Elisæo per siccum transierit, quod per turbinem in cœlum ascenderit, 4. Reg.c.2. v.8. & 11.

Sodomorum combustionem] *Vide de hac* Gen.19.v.24. *Vide & Strabon.* l.16. *Tac.* l. 5. Hist. c.7.edit. *Bernegger. qui id esse verum fatentur ut & Solinus* c.36. edit. *Salmas. Vide &* l'itinerario *di Ludovico di Barthema* vel. l.1. c.6.

Ante incensa Gomorrha bituminosum & asphalticum] De illo lacu, *vide Plin.* l. 5. c. 16. *Strab.* l.16. *Tac.* l.5. Histor. c. 6. *ante Sodomorum incendium hunc lacum haud fuisse testatur.* Strabo *supra dicto libro,* ex fama apud indigenas vulgata; sed tunc terræ motibus, erupente igne, aquisq; calidis & bituminosis, extitisse qui nunc est.

Mannam] *Celsius vocat Syriacum rorem. Vid.* Cœl. Rhodig. lect l.24. c.25 *Galen.*l.3. de alimentis. *Colligi ait in Libano monte Liburniæ: adeò ut rustici expansis super terram velleribus, mel à concussis arboribus decidens accipientes, ollas ac fictilia plena referant. An Israelitarum manna differat ab illo quod nunc reperitur. Vid. ap. Sennert.* in Epit. scient. natural. l. 4. c. 8. *Rabbi David docet quod manna commedentes Israelitæ haud emiserint stercora, sed illas nugas refellit Tostatus* in Numer.21.qu.6.

Moysis miraculum] Exod. 16. v. 15. *Illud fuisse miraculum probatur exinde*; quod Sabbatho nihil eius inventum fuerit in agro; quod illud Mannæ, quod contra mandatum Moysis relictum erat in mane, scatere cœperit vermibus ac computruerit, vid. ibid. v. 19. 29. seq.

Sect. XIX.

NEc tamen aut hæc, aut ulla alia tantum apud me unquam valuerunt, ut ad infidelitatem aliquam, aut deplorata atheismi dogmata pertraherent; † nullos enim unquam atheos fuisse jamdudum credo. † Qui homines à brutis animalibus religione distingui statuunt, verisimiliter loquuntur, & hoc pari probabilitate tueri poterunt. Illud † Epicuri dogma, quo Divinam providentiam sustulit, atheismus non erat: ex sublimi enim & magnifica opinione de Deo concepta, maiestatem eius indignam judicavit, quæ viles istas inferiorum actiones curaret. † Fatalis Stoicorum necessitas nihil aliud est, quam divinæ voluntatis immutabilis lex. Qui olim † Spiritus sancti divinitatem sustulerunt, hæreticorum nomine solummodo damnati sunt; & qui hodie † Servatorem nostrum abnegant, licet hæreticis omnibus deteriores, athei tamen non sunt. Utcunque enim in Trinitate duas esse personas negent, unum tamen Deum esse nobiscum statuunt. Monstrum illud hominis, Diis inferis à se-

cretis

cretis scelus, nefarii illius tractatus † de tribus Impostoribus * author, quantumvis ab omni religione alienus, adeo ut nec Judæus, Turca, nec Christianus fuerit, plane tamen atheus non erat. Est sane suus cuiq; regioni † Machiavellus, suus cuique sæculo † Lucianus. De quibus ut ne audire quidem vulgo tutum est, ita nec qui provectiori judicio sunt eosdem audacius aggredi debent. Hic ea Satanæ Rhetorica latitat, quæ mentes, aut leves, aut præjudicio tentatas facilè pervertit.

* *Bernardinus Ochinus.*

ANNOTATA
Ad Sect. XIX.

Nullos unquam atheos fuisse] *Fuisse atheos, scribit Plutarchus* l. 1. c. 7. de divers. Philosoph. Plac. *Diagoras enim, Theodorus Cyrenensis & Evemerus Teagates negaverunt Deos esse. Idem de multis testatur Cicero* l. 1. & 2. de Natur. Deor. *Vide quæ supra ad sect.* 16. *dixi, & Sext. Empir.* l. 3. Pyrrh. hypotyp. *& adhuc esse integras nationes, quæ ex innata feritate nullum esse numen credunt, testatur Bernhardus Varen.* in libro de diversis gentium religion. *Idem Mandeslovius* in Epistola, quam ex insula Madegascar ad Olearium, Serenissimi mei Principis Mathematicum *scripsit, testatur de Africanis, qui ad promontorium bonæ spei habitant. Et in nostra Europa inveniri atheos nemini qui per aliquod temporis spatium in Italia habitavit, incognitum esse potest. Fateor tamen multos etiam apud gentiles atheos vocatos fuisse, non quod nullum Deum crederent, sed quod non eosdem, quos illi admitterent.*

Sinit id Deus propter multas sibi notas causas. Sapè, quod Claudianus canit lib. 1. in Rufin.

———Tolluntur in altum,
Vt lapsu graviore ruant. ——

Sed cur in aulis interdum videmus Fortunam fatuis, indignis, negotiorum quibus praeficiuntur imperitis, esse propitiam: sapientibus, doctis, piis, peritis, novercam? Plerumque qui ad magna evenient, veris aut simulatis virtutibus sunt conspicui, judicio pollent, ac laboris sunt patientes: interdum tamen id accidere, notum est. Nolo ego arcana Dei indagare. Saepe id à culpa eorum, qui ejusmodi homines evehunt, provenire arbitror. Deus creavit hominem cum agendi libertate, quae facile vitiosum aliquid producere potest. Princeps ergò non se subiiciendo rationi a Deo acceptae, sed solum indulgendo affectibus, indignos facilè maximis dignitatibus ornare potest: Sinit id Deus, ut tandem etiam Principis inertia puniatur. Porrò Principe non satis iudicio nec rerum usu, valente, saepe fortunae porta imperito magis quam sapienti patebit: nam facilè rerum cognitione destitutus imperitum, insipientem pro sapiente reputabit: & ejusmodi homini adhuc facilior erit via ad fortunae bonae fanum, si iisdem moribus, quibus Princeps, praeditus est. Ex gr. placeat Principi noctes diesq; epulando ac potando consumere, hic illud laudet seq; ei fidelem ministrum praebeat, fortuna prospera non deerit ipsi: Sic jam olim propter hoc deferebat Tiberius Pomponio Flacco an Pisoni Syriam Provinciam, ac praefecturam Vrbis. Vid. Sueton. in Tiber. c. 42. *Studeat Princeps libidini, & habeat secum vilioris ingenii hominem sibi in hoc servientem, propter hoc facilè ille fortunam benevolam habebit. Id jam olim Sofonium Tigellinum amicum Neroni reddebat, de quo vide Tacitum* l. 14. Ann. c. 51. *Sit Princeps venatio-*

nationibus deditus, facilè gratiam eius ille captabit, cui eadem cordi est. Sit Princeps avarus, & offerat se illi aliquis cæterarum rerum imperitissimus, modo novum aliquod compendium pecuniæ conflandæ doceat, fortuna propter hoc illi benignior quam sapientissimo erit. Sit Princeps vanus fumoq; falsarum laudum delectetur, accedat quidam etiam fatuus, ac cæterarum regni rerum imperitus, modo paululum in hoc artifex sit, pluris non solum illum æstimari videbis, quam prudentissimum; sed etiam sæpius illum huic in dignitatibus præferri. Si delectatur Princeps facetiis & insulsis jocis, scurra in his multùm sapiente felicior, faciliorem habebit viam ad Principis gratiam obtinendam: sapiens verò qui pietate ac candore elucet, adulationes odit, gravia, nec semper Principi grata, loquitur: cum Principem suum videt propter avaritiam, aut propter nimias largitiones, aut propter malorum consortia, aut propter libidinem, aut propter id genus alia peccata ad proprium interitum, ad summum periculum, ad irreparabile damnum properare, affligitur; nec data occasione sibi temperare potest, quin Principi mala exinde pullulantia demonstret. At vero, cum ita faciendo Principi vitia exprobrare videbitur, struet sibi ipsi scopulos ac Syrtes, quo minus ad altiora provehi possit. Accedit malorum continuum cum Principe consortium, qui ut sapientia ac virtute claros oderunt, ita illis, ne emergere possint, in omnibus obstabunt. Præterea nemo tam fatuus est, ut non in aliqua re peritiam habeat: callet sæpe morio multò melius aulicas artes, quam sapiens aut eruditus, illæ tamen ad fortunam apud Principes conciliandam maximè sunt necessaria. Sæpe etiam homines cum Principibus educati, quanquam nec virtutibus nec ingenio pollent, possunt tamen propter diu-

diuturnam illam consuetudinem, Principis ingenium atq; inclinationem optimè nouisse, atq; sic multò facilius aliquid à Principe, quam alii hac cognitione destituti, impetrare. Non leue quoque subsidium illis est familiaritas, quam cum Principe contraxerunt. Nulla sanè res magis usui alicui quam hoc, ad obtinendum aliquid a Principe, esse potest. Graues viri non tam facilè eam familiaritatem cum Principibus inire queunt, quam facetiarum & jocorum artifices. Prudentes cautè ac circumspectè agunt, nec ita audaces sunt, atq; imperiti: ex audacibus verò petitionibus commodi plus sæpè in aulis capitur, quam ex magna prudentia. Reperias etiam Principes, qui ita ambitiosi sunt, ut nullos se prudentiores circa se pati possint: assumunt ergo homines imperitos, quiq; nihil aliud efficere valent, quam quod ipsis imperatum est. Quandóq; etiam Principes sibi imaginantur, si se sapientioris consuetudine utantur, illorum vitia subito omnibus manifesta fore. Hæc & plurima alia secundos fortunæ ventos indignis excitare valent.

Sapientem supra fortunam esse] *Hinc Iuuenal.* satyr. 13.

> Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
> Victrix fortunæ sapientia.

Nam juxta Terentium in Adelph. act. 3. sc. 4.

> Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est,
> Videre: sed etiam illa, quæ futura sunt,
> Prospicere.

Verum tempora interdum adeo infelicia sunt, ut nihil magis obsit homini, quam sapientia, de quo vide Plinii Panegyricum Traiano dictum. Sunt tempora (*inquit Tacitus*) in quibus magnis virtutibus est certissimum exitium. *ac plurima*

rima humana negotia sunt tot casibus subiecta, ut interdum nulla humana sapientia naufragium evitari possit. Quomodo fortuna bona acquiratur ac conservetur, nonnulli auctores, ut Verulamius in tractat. cui titulus Faber Fortunæ, *& Machiavellus passim*, præsertim c. 25. in suo Principe, *docuerunt: sed eiusmodi doctrinam non semper viam ad constantis Fanum Fortunæ monstrare, Cæsaris Borgiæ exitus probat: ille Discipulus Machiavelli censentis, prudentem omnes fortunæ casus avertere posse, non poterat tamen artibus illis, quibus fideliter à suo Præceptore imbutus erat, fortunæ scopulos sine naufragio prætervehere. Multi etiam de Fortuna aulica scripserunt, aulicisq; dederunt præcepta, quorum observatione fortunam constantem in aulis habere possint: fateor ea non nihil aulico prodesse posse; videmus tamen prudentissimis, artiumq; Curiæ callentissimis, nulla arte licuisse fortunæ volubilitatem evitare. Ferdinandus Consalvus, vir prudentia militari ac civili ante alios conspicuus, Regiq; Aragoniæ Ferdinando, cui Neapolitanum Regnum subiecerat, maximaq; alia servitia præstiterat, summe fidus, non poterat his omnibus fortunam sibi propitiam conservare; sed oportebat ut dignitatibus illis, quibus eum propria merita condecoraverant, exutus, & aula extorris, in privato senesceret atq; decederet statu. Dux Albanus, artium curialium peritissimus, omnibus Carolo V. ac Philippo II. præstitis servitiis non poterat fortunæ mutationem arcere: proiiciebatur à Philippo, privatisq; ædibus tanquam carceri includebatur. Vide le Sieur de Silhon* dans la premiere partie au premier livre du ministre d'Estat, aux discours 6. & 7. *Aliis exemplis allegandis supersedeo.*

Contumeliosis poëtarum epithetis] *Adde & Philosophorum. Cebes Philosophus Thebanus*

accederent stulti. Hinc Cicero l. 2. de Divinat. Quam multa, *inquit*, ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini: neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: id mihi permirum videatur quemq; extare qui etiam nunc credat iis, cum prædicta quotidiè videant re & eventu refelli. *Eapropter Tac.* l. 1. Hist. *vocat Astrologos*, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. & *Valer. Max.* l. 1. c. 3. Cornelium Hispallum Prætorem intra decimum diem illos abire ex Vrbe atque Italia edicto jussisse, levibus atque ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes. *Astra tamen multum in hac inferiora posse, non solum Ptolemaus & omnes alii hujus scientiæ Professores testantur; sed ipsa experientia docet. Patet id apertissimè ex approximatione & recessu Solis, Pleniluniis, atq; aliis aspectibus. Voluntatem tamen humanam non cogi à sideribus, sed solum hominem ad aliquid disponi, & ejusmodi siderum operationes posse etiam ab eo impediri, fatetur Ptolemæus* de astror. judiciis l. 1. c. 4. tex. 24. & 25. *Ego, ut haud dubito, astra magnam in hac inferiora vim habere; ita censeo, Astrologum non posse aliquid certi de vita, moribus, virtutibus, vitiis, inclinatione hominis & aliis id genus prædicere. Dicit Porphyrius apud Iamblich.* de Myster. regulas Astrologiæ esse incomprehensibiles & incertas. *Sunt sanè illorum fundamenta ut plurimum fallacia.* (1.) *Prædicunt omnia ex illis siderum aspectibus, qui tempore nativitatis fuere, credo in mille nativitatibus vix semel momentum, quo quis natus, observatum fuisse.* (2.) *Observant illi solum causas remotas, causis proximis haud attendunt: causa proxima sunt natura patris & matris, tibia*

quibus tempore generationis ac conceptionis nutriti fuere parentes, eorundemq; imaginatio, aër, alimenta & educatio infantis, atq; id genus alia. Haud censendum est siderum aspectus plus in homines quam in agros ac tempestates posse. In duabus provinciis sub una eademque elevatione Poli ac meridiano sitis, fertilitas agri, ac tempestas omninò differunt. Si soli aspectus siderum considerandi essent, nulla diversitas adesse deberet, sed situs locorum, terræ cultura, ac bonitas agri, eam veluti causæ proximæ inducunt: tempestas enim alia est in montibus, alia in planitie, alia in locis palustribus, alia in locis arenosis & aqua destitutis. Eodem modo alias propensiones animi corporisque constitutionem habebit homo natus à robustis ac sanis parentibus, bonis cibis nutritus, ac in loco salubritate aëris gaudente rectè educatus, quam ille cujus parentes semper ægrotarunt, qui minus sanis cibo à puero imnutritus, parumq; in consuetudinem virtutum adductus fuit. (3.) *Sequuntur Ptolemæum atque Arabes, quorum tamen præcepta nostro climati haud conveniunt: nam cum situs locorum ac lux sit diversa, oportet etiam effectus in domibus cœlestibus esse diversos. alia lux est sub sphæra recta, quam sub sphæra obliqua; alia sub sphæra obliqua, quam sub sphæra parallela &c. Oportet ergò lucem illam, qua fruuntur homines sub Zona Torrida (cui solum Ptolomæi atque Arabum Aphorismi conveniunt) alios producere effectus, quam eam qua nos hic fruimur.*

Imperante Mercurio] *Vid. Luc. Gaurici* Aphorismos Astrolog. & librum de judiciis Themat. Genethl. *qui sub nomine Dn. Henrici Ranzovii Cimbriæ Producis, omnium ingenuarum scientiarum insignis amatoris, editus est. & Kepl. Maximam vim Mercurio plurimi Astrologi tribuunt,*

buunt, sed cum sit admodum exilis stella radiisq; Solis perpetuò tegatur, vix verisimile, eam multum in hæc inferiora posse.

Imperante Iove divitias] *Vide Ptolem.* de astror. judic. *Henric. Ranz.* &c. de judic. Themat. Genethliac. *Kepler.*

Fortunæ templum] *Vide Plutarch.* in libro de Romanorum Fortuna. Virtutis, *inquit*, apud eos (*scil. Romanos*) serò & post multa secula templum sacravit Scipio Numantinus &c. *pergit ibidem:* sapientiæ verò ne in hunc quidem diem ædes extat, neque temperantiæ vel fortitudinis, vel magnanimitatis, vel continentiæ, sed fortunæ delubra splendida & vetusta, ac primis incunabilis æqualia admixta eis fuere. *Vide plura ibid. hunc honorem Fortunæ exhibebant, putantes, eam vim omnium dominatricem obtinere, ut idem Plutarchus testatur.*

Per homeri catenam] *Vide Ioh. Baptist. Portam* l.1. c.6. Mag. Natur.

Sect. XIIX.

NOn paucorum religio in atheismum conversa est, dum duas istas secundarias causas, Dei quasi visibiles manus, sinistre & præpostere interpretarentur: qui salubrium fidei monitorum immemores affectuum & rationis conjurationi aures præbent. Ideoque semper, quod potui, ad inimicas istas terricasq; affectuum, fidei, & rationis iras componendas operam dedi: Hæc enim tria in anima nostra imperium affectant, non minus paci ipsius & tranquillitati inimica, quam olim † triumviratus ille alter Reipublicæ Romanæ Ra-

tio fidei rebellat, affectus rationi; quæ fides censuit, ratio improbat; quæ ratio statuit, aversatur affectus, & tum hujus, tum illius sententiæ refragatur ratio, si tamen prudens & placidum judicium accesserit, ita res hæc tota componi poterit, ut omnia simul regnent, nec tamen nisi unicam Monarchiam constituant, cum unumquodque jus suum & authoritatem, & loci, & temporis ratione habita legitime exerceat. Habet quidem ut Philosophia, † sic Theologia etiam, impeditos quosdam nodos, objectionesq; contumaces, quibus, quæ est cognitionis nostræ infelicitas, non raro implicari solemus. Quod genus me uno nemo hominum plura expertus est; quæ equidem non vi & armis, sed genibus flexis subegi. Nec enim nobis cum dubitationibus istis certamen est, sed cum ipso Diabolo: ille, quæ est spiritus ejus scelerata improbitas, etiam studiis nostris ad infidelitatem in nobis generandam utitur; & quædam naturaliter fieri posse ostendens, de miraculis ipsis suspicionem injicit. Ex archidoxis & arcanis rerum sympathiis perlectis, similiter † in æneo olim serpente nihil fuisse miraculi persuadere parat, hæc † enim omnia per sympathiam aliquam effecta fuisse, & remedium illud per artes Ægyptiacas sine miraculo inventum. Cum itidem in † bitumine experimenta quædam

dam conſpexiſſem, & longe etiam plura de † Naphta legiſſem, ille ſtatim animo curioſo de altaris igne ſuſpicionem injicit, nec miraculi quicquam † edidiſſe Eliam, cum altare foſſa cingeret, aquamque circumduceret; non enim materiam illam adverſario humore extingui, ſed in mediis inimicæ aquæ amplexibus exardeſcere. Ad eundem modum † Sodomorum combuſtionem naturalem fuiſſe, & lacum illum † ante incenſa Gomorrha bituminoſum & aſphalticum. Novi hodie † mannam in Calabria ubertim colligi, idemque olim in Arabia accidiſſe aqud Joſephum legeram; continuo Diabolus, quale ergo, inquit, fuit hoc † Moſis miraculum? Non aliud tunc viderunt Iſraelitæ, quam hodie regionum iſtarum incolæ. Sic ille, quaſi in latrunculorum ludo mihi peditem cedens, reginam captat; ſtudiisque meis ingenuis ſiniſtre uſus fidem mihi labefactare conatus eſt, dum ego rationi cumulandæ ſtudeo.

ANNOTATA
Ad Sect. XIIX.

Triumviratus ille] *Vide Flor.* l.4 c.6.

Sic Theologia etiam] *SS. Scriptura quidem ea quæ ad fidem, ac bonos mores ſpectant, ſatis perſpicuè docet. ideò Auguſt.* l.2. de doctr. Chriſt. c.9. in iis quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, ſpem ſcil. atque charitatem *&* *Chryſoſt.* Homil.3. in 2. Theſſal. πάντα σαφῆ καὶ εὐ-

 θέα τα

δῆλα παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. h.e. Omnia sunt dilucida & recta quæ sunt in divinis scripturis; manifesta sunt quæcunque sunt necessaria. *sed multa alia sunt, quæ nos satis assequi non possumus. Prophetiæ sunt mysteria, eorum clavis unicuiq; non datur. Et etiam in aliis sæpe, quia circumstantiæ nobis latent, sensum non assequimur. Cum Sanctiss. Scriptores de rebus naturalibus, aut aliis rebus non ad fidem spectantibus, scribunt, sæpe loquuntur vulgari modo, ac per transcursum & sine ordine illa tangunt, multisq; peregrinum exinde capiendi sensum occasionem præbent. Placet mihi illud, quod August.* Epist. 7. ad Marcellin. *scribit:* Si ratio, *inquit,* contra divinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, vallit verisimilitudine. nam vera esse non potest. Rursus si manifestæ certæque rationi velut sanctarum scripturarum obiicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non scripturarum illarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obiicit veritati, nec quid in eis sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.

In æneo olim serpente] *Vide Num.* 21. v. 9.

Nihil fuisse miraculi] *Quid dici potest, illum serpentem factum fuisse ad aspectus Planetarum & varietatem ascendentium. Vide Tostat.* in Numer. 21. qu. 9. & 10. *ubi hoc refellit. ac hoc in serpente illo fuisse miraculum probat.*

Bitumine] *De hoc vide Strabonem* l. 16. *Plin.* l. 35. c. 15. *Porta* l. 12. Mag. Natur. prodit proprium bituminis esse aquis accendi, oleo restingui.

Naphta] *Vid. Plutarch.* in vita Alexand. & *Plin.* l. 2. c. 5. *testatur* eodem libro c. 4. *idem, in Comagenes Urbe Samosatis stagnum esse, emittens limum (Maltham vocant) flagrantem: & illum limum aquis accendi: terra tantum restingui. Dioscorides Thracio Lapidi, qui nasci-*

ſitur in quodam Scythiæ Fluvio, eandem vim tribuit. Plura eiusmodi vim habentia, Vide apud Porr. l. 12. Mag. natur. c. 10.

Edidiſſe Eliam] *Vid.* 3. Reg. 18. *Si malitiosè aliquis hoc miraculum eludere conaretur, ad nullas tamen naturales artes referre poſſet,* Quod corvi Heliæ detulerint panem ac carnem mane ac veſperi, quod hydria farinæ non defecerit viduæ Sareptanæ operâ Eliæ, quod idem mortuum reſuſcitaverit, vid. 3. Reg. c. 17. v. 6. 16. 12. 22. quod juſſu eius ignis de cœlo deſcenderit & devoraverit quinquagenarium & quinquaginta, qui erant cum eo, vid. 4. Reg. c. 1. v. 10. 11. & ſeq. quod pallio aquas Iordanis diviſerit, & cum Eliſæo per ſiccum tranſierit, quod per turbinem in cœlum aſcenderit, 4. Reg. c. 2. v. 8. & 11.

Sodomorum combuſtionem] *Vide de hac* Gen. 19. v. 24. *Vide & Strabon.* l. 16. *Tac.* l. 5. Hiſt. c. 7. edit. *Bernegger. qui id eſſe verum fatentur ut & Solinus* c. 36. edit. *Salmaſ. Vide &* l'itinerario *di Ludovico di Barthema* vel. l. 1. c. 6.

Ante incenſa Gomorrha bituminoſum & aſphalticum] De illo lacu, *vide Plin.* l. 5. c. 16. *Strab.* l. 16. *Tac.* l. 5. Hiſtor. c. 6. *ante Sodomorum incendium hunc lacum haud fuiſſe teſtatur.* Strabo *ſupra dicto libro,* ex fama apud indigenas vulgata; ſed tunc terræ motibus, erupente igne, aquisq; calidis & bituminoſis, extitiſſe qui nunc eſt.

Mannam] *Celſus vocat Syriacum rorem. Vid.* Cœl. Rhodig. lect. l. 24. c. 25 *Galen.* l. 3. de alimentis. *Colligi ait in Libano monte Liburniæ: adeo ut ruſtici expanſis ſuper terram velleribus, mel à concuſſis arboribus decidens accipientes, ollas ac fictilia plena referant. An Iſraelitarum manna differat ab illo quod nunc reperitur. Vid. ap. Sennert.* in Epit. ſcient. natural. l. 4. c. 8. *Rabbi David docet quod manna commedentes Iſraelitæ haud emiſerint ſtercora, ſed illas nugas refellit Toſtatus* in Numer. 21. qu. 6.

Moysis miraculum] Exod. 16. v. 15. *Illud fuisse miraculum probatur exinde;* quod Sabbatho nihil eius inventum fuerit in agro; quod illud Mannæ, quod contra mandatum Moysis relictum erat in mane, scatere cœperit vermibus ac computruerit, vid. ibid. v. 19. 29. seq.

Sect. XIX.

NEc tamen aut hæc, aut ulla alia tantum apud me unquam valuerunt, ut ad infidelitatem aliquam, aut deplorata atheismi dogmata pertraherent; † nullos enim unquam atheos fuisse jamdudum credo. † Qui homines à brutis animalibus religione distingui statuunt, verisimiliter loquuntur, & hoc pari probabilitate tueri poterunt. Illud † Epicuri dogma, quo Divinam providentiam sustulit, atheismus non erat: ex sublimi enim & magnifica opinione de Deo concepta, maiestatem eius indignam judicavit, quæ viles istas inferiorum actiones curaret. † Fatalis Stoicorum necessitas nihil aliud est, quam divinæ voluntatis immutabilis lex. Qui olim † Spiritus sancti divinitatem sustulerunt, hæreticorum nomine solummodo damnati sunt; & qui hodie † Servatorem nostrum abnegant, licet hæreticis omnibus deteriores, athei tamen non sunt. Utcunque enim in Trinitate duas esse personas negent, unum tamen Deum esse nobiscum statuunt. Monstrum illud hominis, Diis inferis à se-

cretis

cretis scelus, nefarii illius tractatus † de tribus Impostoribus * author, quantumvis ab omni religione alienus, adeo ut nec Judæus, Turca, nec Christianus fuerit, plane tamen atheus non erat. Est sane suus cuiq; regioni † Machiavellus, suus cuique sæculo † Lucianus. De quibus ut ne audire quidem vulgo tutum est, ita nec qui provectiori judicio sunt eosdem audacius aggredi debent. Hic ea Satanæ Rhetorica latitat, quæ mentes, aut leves, aut præjudicio tentatas facilè pervertit.

* *Bernardinus Ochinus.*

ANNOTATA
Ad Sect. XIX.

Nullos unquam atheos fuisse] *Fuisse atheos, scribit Plutarchus* l. 1. c. 7. de divers. Philosoph. Plac. *Diagoras enim, Theodorus Cyrenensis & Evemerus Teagates negaverunt Deos esse. Idem de multis testatur Cicero* l. 1. & 2. de Natur. Deor. *Vide quæ supra ad sect.* 16. *dixi, & Sext. Empir.* l. 3. Pyrrh. hypotyp. *& adhuc esse integras nationes, quæ ex innata feritate nullum esse numen credunt, testatur Bernhardus Varen.* in libro de diversis gentium religion. *Idem Mandeslovius* in Epistola, quam ex insula Madegascar ad Olearium, Serenissimi mei Principis Mathematicum *scripsit, testatur de Africanis, qui ad promontorium bonæ spei habitant. Et in nostra Europa inveniri atheos nemini qui per aliquod temporis spatium in Italia habitavit, incognitum esse potest. Fateor tamen multos etiam apud gentiles atheos vocatos fuisse, non quod nullum Deum crederent, sed quod non eosdem, quos illi admitterent.*

terent. *Id evenit Anaxagoræ Clazomenio.* *Vid. Plutarch.* in Pericl. *de quo tamen Cicer.* lib. 1. de Nat. D. *ita*: Primus omnium rerum descriptionem & modum mentis infinitæ vi ac ratione designari ac confici voluit *& idem apud eundem* Tuscul. quæst. Materiæ, *inquit*, infinitæ particulas similes inter se & minutas, primum confusas, postea in ordinem adductas à mente divina. *Hæc sanè eum ab atheismo fuisse alienum satis probant. Socrates ejusdem impietatis accusabatur, quia non eosdem, quos Athenienses, Deos colebat. de quo infra plura. Qui nunc sunt supra secundarias causas nihil esse arbitrantur: omnia miracula aut falsa, aut naturaliter contigisse impudenter affirmant: Quod veritas nostræ religionis satis refellit; & præsertim illa miracula, quæ solum invocatione numinis, edita fuere non clam; sed coram omnibus: non semel; sed sæpius: non in una Provincia; sed in plurimis: non uno tempore; sed diversis. Animadvertunt etiam, si verum esset Dæmones dari, doctrinisq́ magicis aut Dæmonum opera, ea quæ dicuntur posse fieri, tunc sequi etiam Deum esse: Dæmones ergo esse, magicisq́ imprecationibus posse aliquid effici negant. Sed id ab omni ævo Historia refutat. Nam & ipsæ leges XII. tabularum supplicium in transferentes fructus alienos in suos agros constituunt, vid. Augustin.* l. 8. de Civit. Dei c. 19. *Unde videmus ipsum Apuleium apud Ethnicos de magicis artibus accusatum, hoc crimen copiosissima apologia quæ adhuc exstat in oper. Apuleii, à se dimovere. Nolo ego hic doctrinam Platonicorum de dæmonibus ac geniis huic impietati opponere. Nolo narrare quæ magicis artibus Lappones committunt. Vide de his & pluribus aliis Wierium* de præstigiis dæmonum. *Ioh. Bodin.* de Magor. dæmonomia, *Io. Iacob Boissard.* de divinat. & magic. præstig. *Martini Delrii* disquisit. magicas, & *Iacobi Angliæ Regis* Dæmono-

monologiam. *Ipsa experientia satis hanc impietatem confutat; & insuper Magicum illud, quo corpora tuta contra tela, sicas, ac gladios redduntur, sufficit atheismo refutando: Id vero negare insignis impudentia esset: cum plurimi, qui in Germania militarunt, non ex aliorum relatu, sed propriis oculis ita esse sæpius didicerint. Id vero naturaliter Dæmonum sine ope posse fieri, nemo, qui scit adhiberi vel ignotos ac per se nullam vim habentes characteres, vel infandas alias superstitiones: qui novit, secretum illud, quo id efficiunt, haud credenti nihil prodesse, nisi forsan ille qui dedit ignaro, firmiter credat profuturum, affirmare poterit. Si media illa, quibus ad hoc utuntur ejusmodi operandi vim haberent in se naturaliter, de necessitate semper ubique & apud omnes idem efficerent sine vanis circumstantiis adhibitis aut firma (ut dicunt) fide. Si aut sola fide hanc virtutem nobis imprimere possemus, ad quid illa formula, ficta verba, figuræ, notæ, impiæ invocationes, ignoti characteres, profanatio rerum Dei honori destinatarum, sigilla & alia id genus? Quis magis tutò & sine damno se in mare præcipitare potuisset, quam Iudæi illi qui Moysem suum in Creta sequebantur? de quo infra plura. Quis tunc magis contra hostium tela tutus esset, quam pius credens se esse sub præsidio omnipotentis Dei? sed Diabolus decipit ejusmodi nugis homines; & quanquam pactum expressum cum illo haud habeant, fidem tamen ille, quam soli Deo debent, ad alia avertit & ita hisce mediis utentes in perniciem trahit.*

Qui homines à brutis animalibus religione distingui] *Hinc Lactant.* l.7.c.9. Illos, *inquit*, qui nullum omnino Deum esse dixerunt, non modo Philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim. *Nam secundum Ciceronem* l. 3. Tusculan. quæst. Nulla Gens tam fera, nemo omni-

omnium tam immanis, quem non imbuerit Deorum opinio. *Quod generaliter non satis verum esse, supra demonstravi: paucas tamen gentes reperiri, quæ non aliqua Deorum opinione imbutæ sint, certissimum est: & si satis illarum gentium mores, qui nullos Deos admittunt, perspectos ac cognitos haberemus, forsan longè aliud; quam quod nunc de illis traditur, experiremur. Si autem aliqua gens nullam numinis notitiam habens est, id à justissima Dei ira provenire puto. Voluit enim justissimus Deus, ejusmodi omnibus gentibus innato lumine ac notitia illas privare, aut propter insignem illorum petulantiam, qua omnem humanitatem deposuerunt, illudq; quod omnium cordibus insculptum est, contra conscientiam immanissimè negarunt, aut propter alias nobis ignotas causas. Consensus verò omnium aliarum gentium, quarũ feritas rationem ac bonos mores non planè extinxit, Ciceronis opinionem confirmat.*

Epicuri dogma] *Vide Ciceronem* in orat. in Calpurnium Pisonem, & l. 1. de natur. Deor. *Lucret.* l. 1. *Plutarchum* in libro contra sententiam Epicuri.

Fatalis Stoicorum necessitas] *Vide Cicer.* l. 1. de natura Deorum. *Senec.* de Providentia & *eund.* l. 2. natural. quæst. c. 35.

Spiritus sancti divinitatem] *Ut Macedoniani; quorum hæresis damnata est in Synodo Constantinopolitana.*

Servatorem nostrum abnegant] *Mahometani.*

De tribus impostoribus author] *Nescio an Bernhardinus Ochinus, (qui fuit Italus, & scripsit etiam pestilentissimum librum de Polygamia, quem, nisi fallor, Beza refutavit) an alius hujus auctor sit. Idem quod hic scripsit, sæpius Friderico II. Imper. in ore fuisse meminit Lips.* l. 1. Monit. Polit. c. 4. *Iulius Cæsar Vani-*

ninus scripsit Amphitearum divinæ æternæ providentiæ divinomagicum, & dialogos: quibus idem tectè in hominum animos insinuare nititur. Ille tamen debitum supplicium Tholosæ igne exsolvit. Levissimis sanè argumentis homines ad eiusmodi plusquam nefaria adducuntur. Vide Helmont. in libro de immortal. animæ. *Illis opponimus Arnobii* libros contra gentes; *Iustini Martyris* Orat. ad Græc. *Cyrilli* Libros adversus Iulianum *Clement. Alexand.* libros Stromat. *& eiusd.* libros adversus Gent. *August.* de Civit. Dei, *Lactant.* institut. *Minutii Felic.* dialogos. *Origen.* contra Celsum. *Plessæi Mornæi, Hugon. Grotii & Campanellæ* libros de veritate religion. Christian. *Savanarol.* libr. de Triumpho crucis. *adde & omnes antiquos Philosophos; & ita facilè erit, paucorum hominum pravè sentientium redarguere mendacia, testimonio atq; auctoritate omnium Philosophorum in hac una re non dissidentium. Et insuper lubrica illa fundamenta, quibus innituntur, destruit experientia, spectra ac spiritus esse, miraculisq; interdum divinam providentiam probari.*

Machiavellus] *Omnes Theologi ac multi Politici Machiavellum impugnant. multi integros libros contra eum scripsere, ut Ribadenera* de Principe Christiano contra Machiavellum, *Thomas Bozius* de Italiæ statu adversus Machiavellum, *Fr. Gentiletus, & multi alii. plerique Machiavelli sensum non satis assequi videntur. Eadem, quæ ille scripsit, jam olim Aristoteles* in libris Politicor. *& Thomas Aquinas* in commentar. supra lib. Pol. Aristot. *tractarunt. In nonnullis quidem, & præsertim* in libro de Principe c.8. c.15.17. 18.19. & 21. *impia docere videtur; sed ratione methodi agit ibi de Principe novo, seu Tyranno, qui si velit in eiusmodi statu manere, obligatus est ad sui conservationem, maioremque stragem impediendam eiusmodi doctrina uti:*

illum

illum verò feliciorem ac laude dignum putat, qui se eiusmodi iniusto imperio omninò abdicat. Egregiè describit Tyranni infelicitatem in discurs. supr. Liv. l.1. c.10. & c.26. *Si id, quod Machiavellus sentit, rectè intelligere cupis, aequo judicio ponderes ea, quae ibi tradit.*

Lucianus] *Quem etiam Atheorum numero adiungunt. quod ipse Iustinus Martyr.* in Oratione ad Graecos, *facit.*

Sect. XX.

HÆc omnia me perlegisse fateor, nec tamen quicquam reperisse, quod prudentem fidem labefactare possit. Quamvis non desunt apud quos leves isti & inanes verborum fumi pondus habeant. Doctorem quendam Medicinæ in Italia novi, qui animam esse immortalem sibi persuadere non poterat, quia id † Galenus dubitare visus est. Cum alio quodam in Gallia mihi familiaritas contigit, Theologo quidem eo, & singularis ingenii viro, ita tamen super eadem re † tribus * Senecæ lineis implicato, & impedito, ut nullis argumentorum antidotis, sive è scripturis sacris, sive è Philosophia desumptis, erroris eius venenum expelli posset. Est genus quoddam hominum, qui nautis credituri quæcunque narraverint, Sancti Pauli testimonia in dubium vocant; cumq; Plinii & Æliani traditiones strenue defendant, iidem

* *Post mortem nihil est, ipsaq; mors nihil. Mors individua est noxia corpori, nec patiens animæ. Toti morimur nullaq; pars manet nostri*

dem in ſacræ paginæ Hiſtoriis quærunt & hæſitant, & ea ſolummodo fide dignantur, quorum aliquid ſimile apud Ethnicos ſcriptores repererint. Eſſe quædam fateor in Scripturis ſacris, qui ſi quis cavillandi animo legerit, nugaciſſimas quaslibet Poëtarum fabulas ſuperare videantur. Omnes licet & ſuperiorum ætatum Legendas, & præſentis ineptias percurras, vix quicquam reperias quod † cum Samſone certare poterit. Quæ tamen omnia facile poſſibilia ſunt, ſi modo minimum Omnipotentis digitum admotum cogitemus. Fieri non poteſt quin & in hominum ſermone, & in ipſa infallibili Numinis voce, ſæpe abnormitates quædam, contradictiones, & antinomiæ apparere videantur, quod adeo ex debili ingenii noſtri captu accidere ſolet. Poſſim ipſe nomenclaturam quandam dubitationum in medium afferre, quæ adhuc, ut opinor, intactæ ſunt, nec à quoquam, quod ſciam, in controverſiam adductæ; nec tamen eiusmodi ſunt quæ ſtatim atque audiuntur explicari poſſint, non quæſtiones inanes, & ineptæ, non obiectiones è fumo natæ: atomos enim in Theologia non fero. † Columbam ex arca emiſſam nec reverſam lego, non tamen quæſiturus quo pacto relictum ſocium poſtea repererit; † Lazarum ab inferis revocatum, nec tamen ſcire laboro, ubinam gentium eius

anima interea hæserit; nec juris controversiam moveo, Liceretne illi, quem hæredem scripserat, bona eius obtinere; an ipse jam in vitam redux facultates suas jure repetere possit. Ex sinistro an dextro Adami latere formata fuerit Eva, nullus disputo; nec dum enim mihi satis certo constat, † quid dextrum aut lævum in homine sit, ut numquid huiusmodi discriminis Natura dederit. Ex Adami costa extructam credo, non anxie disceptaturus, utrius ad Resurrectionem hæc costa futura sit; non † utrum Adamus androgynus esset, quod ex textus litera Rabbini probare volunt: Androgynum enim fuisse, antequam esset fœmina, aut utriusque naturæ compositionem, antequam altera crearetur, rationi parum consonat: Similiter nec † utrum mundus sub tempus autumnale, æstivum, an vernum creatus esset, nam in his omnibus creatus est: nec refert quodnam ex cœlestibus signis sol obtineat: hæc enim quatuor anni tempora semper actu existunt: luminaris eius est, annum in quatuor tempestates distinguere, quas omnes eodem tempore in universis terræ partibus efficit, & successivè in singulis. In Theologia quidem pariter ac Philosophia non parvus est controversiarum numerus, quas nonnulli, iique summa eruditionis opinione viri, & proponere & ventilare solent, in

quas

quas ne horas quidem vacuas, nedum seria nostra studia impendenda censeo; digna omnia, quæ aut Pantagruelis Bibliothecæ dicentur, aut cum Tartareto de modo cacandi in unum idemque volumen compingantur.

ANNOTATA
Ad Sect. X X.

Galenus dubitare visus est] *Imò negavit. Vide* in libro, quod mores temperamentum corporis sequantur.

Tribus Senecæ lineis] *Exstant* in Troad. act. 2 in Chor.

An toti morimur? nullaq; pars manet
Nostri &c.

Iterum,

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Rursus.

Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animæ.

Et Seneca Philosophus fere idem cap. 19. de consolat. ad Marciam *docet.* Mors, *inquit,* nec bonum, nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod verò ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. *Fretus judicio aliquot eruditorum & ipso dictionis examine nullus dubito, quin idem sit hujus Tragœdiæ auctor. Alibi tamen immortalitatem animæ satis adstruit*, c. 11. ad Helviam matrem: Corpusculum hoc, custodia & vinculum animi, huc atque illuc jactatur. In hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer & æternus est, cui non possit injici manus. *Vid. &* Epist. 102. Alius, *inquit,* ibi origo nos expectat, alius rerum

ſtatus. Nondum cœlum niſi ex intervallo, pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori. *Alibi tamen dubitanter de eo loquitur. Vid.* Epiſt. 63. in fin.

Cum Samſone] *Vid.* Iud. 15. v. 5. *Sed tractus ille abundat vulpibus. Vid.* Cant 2. v. 15. *& forſan ſingularem velocitatem, ut facilè eas capere potuerit, habuit Samſon: ſic & Aſahel erat curſor velociſſimus inſtar capreæ. Vid.* 2. Reg. 2. *Veriſimilius eſt, Samſonem iſtas vulpes cepiſſe in retibus, vel per alia artificia, & non ſolum; ſed & aliorum ope. At quare haud cremavit eorum ſegetes ſine vulpium miniſterio? Reſpondet Toſtat.* in cap. 15. Iud. quæſt. 8. *quia vulpes diſcurrendo, & cum una viderit aliam ardentem, fugiendo poterant commodiſſimè omnem illorum accendere terram. Quomodo iſtæ vulpes ligatæ fuerint, vide apud eundem* ib. quæſt. 9. *ut & de facibus, quas caudis eo modo alligarunt, ne ipſis vulpibus nocerent: & quare haud aliis animalibus ad hoc uſus ſit Samſon,* vid. ibid.

Contradictiones & antinomiæ apparere videantur] *Miram animadvertimus diſcrepantiam, cum legimus Græcos & alios Philoſophos, (vid. Ioſeph.* l. 1. contra Appion. *) Hiſtoricos & Iuriſconſultos.* Vid. l. 2. §. poſt hunc 47. ff. de O. I. vid. & l. ſi donatione 13. C. de collat. *cui obſtat* l. filiæ 18. C. fam. herciſc. l. licet 42. §. 1. ff. de Procurat. *cui obſtat* l. fin. C. de injur. l. ſervitutes 14. ff. de ſervit. *cui obſtat* l. foramen 28. ff. de ſerv. urb. præd. *adde &* l. Titius 21. ff. qui potior. in pign. *cui adverſatur* l. ſi quis 28. ff. de jure fiſci. *Innumera ejuſmodi invenire licet in toto corpore juris Civilis: Quanquam Imperator noſter* l. 1. §. 8. C. de V. I. E. *docet.* nullam in hujus corporis membris antinomian ſibi debere vindicare locum, ſed unam

unam debere esse concordiam, unam consequentiam; *Sed si Antonium Fabrum sequi velimus, magna pars hujus juris nihil præter conjecturas erit: non semel Tribonianum erroris arguit, quod & Cujacius & Wesenbecius & alii faciunt. Vide Wesenb.* in ff. tit. de servitutibus n. 5. *circa finem. Quod & Pontificum placita sæpe sibi contraria sint, vide apud Calixtum* de infallibilitate Pontificis contra Moguntinos. *Testatur idem corpus juris Canonici. Quod Gerhardus Niger & Obertus de Orto, compilatores librorum feudalium sibi ipsis contradicant, patet* ex tit. 51. de capit. qui Cur. vendid. §. similiter. l. 2. & ex collatione tit. 6. §. ult. lib. 1. & tit. an mutus aut alius imperfectus. 36. lib. 2. tit. 18. §. si aliquis. lib. 1. & tit. 5. lib. 1. *Adde* tit. 15. lib. 1. & tit. 30. lib. 2. *Apud hos tamen sanctos scriptores, in omnibus, quæ fidem & vivendi mores continent, manifestissima consensio est, in aliis quidem multa nobis dubia, obscura atq; antimonia videntur, sed id ex caussis, quas* ad sect. 18. *supra attigi, oritur, & pia ratiocinatione omnia illa dextrè explicari & clara reddi possunt. Hinc Epiphanius* Hæresi 70. Omnia, *inquit*, clara sunt in divina scriptura, his qui pia ratiocinatione divino sermoni attendere volunt, non verò conceptâ in seipsis diabolica operatione, seipsos præcipites dare in barathrum mortis.

Columbam ex arca emissam] Gen. 8.

Lazarum ab inferis revocatum] Iohan. 11. vers. 43.

Quid dextrum aut lævum in homine sit] *August.* in Psalm. 108. Hoc cuique non immeritò dextrum dicitur quod præponit, sicut sinistræ dextra præponitur. *Hoc August. sed præponitur dextra, quia magis est prompta & expedita. Utrum autem illa differentia aut promptitudo*

sit à natura an à consuetudine, non satis constat. Vide etiam Plin. lib.7. c. 17.

Vtrum Adamus androgynus esset] *Nonnulli Hebræi putant, quia scriptum est,* creavit Deus hominem, masculum & fœminam, *& quia tunc nondum erat Eva, Adamum habuisse membra virile & fœmininum. Vide Tostat.* in Gen.1. qu.32. *ubi hæc confutat.*

Vtrum mundus sub tempus autumnale] *De hoc vide Tostat.* in Genes. 1. quæst. 21. & quæst. 22.

Sect. XXI.

HOc genus subtilitates illis omnibus indignas censeo, qui in mysterio tam serio versantur. Aliæ etiam sunt quæ frequentius in judicio sisti solent, quæ tamen, ut mihi videtur, nullam fidei aut difficultatem, aut impossibilitatem afferunt. Ridiculum est illud Noë † diluvium pro Deucalionæo ita præterire, quasi universalis ille cataclysmus à particulari hac inundatione absorberi possit. † Semel fuisse diluvium non tam mirandum mihi videtur, quam non semper esse. Posse omnia animalium genera, cum debita insuper & necessaria commeatus copia, in Arca † fuisse servata, eaq; non trecentis cubitis majore, si quis rectam rationem ineat, perfacile videbitur. Aliud arcanum est, non quidem illud à sacra pagina petitum, quod difficilius expeditur, † bonumq; illum Patrem ad

mira-

miraculi refugium compulit, † quo pacto nimirum evenisset, ut separatæ orbis particulæ, divisæq; insulæ, non tantum incolerentur ab hominibus verum etiam à tigribus, pantheris, & ursis habitarentur. Unde belluis rapacibus, noxiorumque animalium genere abundaret America, & equo tamen careret, jumento ad tam multa utili. Qua ratione non aves tantum, sed nocentissima etiam & ingrata animalia illo traiecissent. Qui accidat, ut animalia quædam ibi reperiantur, quæ in triplici hac continente frustra quæsiveris. Quæ omnia nobis mira videri oportet, qui arcam tantum unicum, unicumque † Araratum agnoscimus, unde in omnes orbis terrarum partes universum animantium genus diffunderetur. Qui ut huic rei remedium inveniant, diluvium particulare statuunt; principio nituntur mihi nequaquam concedendo; quippe cui adversetur, non tantum negativum à scripturis argumentum, sed † ratio etiam: Noë enim tempore mundum æque populosum fuisse, ac hodie est, & tunc ad genus humanum propagandum † mille quingentos annos æque suffecisse, ac postea quater mille, probabile facile reddidero. Alia etiam quædam ex scripturis vulgo afferuntur paremque cum iisdem fidem obtinent, quibus tamen rationis meæ libertatem immancipare nolo. † Cæteris

omnibus Adami filiis vivaciorem fuisse Methusalam, paradoxum habeo; † nec fuisse quisquam probaverit, imo ex ipsa contextus serie contrarium evincam. Judam sibi vitam laqueo finiisse † ex sacra pagina non constat: licet enim quodam in loco id textus videatur dicere, adeoque vocis ambiguitate factum sit, ut sic interpretes transtulerint; alibi tamen ubi res tota diligentius ex ordine præscribitur, hanc ipsam sententiam improbabilem reddit, & evertere videtur. † Turrim Babylonicam à patribus nostris secundum diluvium ideo extructam fuisse, † ut in simili cataclysmo refugium fuisset, vulgo creditum est. Cum tamen scripturæ † aliud eorum fuisse consilium narrent; ut taceam, quod hoc ipsa loci circumstantia improbabile reddatur; erat enim † planities in terra Shinar. Hæc, ut quæ fidei articuli non sunt, libera disputatione ventilare licet. Sunt & alia à Textu familiariter deducta, pace tamen aliorum dixerim, parum congruenter. † Dogma illud de Geniis tutelaribus summa cum confidentia asserit Romana Ecclesia, idque ex responso illo, Petro fores pulsante, † *Non est ipse, sed Angelus eius*; hoc est, *Nuncius ab eo aliquis*; sic enim ex † græco interpretari licet, idq; eos metu hæsitantes per verba illa voluisse, non est veridissimile. Hanc interpretationem juniori cuidam Theolo-

go me aliquando suggessisse memini, eumque ita respondisse; ad quam nihil aliud replicuit opponens Franciscanus, quam novitiam esse eam, nec satis authenticam interpretationem.

ANNOTATA
Ad Sect. XXI.

Diluvium pro Deucalionæo] *De hoc diluvio scripserunt multi veteres, ut Plato* in Timæo, *& Diod. Sicul.* l. 1. *qui putat, Aegypti incolas sub meridie positos servatos fuisse. Iustinus* l. 2. *ita:* huius (*scil. Amphytruonis*) temporibus illuvies aquarum maiorem partem populorum Græciæ absumpsit: Superfuerunt quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus evecti sunt; à quo propterea genus hominum conditum dicitur. *Lucianus* in libro de Dea Syra *prodit, Deucalionem pietatis ergò cum liberis & axoribus in arca fuisse servatum, omnesque homines ab hoc Deucalione ortos. Plutarchus* in libro, utrum animantia terrena an aquatilia maiore sunt prudentia, *scribit etiam, Deucalionem ex arca emisisse columbam. Hic Deucalion ab Alex. Polyhist. vocatur Xisuthus, de quo vide Cyrill.* l. 1. advers. Iulian. *& Voss.* l. 1. de Orig. ac progr. idololatr. c. 18. *idem quod de Noah SS Scriptura dicit. de hoc prædicatur. Alio ergò nomine expresserunt Ethnici diluvium universale, & fuit Deucalion ipse Noah. Philo* in libro de immortalitate mundi putat, *conchas, quæ in montibus reperiuntur, signam universalis diluvii esse.*

Semel fuisse tantum diluvium non tam mirandum] *Quia mare altius terra creditur.*

Putant Theologi, aquas in unum locum collectas à solo Deo teneri, ne ad humiliora loca defluant; sed hos refellit Paulus Merula in differt. de Marib c.1. *Nàm, (1.) quia aqua natura gravis est, semper in terram descenderet. (2.) Magna etiam difficultate naves à terra in mare propelli possent, magna verò facilitate ad terram appelli.*

Fuiſſe ſervata eaque non trecentis cubitis maiore] *Vid.* Geneſ. 6. *id ſine miraculo potuiſſe fieri probat multis Iohan. Temporarius* in ſuis Chronolog. demonſtrat. Ita enim libro titulus eſt.

Bonumque illum Patrem] *Eſt Auguſtinus. Vid.* l.16. de Civit. Dei c. 7. *qui putat beſtias vel natando in Inſulas perveniſſe, vel ab hominibus illuc transvectas, vel divina potentia ex ipſa terra ibi generatas.*

Quo pacto eveniſſet] *Si verum, quod Sacerdotes Aegyptii apud Platonem* in Timæo *perhibent, id non adeò mirum eſt: narrant*, fretum Herculeum habuiſſe in ore & veſtibulo Inſulam, Lybia ſimul & Aſia maiorem, atque ingenti terræ motu, jugique diei unius ac noctis illuvione factum fuiſſe ut illa Atlantidis Inſula ſub vaſto gurgite mergeretur. Quam ob cauſam innavigabile pelagus illud propter abſorptæ Inſulæ limum relictum fuiſſe. *Hæc Plato, Priſcos etiam artem navigandi benè calluiſſe non eſt dubium: docet id SS. Scriptura* l.1.Reg.c.9. *Strabo* l.1.*Plin.* l.2.c.67. *Diod. Siculus* l.5. *Sed mari ferociſſima ac noxia animalia illuc transvecta fuiſſe non eſt veriſimile, & tantò minus, quia in America animalia ſunt, quæ in nulla alia orbis parte reperiuntur. Credendum ergò eſt, Americam aliquando vel alicui noti orbis parti adhæſiſſe; vel anguſtum aliquod fretum illam à continente ſeparaſſe. Multi etiam illam adhuc ſeptentrionali Europa adhærere, vel non longe ab illa diuin-*

disiungi, probare conantur. Vide Ioh. Acostam in libro de natura novi orbis l.1. c. 20. *& omnino ea quæ Hugo Grotius de hoc contra Lætium scripsit, ut & relationem illam quam anno* 1620. *Ioannes Muncken, Navarchus Danus de Gronlandia dedit, qui tamen dubitat an continens sit. Quod vero ibi diversa à nostris animalia reperiantur, id potest provenire à confuso diversorum animalium coitu. & ipse aër huius rei causa esse potest Scribit Athan. Kircherus* l. 7 part. 1. c. 3. de arte magna Lucis & Vmbræ, *Animalia provinciis sub Zona torrida sitis illata ita degenerare, ut vix dignosci amplius possint.*

Vnicum Araratum] *Vide de hoc monte* Genes. 8. v.4. *& Tostat.* in cap.8. Gen.quæst.3.

Sed ratio etiam] *S. Scriptura, cui fides habenda est, id negat.* Gen. 7. *& insuper ratio, si enim tunc ita populosus fuerit mundus ut nunc, & omnes homines præter octo, quos Deus in arca servari voluit, perierint, diluvium haud potuit esse particulare.*

Mille quingentos annos æquè sufficeisse] *Quia tunc homines fuerunt longioris vitæ, ac maiores ad generandum vires habuere.*

Cæteris Adami filiis vivaciorem fuisse Methusalam] Gen.5.v.27.

Nec fuisse quisquam probaverit] *Henoch nunquam mortuus est, ipsius vita adhuc durat. Vid.* Genes. 5. 24 *Vide Tostat.* in Gen. cap.5. quæst. 6. *vide* ibidem interpretum discrepantiam de ætate Methusalæ.

Ex sacra pagina non constat] Matth: 27. v. 5. ἀπελθὼν ἀπήγξατο; *quod significare videtur:* postquam abierat; suffocatus est *Sed translatio Bezæ ex græco habet*, strangulavit sese, *& Imman. Tremellii, ex antiquissima translatione Syraica;* abjens strangulavit se ipsum. *Editio Erasmi habet:* abjens laqueo se suspendit; *eodem modo*

modo Hieronymi correctio Vulgatæ. Petrus Actor. 1. v. 18. καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. præcipitatus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus. *Differt hoc quidem à Matthæi relatione. Sed sciendum est, Matthæum narrare facti initium Petrum finem.*

Turrim Babylonicam à patribus nostris] *De hujus turris ædificatione, Vid.* Gen. 11.

Vt in simili cataclysmo refugium fuisset, vulgo creditum est] *Iosephus* l. antiq. Iud. *scribit, hujus turris ædificationem consilio Nimrodi fuisse inchoatam, ne imposterum diluvium illis nocere posset. Tirinus* in Genes. *ex Hieronymo refert, tempore Hieronymi rudera istius turris adhuc superfuisse. Ego puto ista non istius turris, sed vel murorum Babylonicorum, de quibus Curtius* l. 5. *Iustin.* l. 1. *Philostratus* de vita Apollonii Tyanæi l. 1. c. 18. *Strabo* lib. 15. *& Abydenus apud Eusebium* l. 9. præpar. c. 41. *& Diod. Sicul.* l. 2. *agunt, vel regiæ Beli, de qua Curt.* d. l. 5. *vel sepulchri Beli, de quo Strabo* l. 15. *aut ut Iosephus* l. 1. contra Appionem *vult, templi Beli fuisse vestigia, nisi Belus, ut multi arbitrantur, ipse Nimrod fuerit, quod & satis verisimile est. Strabo* d. libro *refert, Alexandrum M. voluisse reparare illud sepulchrum. Iosephus* l. 1. contr. Appion. *scribit, Iudæos, qui sub Alexandro M. militarunt, negasse operam suam ad hoc Alexandro. Describit ibidem Iosephus muros Babylonicos, regiam, templum. Probat Vrbis Babylonis ædificationem falso Semiramidi attribui, sed ne verbum quidem de ruderibus istius turris apponit. Et si forsan illud, quod Strabo pro sepulchro Beli habet, ipsa turris fuerit, rudera tamen istius amplius haud extabunt, nam* in eodem libro *testatur, omnia postea fuisse eversa.*

Aliud

Aliud eorum fuisse consilium] *Vide* Genes. 11. v. 4.

Planities in terra Shinar] Genes. 11. v. 2. *Idem ab illis percepi qui ibi fuerunt. addunt planitiem illam esse satis sterilem atque arenosam.*

Dogma illud de geniis tutelaribus summa cum confidentia asserit Romana Ecclesia] *Idem jam olim multi Patres fecere, Clemens Alexand.* l. 6. strom. per gentes & civitates sunt distributæ angelorum præfecturæ: fortasse autem ex iis sunt deputati singulis. *Hieronym.* l. 3. in Matth. 18. 10. Magna est dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. *Idem docet Basilius* in Psal. 48. *& alii.*

Non est ipse sed Angelus ejus] ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν. Act. 12. v 15.

Ex græco interpretari licet] *Nam* Ἄγγελος *significat* nuncium, legatum, internuncium, *ut videre est apud Thucydidem, Lucianum & alios, hinc* Ἀγγέλλειν *est* nunciare, *unde apud* Matth. 11. v. 4. Πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, euntes renunciate Ioanni.

Sect. XXII.

HOminum istæ sunt, adeoque erroribus obnoxiæ sermocinationes super verbo Dei: † Dei enim verbum esse sanctas scripturas credo; quæ ut maxime hominum essent, ejusmodi tamen esse † me veritas fateri cogeret, quale nihil aut perfectius aut omnibus numeris absolutius unquã extiterit, & à quo legendo, etiam si Ethnicus

cus essem, non abstinerem. Ideoque Ptolemæi judicium laudo, † qui Bibliothecam suam imperfectam judicavit, antequam hæ accesserant. † Alcoranum Turcicum (nec hoc ex præjudicio dico) † indigestum quiddam est, & incompositum; erroribus ineptis, & † cum Philosophia pugnantibus, impossibilitatibus, figmentis, & nugis plusquam ridiculis refertum: manifestis & apertis sophismatibus, † ignorantiæ politia, demolitione Academiarum, eruditionisque omnis relegatione defensum † armis solum & violentia propagatum. Hæ verò sine ullo armorum beneficio † per totum terrarum orbem dissemi natæ. Observatione non indignum est, quod Philo primus animadvertit, † Legem nimirum Mosaicam ab omni immutatione liberam per annos bis mille permansisse: cum tamen aliarum civitatum jura, pro temporum occasione mutari videmus: † etiam ea ipsa, quæ divinam aliquam originem jactarant, ita funditus periisse, ut nullum prorsus eorum monumentum, aut vestigium supersit. † Præter Zoroastrem etiam † alios ante Mosem scripsisse credo, qui tamen omnes temporis fato functi sunt. Sua scilicet est sicut scribentibus, sic scriptis ætas; quæ licet authoribus suis super sint: † certam tamen habent & definitam vitæ periodum. Hoc solum opus temporis

poris edacis dentibus † insuperabile restat, non ante periturum, quam universalis ista flamma res omnes cineres suos fateri cogat.

ANNOTATA Ad Sect. XXII.

Dei enim verbum esse] *Irenæus* l. 2. c. 47. Credere hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit rectissimè scientes, quia scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu eius dictæ. *Unde Origines* Homil. 2. in Ier. Nihil est sive in prophetia, sive in lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non à plenitudine divinæ maiestatis descendat. *Salvianus* l. 3. de provid. Alia omnia, *id est*, humana dicta argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est. *Hinc (ut Iosephus* l. 1. contra Appion. *scribit)* Nemo Iudæorum his aut addere quicquam aut demere aut mutare aliquid est ausus, quanquam tot secula transierint.

Me veritas fateri cogeret] *Pleriq; enim magni viri in prima Ecclesia ex huius scripturæ sola lectione conversi fuere: nihil enim tam procul à fuco, tam absolutum, tam sanctum, tam æquum in aliis philosophicis libris invenire potuerunt. Vide Iustini Mart.* dialog cum Tryph. *sub init.* Expendens, *inquit*, sermonem eius, hanc unicam comperi solidam esse & utilem Philosophiam. *Tatianus* in oratione contra Græcos, *describit suam conversionem, & ibidem idem testatur.*

Qui Bibliothecam suam imperfectam judicavit antequam hæ accesserant] *Huius Bibliothecæ mentionem faciunt multi. Vid. Ammian. Marcell.* l. 22. *Agell.* l. 6. c. 17. *Hic Ptolemaus est*

cui cognomentum Philadelphus, Rex Aegypti, magnus erat artium liberalium amator, instructissimamq; erigebat Bibliothecam. Vid. Ioseph. l. 12. c. 2. antiq. Iudaic. *etiam Moysis ac Prophetarum libros in græcam linguam transferri curabat consilio Demetrii, vide Ioseph.* ibidem. *Exstat adhuc illa LXX. interpretum, quos Eleazar ad Ptolemæum in hunc finem misit, translatio.*

Alcoranum Turcicum] *Est ille liber à Mahomete lingua Arabica conscriptus & latinus redditus à Roberto Retenensi Angligena; cui tamen parum fidendum putat Calixtus in disput. de Verit. Religion. Christ. & Scaliger. in Epist.* 362. *& aliis: nuper à Domino du Ryer (qui Consul Mercatorum Galliæ in Aegypto fuit; & postea Galliæ Regi Constantinopoli servivit) ex lingua Arabica in Gallicam translatus, quam translationem magni æstimandam censeo. Totus liber plurimis nugis, absurdis, ridiculis, mendaciis, atq; impiis repletus est, quod & Mahometis tempore homines animadverterunt, ut ipse fatetur* au chapitre de l'alcoran. *Descriptionem Paradisi, ubi multæ sunt venustæ ac formosæ fœminæ, vide in dicta translatione* au chapitre de la lignée de Ioachim. *Et illæ fœminæ erunt albæ ut ova & solos maritos amabunt, vide* au chapitre des ordres. *describit ibidem hortum Paradisi atque arborem inferni; adde caput* de la verité. Au chapitre du combat *docet, in Paradiso esse fluvios plenos lactis, vini ac mellis, & omnis generis fructuum.* Au chapitre du jugement, *docet, ibi fore lectos pretiosis lapidibus ornatos, & pocula plena nectaris & ambrosia. De Templo Mechæ ab Abrahamo ædificato, vide* le chapitre de la vache. *De Magis Pharaonis humi prostratis ac fatentibus, se propter Moysis miracula credere in Deum Moysis; ac de minis Pharaonis Vide* au chapitre de la beatitude & de l' enfer.

Quod

Quod nulla fecerit miracula fatetur au chapitre des Prophetes, & au chapitre de l'aragnee, & passim. *Quod Deus subiecerit ventos ac Dæmones mandato Salomonis, & quod Dæmonum alii extruxerint palatia, alii se mari immerserint, ut Salomoni margaritas apportarent; nugatur* au chapitre de la verité. *Extremum judicium describit ridiculè* au chapitre de la tondeur. *Salomonem exercitum coëgisse ex hominibus, Dæmonibus & avibus, illumq; conduxisse ad vallem formicarum, tuncq; reginam formicarum formicis suis imperasse ut se absconderent, Salomonemq; illis verbis perceptis totum attonitum redditum; tandem upupam allocutum fuisse, quæ mira nova de Regina Saba illi dixerit; scribit* au chapitre de la fourmy. *Quod Angeli præter Diabolum homines, mandato Dei adoraverint in Paradiso, docet* au chapitre de Hegir, *& ibidem, quod infernus septem habeat portas. Vnum ex filiis Noa noluisse arcam ingredi, Noamq; bina saltem animalia uniuscuiusq; generis in arcam adduxisse, mentitur* au chapitre de Hod. *Quod habentes cognitionem SS. Scripturæ debeant in Iesum nostrum Servatorem credere, quod Iudæi haud cruci affixerint eum, sed solum eius simulachrum deceptis eorum oculis, docet* au chapitre des Femmes; *& eodem capite, Christum esse Filium Mariæ, Prophetam, Apostolum, Verbum ac Spiritum Dei. Christum confirmasse antiquum testamentum, & Evangelium apportasse, Vide* au chapitre de la Table. *Sanct. Mariam semper virginem mansisse; scribit* au chapitre de la deffense. *Ea propter imposturam suam non aliter excusare potest, quam docendo, libros discipulorum Iesu ab aliis corruptos esse; sed id fieri non potuisse satis perspicuum reddunt variæ translationes, ut Syriaca, Arabica, Aethiopica ac Latina, quæ Mahometis tempore*

jam extiterunt, & in omnibus alicuius momenti rebus consentiunt.

Indigestum quiddam est, & incompositum] *Capitibus sæpe titulos præscribit, qui nihil commune cum illis rebus, de quibus tractat, habent: ipsa capita sine judicio mirè in versus dividit, & easdem res sine ulla causa sæpius repetit.*

Cum Philosophia pugnantibus] *Tostatus* in c.23. Ex. quæst.20. *refert, quod Philosophi inter Saracenos non recipiant propter hoc Alcoranum. Idem probat Calixtus* in disp. de Verit. Religion. Christ. *ex Averroë, disputante contra destructiones Algazelis, & Avicenna* Metaph.l. 9. c.7.

Ignorantiæ politia, demolitione Academiarum, eruditionisq; omnis relegatione] *Ita Turcæ eum defendunt.*

Armis solum & violentia propagatum] *Ipse Mahomet passim in Alcorano fatetur, se non cum miraculis, sed cum armis missum fuisse, & ipse se in hoc egregium, ut & eius successores, præstiterunt, quod patet ex Historia Saracenica.*

Per totum terrarum orbem disseminatæ] *A piscatoribus & aliis non magnæ conditionis hominibus, qui inde nullum aliud præmium quam carcerem, quam exilium, quam immanissima supplicia reportabant.*

Legem Mosaicam ab omni immutatione liberam] *Vide Ioseph.* l.2. contra Appionem, *ubi ostendit, Iudæos etiam in exilio, & subservitutis exterorum jugo, nunquam tamen aliquid in legibus suis mutasse. Adhibuerunt & Masoretha summam industiam in conservatione veteris testamenti a corruptione. Vide Cunæum* l. 1. de Rep. Iudæor. c. 18.

Etiam ea ipsa quæ divinam aliquam originem jactarant] *Veluti Lycurgi, vide Ioseph.* l. 2. contra Appion. *Minois Cretensis, Charondæ, Draconis ac Solonis.*

Præter

Præter Zoroaſtrem] *Scil. Bactrianum ſcribit Plinius* l. 30. c. 1. *Eudoxum prodidiſſe, Zoroaſtrem ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe; & Hermippum ſcripſiſſe, eum quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuiſſe: ſcribit* ibidem *Plin. Hermippum vicies centum millia verſuum à Zoroaſtre condita, indicibus quoq; voluminum eius poſitis, explanaviſſe. Plutarch.* idem *quod Plinius, ſcribit, nempe ſcriptum eſſe (auctorem tamen non citat) illum quinque millibus annorum bellum Troianum præcurriſſe. Vid.* in lib. de Iſide & Oſiride. *Idem ſcribit Laërtius* in proœmio operis. *Hermodorum nempe Platonicum computaſſe à Zoroaſtre usq; ad excidium Trojæ tot annos quot Plinius & Plutarchus: At eum non tot annos ante Troianum bellum vixiſſe non ſolum conſtat ex SS. Scriptura, quæ errare haud poteſt, ſed & ipſe Plinius* dict. lib. 30. c. 1. *miratur, imo pro maximo miro habet, de arte aut libris Zoroaſtris tantum in bello Troiano fuiſſe ſilentium Homero. Prodit & Laertius* in dicto proœmio, *Xanthum Lydium à Zoroaſtra usq; ad Xerxis tranſitum enumerare ſolum ſexcentos annos: Quantum ideò hiſce ſcriptoribus in hoc fidendum ſit ſatis patet. Si illud verum quod Xanthus Lydius prodidit, annis centum poſt Troiæ excidium vixit, & Moyſes aliquot centenis annis ante illum ſcripſit. Si verò eum in tempora Nini, ut alii faciunt, collocemus, Vide Auguſt.* l. 21. de Civit. Dei. c. 14. & *Juſt.* l. 1. *diu ante Moyſen fuit. Præter hunc Zoroaſtrem fuit & alius, quem Perſam aut Medum appellant, de quo vid. Clem. Alexand.* l. 1. Strom.

Alios ante Moſem] *Teſtatur id ipſe Moſes,* Num 21. v. 14. *Liranus tamen id in alio ſenſu explicat: putat ſenſum eſſe: quando narrabuntur bella, quæ fecerunt filii Iſrael Dei adiutorio protecti, narrabitur etiam iſtud, quod ſubditur.*

 Sed

Sed Augustinus quæst. 42. super Numer. *ubi de hoc agit:* Neque, *inquit*, negandum est, fuisse jam libros, sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham; sive Aegyptiorum, ubi Moyses didicerat omnem illorum sapientiam, sive cujusque gentis alterius, in quorum librorum aliquo hoc potest esse scriptum. *(Thomas Hobbe, de quo in fine hic, aliter id explicat) Vide & Epistolam Iudæ v.* 14. *Hinc Augustinus* l. 15. c. 23. de Civ. Dei scripsisse, *inquit*, nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica, Iudas Apostolus dicat. *Sed parum tamen ipse Augustinus illi Enochi libro tribuit. Vid. ibid. & annotata Ludovici Vivis, idem* l. 18. c. 38. *testatur, alios ante Moysen scripsisse. Si verum esset, quod Diodorus Siculus* l 11. *scribit: Chaldeos ad expeditionem Alexandri in Asiam quadringenta, & septuaginta duo millia annorum numerare, ex quo sidera observari cœptum sit, (Idem ferè de iis testatur Cicer.* l. 1. & 2. de divinat. *& ex eo Lactant.* l. 7. c. 14.*) tunc non solum ante Moysen scriptores, sed longè antè conditum orbem secundum Moysem, extitisse præsumendum esset. Quod non solum falsi redarguit S S. Scriptura, sed & ipse Panætius Stoicus apud Cicer.* l. 2. de divinat. Quod ajunt, *inquit*, quadringenta & septuaginta millia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicunque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt: Si enim esset factitatum, non esset desitum: neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat, aut factum sciat. *& Simplicius* commentar. 16. in libr. 2. Arist. de cœlo *tradit, observationes cœlestes, quas Callisthenes Babylone collectas ad Aristotelem misit, ad illa tempora fuisse solum annorum mille nongentorum trium. Unde Agellius* l. 14. c. 1. *tradit*, disciplinam Chaldæorum tantæ vetustatis non esse, quantæ videri volunt. *Hæc de Chaldæis, Sacerdotes Aegyptiorum scribit*

Diod.

Diod. Sicul. l. 1. *facta supputatione temporum à Regno Solis ad Alexandri transitum in Asiam annorum viginti trium millia circiter colligere: Sed ipse Diodorus fatetur, multos affirmare, quod olim Solis motu nondum cognito, annus ad Lunæ circuitum descriptus fuerit. Idem probat Vossius* lib. 1. de orig. ac progreff. idololatr. c. 28. *quod nempe antiquitus anni modus variarit apud eos, & quod recentiores veterem annorum formam cum recentiori confuderint. Habebant enim annum Lunarem (qui vel vulgaris, & tunc menstruus; vel magnus, & tunc mensium quatuor erat) & annum solarem. Solaris sine variatione apud eos fuit. Vid. Voss.* d. libr. & *Alex. ab Alexandro* dier. genial. l. 3. c. 24. *Eodem modo id quod Laërt.* in procem. *scribit*, Aegyptios à filio Nili ad Alexandrum M. numerare annos quadragesies octies mille, octingentos sexaginta tres, *intelligendum est. Quod Manetho a primordio Regni Aegypti usq; ad Alexandrum M. numeret annos amplius quinquies millenis, conciliat Vossius* supra citat. libr. *Errorem inde provenisse putat, quod ille dynastias illas omnes sibi successisse putat, cum tamen illæ eodem tempore diversis fuerint locis: Manetho enim ex columnis hieroglyphicis insignitis, exscripsit dynastias Aegyptiorum, Vid. Scalig.* lib. 2. Canon. Isagogic. *Alii omnem fidem hieroglyphicis illis detrahunt. Sed Plato* in Timæo, *dum probare cupit, Græcorum antiquitates non accedere ad Aegyptiorum, introducit Sacerdotem Aegyptium, qui ibi ita:* nostræ, *inquit*, urbis res gestæ octo annorum millibus in sacris continentur literis. *Annos Lunares vulgares, vel magnos Lunares haud est verisimile Platonem non intellexisse, cum apud Aegyptios diu hæserit: proinde puto, eum à sacerdotibus Aegyptiis fuisse deceptũ: Et quod illorum traditiones sint fabulosa, Vide apud Diod. Siculum* l. 1. *Idem probat D. August.* de

Civ.D.l.18.c.40. In quibus, *inquit*, libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt! non enim parvus auctor est in historia Varro qui hoc prodidit, quod à literarum etiam divinarum veritate non dissonat. *Si verum esset, quod de Chinensibus scribitur, diutissime non solum ante Moysen, sed ante mundum creatum apud eos scriptores fuissent. Sed nugantur ut supra dicti. Moysen autem fuisse antiquiorem omnibus Græcis scriptoribus, prodit Eusebius* in procemio Chron. *Verba eius à Iosepho Scaligero latine versa, ita habent:* Hebræorum progenitorem Israelem, à quo Iudaicæ gentis XII. tribus Israelis nomine censentur, Inacho quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, tempore æqualem fuisse reperi: Semiramidis verò temporibus Abraham vixisse, hominem quidem natione Chaldæum, sed tamen Deo acceptissimum: qui primus Propheta apud Hebræos fuisse creditur: Moysen autem, ut verum fatear, infra horum tempora extitisse, antiquiorem tamen omnibus priscæ Græcorum memoriæ, Homero, inquam Hesiodo ipsisq; Trojanis temporibus, Castoribus, Aesculapio, Libero patre omnibus Heroibus, Mercurio & Apolline. *Thom. Hobbes in Tractatu, quem* Anglicana lingua scripsit hoc titulo, Te matter, Forme and Povver of a common Wealth Ecclesiastical and civil. *h. e.* Materia, forma ac potestas Reip. Ecclesiasticæ ac civilis (*editus est Londini præterlapso anno*) c. 33 *probare conatur, non omnes libros qui Moysi tribuuntur ab illo fuisse scriptos; sed multa post ejus obitum, quæ in illis libris exstant, ab aliis fuisse prodita. Pro se citat* ultimum cap. Deuteron. v. 6. & Genes. cap. 12. v. 6. *ubi ita:* pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, & usque ad convallem illustrem: Chananæus autem tunc erat in terra. *Putat ergò ex hoc patêre, tunc-*

cum hoc scriptum sit, Chananæos non fuisse in illa terra; Moysis vero ætate, adhuc illos ibi fuisse demonstrat. Idem testatum facere laborat ex Numer. 21. v. 14. *ubi ita:* dicitur in libro bellorum Domini: sicut fecit in mari rubro: sic faciet in torrentibus Arnon. nisi fallor putat Libr. Bell. D. Moysis ætate, c. 21. Num. post fuisse scriptum.

Certam tamen habent & definitam vitæ periodum] *Nam plurimi illi scriptores, quos Iosephus, Philo, & alii antiquissimi Philosophi, qui adhuc extant, imò & ipsi Patres, sæpe citant, perierunt nunc.*

Insuperabile restat] *Antiochus Epiphanes SS. Scripturam delere summopere studebat. Abolebatur enim ubicunque repertum esset sacrum volumen aliquod, & ipsi apud quos repertum esset malè peribant. Ioséph.* l. 12. antiq. Iud. c. 7. *sed irriti fuerunt eius conatus.*

Sect. XXIII.

VIdi qui † desiderata Ciceronis opera, & † Bibliothecæ Alexandrinæ incendium, non sine gemitu & suspiriis plorarent. Mihi sane † librorum multitudo numerosior videtur, quam necesse sit. † Vaticanæ Bibliothecæ cineres & urnam æquo equidem animo spectare possem, modo perdita † Salomonis opera cum paucis quibusdam aliis recuperare queam. † Enochi etiam columnas transscriptas velim, si propioris alicuius authoritate, quam Josephi, niterentur, nec nimis fabulam redolerent. Plura scripserunt quidam, quam alii locuti sunt; pluresque authores citat * † Pineda

* *In Monarchia Ecclesiastica mille quadraginta authores citat.*

peda in unico opusculo, quam toti terrarum orbi ex usu sunt. E † tribus illis eximiis Germaniæ inventis duo sunt, quæ incommoditatibus suis non vacant; nec scio, an plus commodi quam incommodi mortalibus afferant. Non meum solius votum est, sed complurium etiam aliorum præstantiori judicio hominum, ut synodus aliqua generalis indiceretur, non quidem ad infestissima religionis dissidia tollenda, sed quo felicior esset scientiarum progressus, ad easdem in paucos aliquot & solidæ eruditionis authores reducendas, & innumeram illam rapsodiarum multitudinem coërcendam, nulli alii rei inservientium, quam studiis & ingeniis tyronum perturbandis, artique & mysterio typographorum alendo.

ANNOTATA.

Ad Sect. XXIII.

Desiderata Ciceronis opera] *Multa enim ex scriptis Ciceronis perierunt, & præsertim aurei illi* de Republica *libri. Fragmenta Ciceronis vide in operibus eius à Dionys. Gothofredo editis Genevæ.*

Bibliothecæ Alexandrinæ incendium] *Istius Bibliothecæ mentionem* antecedenti sect. *feci. Fuerunt in ea Bibliotheca, ut Ammianus Marcellinus* l. 22. *prodit, septingenta voluminum millia, conflagravit dum diripitur civitas sub Cæsare dictatore. Vide* ibid. *de hoc incendio. Vide & Agell.* l. 6. c. 17. *& Senec.* de Tranquill. animi cap. 9.

Librorum multitudo numerosior videtur quam necesse sit] *De hoc iam olim Seneca conque-*

quæstus est, de Tranquill. anim. c. 9. *ita*: Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? onerat discentem turba, non instruit: multoque satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadraginta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum alius laudaverit, sicut Livius, qui elegantiæ regum, curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria: imò ne studiosa quidem; quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverant: sicut plerisque ignaris etiam servilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. *Idem* in Epist. 2. Vide, ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid habere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est: *& iterum* ibid. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas. *& iterum* in Epist. 45. Non refert, *inquit*, quam multos, sed quam bonos habeas: lectio certa prodest, varia delectat. Qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est.

Vaticanæ Bibliothecæ] *Vocatur Vaticana, quia sedem tenet in Palatio Vaticano Romæ: Est & illa omnium facultatum libris tam mss quam impressis satis instructa, ut catalogus testatum facit.*

Salomonis opera] *Vid.* 3 Reg. c. 4. v. 32. 33. *Prodit Ioseph.* l. 8. antiq. c. 2. *Salomonem de incantamentis & formulis Dæmones eiiciendi libros scripsisse. cui tamen parum tribuendum puto.*

Enochi Columnas] *Vide Ioseph.* l. 1. antiq. c.3. in fin. *Vide de Enochi libris* Epist. Iudæ & *August.* de Civit. Dei l.18. c.38. & lib.15. cap. 22. *Quod illa tamen meritò suspecta habeantur, quæ sub tanta antiquitatis nomine proferuntur, fatetur Augustinus* ibid.

Pineda] *Io. Pineda.*

Tribus illis eximiis Germaniæ inventis] (1.) *Typographia, cuius auctor Ioh. Guttenberg, Moguntinus, secundum Munsterum* in Cosmograph. sua l.3. *vel Ioannes Faustus secundum Aventin.* l. ult. annal. Boior. *Chinenses eam jam ante mille sexcentos annos invenisse, scribit Alvarus Sabenedus* in Relat. Chinæ part. 1. c. 6. & *Trigantius* l.1.de Christ. expedit. apud Sinas c. 4. *hanc artem à quinque retrò seculis ab iis usu fuisse receptam prodit.* (2.) *Pulvis pyrius. Munster.* eod. lib. *tribuit istius inventionem cuidam Monacho, cuius tamen nomen ipse ignorat.* Alii *eam Bartholdo Suartzio asscribunt.* (3.) *Nescio an auctor per tertium inventum intelligat horologia illa quæ sonant ac horas monstrant; vel organa quibus in templis utimur, an aliud aliquid.*

Sect. XXIV.

NOn satis mirari queo † Samaritanorum consilium, qui ad Mosis Pentateuchum fidem suam restringerent. Nec minus † Rabbinorum interpretationis super veteri Testamento pudet, quam † eorundem defectionis à novo. Vilemne illam & degenerem Jacobi progeniem, tantopere olim superstitioni Ethnicæ addictam, tam facile ad † vicinorum suorum idolo-

idololatriam pertractam, adeo nunc demum pertinaci & improba fide dogmatibus suis inhærere, adeo impossibilia expectare, adeo denique in ipsis Ecclesiæ oculis sine spe ulla conversionis persistere? hoc sane omne miraculum superat. Hoc idem nobis laudi foret, quod illis vitio vertimus. Idem enim est in causa justa perseverantia, quod in mala, pervicacia. Atque hic mihi fratres mei accusandi sunt. Non alii sunt, tam levi, tam fugitiva fide, quam Christiani: non alii qui toties in alias atque alias non tantum Christianismi species transformentur, verum etiam in degeneres illas & contrarias Judaismi, & Turcismi: † Nunc eum prophetam tantummodo vocare contenti, quem servatorem olim nominare consuerunt, & quem modo jamdudum venisse credebant, † eum de integro expectare incipiunt. Pollicitus est Christus fore, ut † in unum eundemque gregem congregatemur omnes: Quando vero, aut quo pacto hæc unitas futura sit, non minus mihi constat, quam de die novissimo. † Ex quatuor illis religionis partibus, nos perexiguam portionem sortiti sumus; Nonnullos interdum accedere fateor, paucos tamen eos, nec qui ad illorum numerum comparandi sint, qui indies adversariis nostris adjiciuntur; nec qui à Paganismo deficiunt, sed qui negativa

qua-

quadam fide homines, † ideo tantum in Christum non crediderant, quod nondum apud eos nomen ejus auditum esset. Judaica autem religio Christianæ è diametro adversatur, & utrique Turcica. De mole enim Turcica convertenda, ut nunc se habet, spes nulla est: † eam si dissolvi contingat, aliquid quidem spei concipi poterit, † perexiguum tamen id, & summa improbabilitate implicitum. In omni fortunæ genere Judæi pervicaces sunt; nec aliud mille quingentorum annorum persecutionibus effectum est, quam ut in errore confirmarentur. Omnia perpessi sunt quæcunque jam postea contingere poterunt, idque in causa mala ad adversariorum suorum condemnationem. Persecutio inconsulta est, & præpostera propagandæ religionis ratio, qua quidam moroso & iracundo zelo hallucinantes, dum infeliciter uterentur, non veram tantum religionem, sed † impias etiam hæreses, & malesanas opiniones confirmarunt. Sic primum fidei nostræ fundamentum jactum est: nec alii sunt qui persecutiones, numerumq; & fortitudinem martyrum justius gloriantur. Si enim proprie loquamur, hæc ferme sola sunt, & vera fortitudinis exempla. Quæ à bellis & prælio petuntur, non tam fortitudinis, quam audaciæ exempla sunt; quorum quæ perfectissima fuere, adulterinam

tan-

tantum fortitudinem ſortita videntur. Ea omnia ſi ſeverius examines, † quæ in vera & perfecta fortitudine Ariſtoteles exigit, nihil aliud, quam nomen merum in domino ejus Alexandro reperies, nihil aliud in invicto illo Romano, † Julio Cæſare. Si qui autem reperiuntur, qui fortiter faciendo titulum tam glorioſum meruere: certè fortiter patiendo, † quod longe terribilius eſt, iſti præcelluerunt, gloriamque illam juſtius & magis heroice vendicare poſſunt. Illo ſane pervenire non cuilibet datur, non cœlum per flammas petere. Multi ſunt, quibus non ea menſuræ plenitudo, † non ea fidei animoſitas contigit ut examen tam ſeverum ſubire valeant, qui nihilominus Servatorem ſuum per tranquillitatem ſincere adorant, habentque procul dubio fidem gratam & acceptam in oculis Dei.

ANNOTATA
Ad Sect. XXIV.

Samaritanorum conſilium] *De Samaritanis eorumq; moribus Vid.* 4. Reg. c. 17. *& quam contemptim habiti fuerint à Iudæis*, Ioh. 4. v 9. & Ioh. 8. v. 44. *Illi primùm idololatræ, poſtea abdicata idololatria Moyſis leges amplexi ſunt. Iudæi tria volumina S. Codicis ſuſceperunt; Pentateuchum, Hagiographa & vatum effata. Hi ſolum pentateuchum retinuere; cætera tanquam non à Deo profecta contemſere. Vid. Cunæum* l. 2. de Rep. Hebr. c. 16. *Sed illi, ut benè Cun. habet, nil niſi retrimenta hominum ex variis locis collectorum*

ctorum à Rege Syriæ in Samariam transmissorum fuere. Ex quo pondus illorum consilii videri potest. Scaliger l. 7. de emend. temp. *scribit, adhuc inveniri Samaritas, & incolere quandam maris rubri Insulam.*

Rabbinorum interpretationis super veteri Testamento] *Sunt apud Iudæos Thalmudici ac Scripturarii: hi spretis Thalmudicorum interpretationibus solum Scripturam admittunt: Sed horum libros paucos esse, nec se ullum typis impressum præter unum, dictum portum Iehudæ vidisse testatur. Doctrinæ Rabb. peritissimus Seldenius* in libr. de anno Civil. veter. Iudæor. cap. 2. *Thalmudici vero, quibus secundum Beniamini Tudelensis itinerarium, solis titulus Rabbini competit. Vid. Scalig* l 2. de Emend. Temp. *magnam commentariorum copiam scripsere. Omnia illorum opera plena sunt traditionum, quas in monte Sinai Moysi à Deo datas esse perquam strenue nugantur: Veterum Pharisæorum ac Scribarum placita prout lubet, docent, & explicant. De absurdis illorum dogmatibus Vid. Gerson. Christian.*

Eorundem defectionis à novo] *Quanquam sciant se despectui haberi apud omnes peraque nationes. Quanquam sciant Christum miraculis clarum fuisse. Vide Ioseph.* Hist. l. 18. c. 4. *& ipsi fatentur hoc* in Thalmudicis in titulo Abodazara. *Prodit Ioh. Buxtorff.* in Lex. Hebraico & Chaldaico, *se apud Talmudicos reperisse, quod Christum fabulentur descriptum Schemhamphorasch inclusisse in discissam cutem pedis & ex templo eripuisse, & ejus virtute miracula postea edidisse. Vide & Lutherum* in libro de Schemhamphorasch. *Quanquam omnes prophetias de adventu Messiæ completas videant. Vid.* Malach. 3. & Dan. 9. v. 25. *Quanquam recordentur se sæpius ab illis, qui se pro Messia venditarunt,*

tarunt, deceptos fuisse. De Mose Cretensi, qui in Creta magnum eorum numerum adduxit, ut secum Veluti cum altero Moyse tuto mare ingressi misere perierint. Vid. Socrat. Hist. Eccles. l. 7. c.37. *de Theuda, Vid. Ioseph.* l.20. Hist.c.2. *De DaVide quodam, qui sibi nomen Messiæ tribuit, Vid.* Itinerar. *Beniamin. Tudelens. translatum in Latinum à Bened. Aria-Montano. Quanquam noVerint, se ab ædificatione templi Hierosolymitani, tempore Iuliani, metuendis globis flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentibus, abstinere coactos fuisse. Quod Christianorum adVersarius paganus Historicus Ammianus Marcellinus* l.23. fatetur. *Vide & Sozom.* Hist. Eccles. l.5.c.21.*Omnia tamen hæc & plurima alia graViora non sufficiunt illos ad Veritatem adducere.*

Vicinorum suorum Idololatriam] *Vide* Exod.32. v.4. Ezech. 20.3.Reg.c.12. v.28. & c.16. v.31. *adde Cunæum* de Rep. Hebr. l. 3. c.4.

Nunc eum Prophetam tantummodo vocare contenti] *Sunt illi, qui Constantinopoli, Tripoli, & alibi ubi Mahometismus dominatur, ut liberius ViVere possint, Vel ut durissima serVitute liberentur, Vel ut ad magna dignitatum fastigia eVeniant, turpissimè a Christo ad Mahometem deficiunt.*

Eum de integro expectare incipiunt] *Iudæi expectant Messiam, sed pauci Christiani illi religioni se addicunt.*

In unum eundemque gregem congregaremur] *Vid.* Ioh.10.v.16. *de Iudæorum conVersione Vid.* Roman. 11. *Omnibus gentibus EVangelium prædicabitur* Matth 24. v.14. *Tamen cum Venerit filius hominis, Vix reperturus est fidem. Vid.* Luc. 18. v.8.

Ex quatuor illis religionis partibus] *Sunt illa Paganismus, Iudaismus, Mahometismus, Christianismus.*

Nos

Nos perexiguam portionem sortiti] *Paganismus aut Idololatria adhuc maximam orbis partem occupare videtur. In Europa sunt adhuc pagani inter Lappos ac Lithuanos. In Asia eidem religioni addicti sunt Samoiedæ, multi inter Tartaros atq; Indos, & pleriq; Sinenses, ac nunc ferè omnes Iaponenses, Iavani, Ceilanenses. In Africa etiam adhuc est magna eorum copia; ut in Numidia, Madegascar, nonnullis Aethiopiæ exterioris provinciis, ut & in Guinea, Congi, Monemotapa, aliisq; locis nondum satis cognitis. America magnitudine Asiæ, Africæ atq; Europæ simul æquiparatur: illa tamen adhuc idololatris est refertissima. Terram Magellanicam, forsan magnitudine Americæ parum cedentem, alios habere incolas, quam idololatras ac paganos, non est verisimile: Ante finem mundi prædicabitur illis (ut spero) Evangelium. Mahometanos habet magna Europæ, Asiæ atq; Africæ pars: qui etiam longè numero Christianos in Asia atq; Africa superant: superantur tamen illi in Europa ab his. Iudæi per totum terrarum orbem dispersi sunt: Eos tamen multum numero Christianis cedere non est dubium. Christiani in Europa numero superant omnes alios. Sunt etiam per totam Asiam sparsi, in sectas tamen ut in Europa discissi: Quidam illorum sequuntur Nestoriana, quidam Eutychiana dogmata. In Africa est vastissimum Abyssinorum regnum totum Christo subjectum. Habet & Aegyptus Christianos, quanquam paucos. Illa America pars, quæ Hispanis paret, jugo Christi se submisit. si plura scire aveas, lege Boteri* libr. de Religion. *Calixt.* in lib. de stud. Theol. inst. & *nuper edit. libellum* de diverf. gent. Relig. *Bernh. Varenii.*

Qui ideo tantum in Christum non crediderant] *Vt Americani, veluti Peruviani, Mexicani, & alii.*

Eam

Eam si dissolvi contingat] *Si Imperium Turcicum à Christianis destrueretur, facillima illorum conversio esset: nam illa religio vi introducta est, vi propagatur ac conservatur.*

Perexiguum tamen id] *Si à Christianis occuparetur, non esset exiguum: jam veritatem illis annunciare prohibitum est, interdicitur etiam Turcis librorum Christianorum lectio.*

Impias etiam hæreses confirmarunt] *Nam gladio verbi Dei hæreses extingui oportet. Pontificii omnes, qui non omnimodo Pontificum placita sequi volunt, pro hæreticis habent, & sævissimè persequuntur: sed quantum commodi ex illis persecutionibus ad illorum Ecclesiam profluxerit in Gallia ac Belgio, docet Thuanus atque ipse Strada. Nihil enim magis in Gallia Hugonotas confirmavit; nihil magis jam olim in Bohemia Hussitas.*

Quæ in vera & perfecta fortitudine Aristoteles exigit] *Vid.* l.3. Ethic.ad Nicom. c.5.

Nihil aliud quam nomen merum in Alexandro reperies] *Nam fortitudo est Virtus mediocritatem servans in iis, quæ metum ac fiduciam afferre possunt in adeundis aut ferendis periculis aut laboribus gravibus honestatis causa. Sed Alexander sæpius sine ulla honestatis aut publicæ utilitatis causa se periculis obiecit. Quam temerè repulso atq; abire jusso Lysimacho leonem interfecerit, vide apud Curt.* l.8. *quam temerè se periculo exposuerit in obsidione Tyri, vid. eundem Curt.*l.4. *Egregie Seneca* in Epist.94. *Fortitudinem Alexandri depingit*: Agebat, *inquit*, infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui à Græciæ primum cladibus, in qua eruditus est, incepit: qui quod cuique optimum est, eripuit? Lacedæmona servire jubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas

aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco proiicit, & toto orbe arma circumfert: nec subsistit usquam lassa crudelitas, immanium ferarum modo, quæ plus quam exigit fames, mordent. Iam in unum regnum Multa regna conjecit; jam Græci Persæque eundem timent; jam etiam à Dario liberæ nationes jugum accipiunt; hic tamen vult ultra Oceanum Solemque indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere, ipsi naturæ vim parat. *Hinc Scytha apud Curt.* lib. 7. *ita illum alloquuntur:* Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu orientem altera occidentem contingeres.

Iulio Cæsare] *Qui tot labores sustinebat, tot pericula subibat, tot curis se fatigabat, ut propriam patriam in tristem servitutem redigeret. Vid. Sueton.* in vita Iul. Cæs. *Hinc Seneca* in Epist. 94. Quid C. Cæsarem in sua fata, pariter ac publica, immisit? gloria & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus.

Quod longè terribilius est, illi præcelluerunt] *Quid enim prisci Christiani in prima Ecclesia passi sint, vide* in Martyrologio Romano, & annalibus *Baronii. Scribebantur etiam libri quibus pœnis essent afficiendi. Vid. Lactante* l. 5. c. 2. Nero pereuntibus addidit ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis uterentur. *Tac.* l. 15. ann. cap. 44. Edit. Bernegg. Appellabantur Sarmentitii ac Semaxii, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurebantur. *Vid. Tertull.* in Apolog. c. 46. *Quale illud Ignis supplicium fuerit, vid. in Annal. Baronii* ad annum 66. n. 4.

Non ea fidei animositas contigit] *Expropter ipse Ieremias* Baruch. 6. *Scribens ad eos, qui*

capti-

captivi ducendi erant in Babyloniam, solum vult, ut illi cum viderent Babylonios, Deos aureos atq; argenteos adorare, in cordibus dicerent: te oportet adorari Domine. Majorem fidei animositatem habebant socii Danielis.

Sect. XXV.

SIcut autem non omnes, qui in bello cadunt, vero nomine milites dicendi sunt; sic † nec martyres omnes illi hominandi, qui religionis causa mortem obeunt. † Johannes Hus à concilio Constantiensi hæresis damnatur; idem martyris titulo à suis ornatus est: utriusque partis Theologiæ injurius esset, qui aut hæreticum, aut martyrem fuisse negaverit. † Sunt procul dubio non pauci in terris canonizati, in cœlis nusquam martyres futuri, quique in historiis, & martyrologiis inscripti; non tam vere martyres sunt in conspectu divino, † quam Socrates olim sapiens ille Ethnicus; qui ideo capitis damnatus periit, quod unitatem divinam, fundamentale religionis nostræ principium; constanter assereret. Infælicis ejus Episcopi sæpe misertum est, qui † Antipodum causa passus est: nec tamen minor mihi videtur ejusdem dementia, qui tam levem ob causam sacerdotium amiserit, quam stultitia eorum & ignorantia, qui condemnassent. Non me mendacii, opinor, conscientia arguet, si non multos esse dicam, qui terribilem mortis

vultum, siquando digna occasio detur, meipso minus reformident. Suadet tamen morale illud officium, quod Divinis praeceptis debeo; suadet illa propriæ essentiæ conservandæ cura, rei unicuique à natura indita, ne aut propter *ceremonias, aut politica quædam, † aut indifferentia perire velim. Nec adeo est mihi fides pertinax & impotens, ut aut hujusmodi obstaculis cedere nesciat, aut ad cætera omnia connivere, quæcunque manifesta impietate vacant. Rerum igitur omnium fermentum non civilium tantum, sed earum etiam, quæ ad religionem pertinent, prudentia est. Sine qua nos flammis mandare homicidium est, vereorque ne sic ab igne tantum ad ignem transeatur.

ANNOTATA
Ad Sect. XXV.

Nec martyres omnes qui religionis causa mortem obeunt] *Non pœna sed causa facit martyrem. Nec jura volunt cruciatum ac pœnas infamiam importare, sed causam propter quam id pati meruerunt. Vide* l. ICtus 22. ff. de his qui notantur infamia. *adde* l. 14. §. Nullum C. eod.

Iohannes Hus à concilio Constantiensi hæresis damnatur] *Vid. Aeneam Sylvium* in Histor. Bohem. c. 36. *Scribit ibi: Quod constanti animo necem pertulerit, & quasi ad epulas invitatus ad incendium properarit, nullam emittens vocem, quæ miseri animi posset facere indicium, quod hymnum cecinerit, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuerit.*

Sunt procul dubio non pauci in terris canonizati] *Eodem modo & multi hic condemnati sunt, qui tamen forsan æterno gaudio fruuntur. Hinc* causf. 24. quæst. 2. can 4 Si quis non rectè judicio eorum, qui Ecclesiæ præsunt, depellatur, & foras mittatur, si ipse non antè exiit, hoc est, si non ita egit, ut meretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui intus retineri videtur.

Quam Socrates olim sapiens] *De quo vide Platon.* in Eutiphr. & apologia Socratis, *in* Phædone & alibi. *& Plutarch.* in Orat. priori de Alexandri virtute. *Vide & Cicer.* l. 1. Tuscul *Laudatur & ille à Lactantio* l. 3. c. 3. & l. 5. c. 15. *& à Iustino Martyre* Apol. 2. *qui ibid. tradit, eum fuisse atheum propter hoc appellatum, quod homines a Dæmonum cultu abducere voluerit. Accusabatur a quadruplatoribus Athieniensibus, quia peregrina dæmonia invehere credebatur. Vid. Plutarch.* in orat. priori de Alex. vita. *& ipse Socrates apud Platonem* in Eutyphrone *ita:* confictorem, *inquit*, me esse Deorum, & ut novos inducentem Deos, priscos vero negantem, me, ut ait (*nempe Melitus accusator*) his de causis in judicium vocavit. *Plura vide apud Platonem* in Apológia Socratis, *& apud Laert.* in vita Socratis. *Condemnabatur, quod sublimiorem quandam scientiam alios doceret. Eius constantiam, cum venenum hauriret, & sermones ad suos habitos, vid. apud Plutarch.* in libro, An in quo vitium sit, nihil desit ad infeliciter vivendum, *& apud eundem* in libr. de exilio. *& apud Platonem* in Phædone. *Tamen ipse Socrates satis dubiè de immortalitate animæ loquitur apud Platonem* in Apologia, *& apud Ciceronem* l. 1. Tuscul. Tempus, *ibi inquit*, jam est,

est hinc abire me ut moriar, vos ut vitam agatis, utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem. Et in ipsa apologia *apud Platonem:* aut nullus post mortem superest sensus, aut superest aliquis *&c. Marsilius Ficinus* in comment. in apolog. Socrat. *satiagum excusat, dicens, eum illa disiunctione usum, non quod de anima immortalitate censuerit dubitandum, sed quod respexerit adversariorum suorum personas, qui ei mortem ut malum inferebant. Socrates verò contra infert, sive sic, sive sic, sive aliter se res habeat, mortem tamen haud esse malum. Excusat & explicat idem, quod supra ex Cicerone citavi: nempe utrum viventi an mortuo melius sit, hominem scire, neminem. Putat Ficinus, Socratem inferre voluisse, soli Deo certum esse hoc ipsum per seipsum, affirmationisq; rationem, posse tamen id homini certum fieri per ipsum Deum. Ego quidem Socratem Martyrum numero non audeo adjungere; certum tamen est, multos magnos Theologos atq; Ecclesiæ Doctores non dubitare, inter Ethnicos illos, qui crediderunt Deum esse creatorem omnium, remuneratorem colentibus eum; qui non vani facti sunt in ratiocinationibus, qui non mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, qui Deum glorificarunt, salvos factos fuisse. Vid.* Rom. 1. v. 20. & ser. *Iust. Martyr.* Apolog. 2. ubi ita secund. versionem Ioh. Langi. Quicunque cum ratione ac verbo vixere, Christiani sunt, quamvis athei & nullius numinis cultores habiti sint. Quales inter Græcos fuere Socrates & Heraclitus. inter barbaros autem Abraam, & Anania, & Azarias, & Elias, & alii complures: quorum facta simul ac nomina in præsentia recensere, quia longum esse scimus, supersedemus, *Vid &Clem. Alexand.* Strom. 6. *Chrysostom.* Homil. 37. in Matth.

Matth. c. 11. *ita*; Magna, inquies, iniuria illis hac ratione fit, qui naturæ concesserunt. Minimè inquam: Poterant enim homines tunc etiam ipsum non confessi salvari. Non enim Christi qui nondum venerat ab illis cultus petebatur, sed ut idolorum cultu spreto unum solum Deum conditorem omnium noscerent. *& ipse Trigautius Pater è Societate Iesu*, in libro de Christiana exped. apud Sinas, *scribit*, sperari posse, non paucos è veteribus Sinis in lege naturæ salutem invenisse.

Antipodum causa] *Patres etiam antipodes negarunt. Vid. Lactant.* l. 3. c. 24. *& Augustin.* l. 16. c. 9. de Civit. Dei. *putabat August. propter immensitatem Oceani nulli aditum ad illas partes patuisse: maluit proinde id negare quam concedere dari homines, qui non essent de genere Adæ. Ante Patres etiam Cicero & Mela putabant, inter nos & Antipodes maximum Oceanum adeò interfusum, ut nullus unquam eum penetrarit.*

Aut indifferentia perire velim] *Peccare graviter, propter eiusmodi leges causas proprium exitium quærentes videntur ob id, quod aliis occasionem peccandi præbeant.*

Sect. XXVI.

CEssasse miracula nec probare possum, nec pernego; nedum tempus & periodum cessationis definio. Christo supervixisse è sacræ scripturæ testimoniis liquet, supervixisse etiam Apostolis, & post multos annos in Gentium conversione revixisse negare non licet, nisi Scriptorum illorum fidem in dubium vocare velimus, quorum

ea testimonia, quæ nobiscum faciunt, libenter amplectimur. † Veri igitur aliquid habere possunt, quæ de miraculis suis Indicis Jesuitæ narrant; velim equidem vera essent, & alio aliquo testimonio, quam ipsorum calamis niterentur. His facile fidem habere possunt, qui maius his omnibus miraculum sibi domi quotidiè imaginantur, † transmigrationem nimirum visibilium elementorum in corpus & sanguinem Christi. Aquam enim in vina convertisse, quod ille † Canæ fecerat; aut saxa in panes, quod † in eremo fecisse suaserat Diabolus, † ne miracula quidem dicenda sunt, si cum hoc comparentur. Quamvis si propriè loquamur, non est miraculum aliud alio maius: omnia enim ab extraordinaria Divinæ dextræ potentia proficiscuntur, quæ res omnes pari facilitate transigit, quæ † non difficilius totum mundum, quam unam aliquam creaturam creaverit. Hoc enim etiam in miraculis est, non contra & supra tantum, sed † ante naturam etiam operari: nec minus miraculum erat naturam olim creasse, quam eiusdem jam creatæ ordinem, aut mutare, aut transcendere. Angustis nimis finibus coarctat, quisquis suæ tantum mentis capacitate metitur divinam potentiam. Deum omnia posse statuo. † Ea, quæ contradictione implicita sunt, quo pacto expediat, non assequor, nec tamen

men

men idcirco id eum posse negare ausim. † Nec video quare ad elapsa revocanda secula Deus Esdram provocaret, † si idem hoc sibi ipsi in manu non fuisset: nec quare id à mortali exigeret, quod ipse non posset. Posse eum non nego, sed nolle tantum aio ista, quæ nos illum non omnino posse vulgo asserimus. Hoc certe civilius est, nec tamen hac in re paradoxis patrocinor. Strictius enim loquendo, † potestas eius idem est cum voluntate eius, & tum hæc tum illa una cum reliquis Deum unum constituunt.

ANNOTATA
Ad Sect. XXVI.

Veri aliquid habere possunt] *Quia illa miracula Paganis veritatem Christianæ religionis probarent. Sed Iosephus Acosta* in libro de procuranda Indorum salute. l. 6. c. 3. *prodit*, per fas & nefas, per dolum ac vim, illas barbaras gentes ab imperitis ac improbis Christianos effici, *scribit*; nusquam contra Evangelii dignitatem magis irreligiosé, contra hominum salutem magis perniciose peccari: cum non inviti sed volentes salvandi sint. *Vide omninò quæ* l. 1. c. 13. *testatur, nempe illam nationem bellici apparatus auctoritate Christum accepisse. Idem tradit Bartholomæus de las Casas Episcopus Civitatis Chiapæ in India*, in libro quem hispanicè scripsit, de las conquistas de las Indias. *Quomodo Brachmanes ad Christum adducti fuerint, docent Epistolæ Indicæ in Europam missæ, Ignatio, Societatis Iesu auctore adhuc superstite. Prorex enim legem*

promulgaverat, ut qui intra quadraginta dies Christiani fieri nollent, in exilium abirent. Ex quo non perspicio, donum miraculorum tum temporis Iesuitis contigisse.

Transmigrationem visibilium Elementorum in corpus & sanguinem] *Non idem veteres Christiani crediderunt, sed id solum est dogma Romanæ Ecclesiæ. Ita:* in decret. Gratiani dist. 2. de consecr. can. 48. Cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. *Hinc Chrysost.* ad Cæs. Monach. Panis dignus est habitus corporis Christi nomine, quamvis substantia panis manserit. *Theod.* dial. 2. *ita:* Mystica symbola post sanctificationem non recedunt à sua natura: manent enim in priore substantia, & figura & forma & videri & tangi possunt. *Hieronymus quidem* in Epist. 1. ad Heliodorum *dicit,* presbyteros Christi corpus ore sacro conficere. *Et* Epist. 85. ad presbyterorum preces corpus Christi confici. *Idem alii Patres & ipse Chrysost.* Homil. XXCIII. in Matthæum *docet. Et multi Canones in dicto decreto Gratiani* distinct. 2 *de hoc extant ex Ambrosio, Hieronymo & Hilario,* vid. can. 76. 78. 82. 74. & 69. *Sed nihil aliud dicere voluerunt, quam panem communem ad presbyterorum preces transmutari in panem sacramentalem, & tunc cum editur ille panis, edi etiam verè, realiter ac substantialiter corpus Christi. In ea significatione appellant panem corpus Christi.*

Quod ille Canæ fecerat] Ioh. 2.

Quod in eremo] Matth. 4. *Naturaliter panis in saxa converti potest. Multi enim fontes*

tes sunt, qui omnia quæ illis iniiciuntur, brevi in lapides convertunt. Eiusmodi fontes & ipse vidi. Vide & Sperling. l. 6. c. 5. Instit. Physic. *& Helmont.* c. 1. de Lithiasi.

Ne miracula dicenda sunt] *Quanquam transsubstantiationem haud admittamus, pro maximo tamen miraculo meritò reputamus, quod tot myriades hominum uno eodemq; tempore ac disiunctissimis locis in S. Cœna corpus Christi edant, ac sanguinem Christi bibant, verè, realiter, substantialiter; neq; locorum distantia impediat, quo minus omnes eo sanctissimè cibo verè vescantur; neque multitudo hominum efficiat, ut illud sanctissimum corpus diminuatur aut absumatur. Hoc autem verissimum esse, docet manifestè S S. Scriptura & antiqua Ecclesia.*

Non difficilius totum mundum] *Nam Deo in propria significatione nihil difficile.*

Ante naturam etiam] *Id est, ante creationem mundi.*

Ea quæ contradictione implicita sunt] *August.* in Epist. 3. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. *Et Cyrill. Alexand.* l. 4. in Ioh. c. 13. Innumerabilia sunt, in quibus, si quomodo quæris, universam tibi evertere Scripturam necesse erit. *& August.* l. 21. de Civit. Dei c. 5. Fixa apud nos est ratio, non sine ratione omnipotentem facere, unde animus humanus infirmus rationem reddere non possit. *Non potest tamen Deus mentiri, & alia eiusmodi, quæ ipsius bonitati contradicunt: nam id non argumentum potentiæ esset.*

Nec video quare ad elapsa revocanda sæcula Deus Esdram provocaret] *In libr. Apocryph, cui titulus* quartus Esdræ c. 14. v. 19. & seq. *ita scriptum est:* Ecce ego abibo, sicut præcepisti mihi, & corripiam præsentem populum: qui autem iterum nati fuerint, quis commonebit? positum

tum est ergo seculum in tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine. Quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, & scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines invenire semitam. *Postea eod. cap scriptum est, Deum hoc concessisse Esdræ, ac per quadraginta dies libros ducentos quatuor fuisse scriptos, vide v.* 24. 25. 42. 44. 45. & sequent. *Multi patres propter hoc crediderunt, Esdram deperditos sacros libros restituisse. Tertullianus* in libro de habitu muliebri c. 3. Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram restauratum. *ita & Hieronymus.* in l. adversus Helvidium c 3. *dicit,* Ezram esse restauratorem Pentateuchi. *& Chrysostom.* Homil. 8. in Epist. ad Hebr. incensi, inquit, sunt libri: inspirabit Deus iterum alium virum, ut mirabiles illas scripturas repararet *Vid. & Irenæum* l. 3. c. 25. *Sed dicto apocrypho libro nihil in hoc esse tribuendum nostri solidè docent.*

Si idem hoc sibi ipsi in manu non fuisset] *Puto auctorem docere velle, quia Deus omnia potest, ideò eundem idem potuisse facere, quod per Esdram fecit. Hic tamen nulla contradictio apparet.*

Potestas eius idem est cum voluntate eius] *Propter essentiæ simplicitatem atque unitatem idem est. Alioquin omnia quæ Deus vult, potest; sed non omnia, quæ facere potest semper absolutè vult. Ex: C. Deus posset omnes homines salvos reddere, sed ille tamen id saltem sub conditione vult: Si credamus, si in fide persteimus. Nihil unquam tam abstrusum, tam magnum excogitari potest, quod, modo justum, sit*

Deus

Deus facere non possit. Potest summum illud Ens singulis diebus nova facere miracula, quæ nos investigare, & quorum nos rationem capere non possumus. Sed quare non ejusmodi extraordinaria facit? quia æquissima ac justissima eius Voluntas hoc non opus esse judicat.

Sect. XXVII.

EDita igitur olim fuisse miracula credo, & adhuc à viventibus edi posse non nego: † mortuis verò quæ tribuuntur, non his sane ita facile fidem adhibeo. Adeoq; † Reliquiarum efficaciam semper suspectã habui: semper ossa illa examinare, semper vestes, reliquamq; Sanctorum supellectilẽ, etiam ipsius Christi, excutere solitus. † Cruci ab Helena inventæ unde ea virtus esset, ut defunctos † in vitam revocare posset, non intelligo. † Nec quod Constantinus clavos ejus † in lupatis gestaret; ideo eum in bello ita incolumen præsto, quin vel equo decidere, † vel ab hostibus vulnerari posset. † Munus illud Balduini Hierosolymæ Regis, qui Genuensium labores sumptusq; sibi in bello præbitos Joannis Baptistæ cineribus compensavit, *Piis Fraudibus* non minus annumero, quam vel † *Gladios*, vel † *Rosas consecratas*. Qui corpori inhærere sanctitatem quandam ex anima relictam dicunt, Physicorum more de miraculis disserunt, nec rem satis explicant. Quod

Quod autem ad reliquias non ita pie affe-ctus sim, partim † ex eo accidisse arbitror, quod tenui semper, & dubia religione antiqua omnia amplexus fuerim: æternitatem enim solam, quæ omnem antiquitatem longe superat, nimirum Deum ipsum, admirari soleo. Qui, ut † *Antiquus dierum* appellatus sit, non tamen *Antiquus* rectè nominatur; qui ante mundum fuit, post mundum futurus; nec tamen illo ætate grandior. Cuius anni climacterem non habent, cujus duratio est æternitas, multis nominibus antiquitate venerabilior.

ANNOTATA
Ad Sect. XXVII.

Mortuis quæ tribuuntur, non his sane ita facilè fidem adhibeo] *Quia (1.) nesciunt secundum Augustinum, ea quæ nobis hic accidunt. (2.) quiescunt, vid. plura ap. August.* In libro de cura pro mortuis, *ibi*, c. 13. *dicit*, Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos alloquerentur in somniis, ut de aliis taceam, meipsum pia mater (*nempe Monica*) nullâ nocte deſereret &c. *Multis probat, quod illis terrenis non intersint, & respondet ad multa quæ objiciuntur; præsertim ex apparitionibus. vid.* c. 16. & c. 17. ibid. *(3.) Plerumq; Dæmones illudunt, ut Chrysostom.* Homil. 19. in Matth. *testatur de apparitionibus defunctorū.* Ipsos dæmones, *inquit*, clamare nonnunquam audiſtis, anima talis ego sum, verum hæc quoque oratio à fraude atque deceptione diabolica eſt. *Hæc Chrysost. & multa ejusmodi fraude dæmonum fieri, nullum est dubium.*

Reliquiarum efficaciam] *De qua Pontificii multa prædicant, censentes, quia sudario Pauli vis fuit morbos sanandi, ac spiritus improbos dispellendi,* Act. 19. *& ossibus Elisæi mortuum resuscitandi,* Reg. 4. c. 13. v. 48. *& fimbriæ Christi sanguinis fluxum sanandi,* Matth. 9. v. 19. *iisdem eandem esse efficaciam. Sed quia res est quæ homines à cultu Dei facilè abducit, & gravissimos abusus secum fert, oportet omnino illarum efficaciam suspectam habere. Vide quæ pie ac prudenter monet Georgius Cassander Theologus Pontificius* in consultat. ad Imperat. Ferdinand. I. & Maximil. II. de Augustan. Confessione art. 21.

Excutere solitus] *Nam plerumq; multum fraudis subest. Exstant diversæ Ecclesiæ apud Pontificios, quæ unas easdemq; reliquias possidere gloriantur ac rixantur. Rixa quæ inter Venetos & Patavinos de corpore S. Lucæ fuerint, & quomodo id Papa definierit, Vid. apud Abraham. Bzovium* in Ann. ad an. 1463. *Caput S. Lucæ est Romæ. Corpus quod Patavii custoditur, est sine capite, quod Venetiis cum capite. Georg. Cassander* in consultat. de August. Confess. *conqueritur, quod avaritiæ causa ad illiciendum populum falsæ reliquiæ sint suppositæ, & dicit:* Verendum esse, ne si Episcopi ac Principes in inquirendis ac diiudicandis eam quam debent operam adhiberent, ingentes ac detestandæ imposturæ patefierent, & sic olim B. Martino accidisse, qui cum locum quendam monumento Martyris celebrem adisset, deprehendit non martyris sed scelesti latronis monumentum cultum fuisse. *Quæ fraudes jam olim Impp. Honorio ac Theodosio occasionem dederunt, omnem reliquiarum distractionem prohibendi.* Vid. l. 3. C. de SS. Eccles. *Nota ibi, nemo martyres distrahet; hoc est, ut rectè Contius explicat, nemo reliquias distrahat, nemo mercetur. Vid. & Cuiacium* in notis ad

h. l.

h.l. ubi id ex græcis probat. *De his impoſturis videatur Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III.* can. 62.

Cruci ab Helena inventæ] *Vide Nicephor.* Call. Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 8. cap. 29.

In vitam revocare poſſet] *Nicephor.* ibid. *ita:* Dicunt hanc crucem mortuo impoſitam illum revocaſſe in vitam. *Scribit ex fama.*

In lupatis geſtaret] *Vid.* ibid.

Vel ab hoſtibus vulnerari poſſet] *Scribit quidem Nicephorus, illum claves illos hunc in finem in lupatis geſtaſſe, haud tamen addit id profuiſſe.*

Gladios] *Eiusmodi gladios dono mittunt Pontifices ad magnos Principes, cum bellum gerant contra Eccleſiæ hoſtes. Illum gladium, quem Leo X. ad Henricum IIX. Angliæ Regem miſit, cum titulo Defenſoris Fidei, vidi Londini in propugnaculo, quod appellatur De Taur. De eiusmodi gladiis vid. plura apud Schottum* in itinerario Italiæ part. 2. c. 13.

Roſas conſecratas] *Quibus magnam vim tribuunt. Extant de hoc integri libri.*

Ex eo accidiſſe arbitror] *Debuiſſet id ex eo acciaere, (1) quod reliquiæ nunc ad cultum proſtent: quod non ſolum contra SS. Scripturam eſt, ſed & contra antiquam Eccleſiam. Ideò, Hieronymus, qui alias reliquiis ſatis tribuere videtur,* contra vigilant. *ita:* Quis, ô inſanum caput, aliquando martyres adoravit? Nos, non dico martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos &c. colimus. *Legimus quidem* act. 19. v. 12. Per Pauli ſudaria ac ſemicinctia languores receſſiſſe, ac ſpiritus nequam egreſſos fuiſſe: *ſed non legimus illa ſudaria religioſe culta aut adorata fuiſſe, nec poſt S. Pauli obitum illa ſanaſſe. Legimus quidem* 4. Reg. c. 13. v. 48. *Eliſæi oſſa mortuum reſuſci-*

suscitasse: sed non legimus aliquem propter hoc illa religioso cultu fuisse prosecutum. Manserunt illa ossa post miraculum in eodem sepulchro, nec unquam ad cultum fuerunt exposita. Legimus Matth. 9. v. 20. 21. *mulierem quæ* 12. *annis sanguinis fluxum passa erat, tacta, fimbria Vestimenti Christi fuisse sanatam; sed non legimus illi Vestimento eandem Vim infuisse, cum Christus se illo exuerit: nec legimus illud Vestimentum fuisse adoratum. CollocaVit illa spem suam in Christo, & ab illo salVa facta est. Non plus quam hæc, alia quæ ex scriptura adducuntur, probant. Antiquæ quidem Ecclesiæ tempore Martyrum reliquiæ studiosè colligebantur; ut sub altaribus recondita postea extarent, quod forsan sequioribus seculis ansam errandi dedit: tamen Ecclesia id tunc solum in eum finem fieri Volebat, ut Martyrum piè res gestæ, atq; eorum Christi causa passiones omnibus quotidiè in memoriam reVocarentur. (2.) debuisset auctor ideò non ita piè ad reliquias affectus esse, quod meritò illarum efficaciam semper suspectam habuerat.*

Antiquus dierum] עתיק יומין *ita appellatur* Daniel. 7. v. 9.

Sect. XXIIX.

IMprimis autem admirari soleo, ex quâ tandem re acciderit, ut summa sapientiorum curiositas in disputabile illud miraculum † tam negligenter præterierint, *Oraculorum cessationem*: aut quale rationis deliquium passi ridiculis illis, † longeque petitis Plutarchi rationibus contenti acquieverint. Supernaturale illud tempore Josuæ

ſolſtitium Judæi agnoſcunt, cum tamen eclipſin illam, † quæ in Servatoris noſtri morte accidit,† ab Ethnico quovis agnitam impudenter diffiteantur: immo hoc * † Dæmonem ipſum falſum eſſe, manifeſto conſtat. Improbanda certe eſt illorum curioſitas, qui Scripturæ ſacræ fidem ad humanæ hiſtoriæ conſenſum explorant; † qui Heſtheræ librum ex Megaſthenis aut † Herodoti authoritate confirmare conantur. Me hac in re infeliciter curioſum fuiſſe non diffiteor, donec ſtultitiam tandem agnoſcere coëgit ridicula illa † Juſtini de Judæis narratio, quos, quod ſcabie neſcio qua graves eſſent, ex Ægypto pulſos refert. Et ſane ex quo res humanas interius mihi noſſe contigit, & larvas iſtas & perſonas ſcire,† quibus res præteritæ nobis hodie in ſcenam prodeunt, non multo plus fidei apud me obtinent, quam res futuræ. Non defuere olim qui mecum ſentirent, ideoque de ſua ipſorum vita conſcripſere hiſtorias: hos omnes Moſes ſuperavit, non de vita tantum, ſed † de morte etiam, † ut quidam contendunt, confectis commentariis.

* *Ex iis quæ Auguſto per oraculum reſpondit.*

ANNOTATA
Ad Sect. XXIIX.

Tam negligenter præterierint] *Multi tamen de hoc tractarunt, & cauſam illorum ſilen-*

di nativitatem Christi statuerunt. Vid. Euseb. l.5. c.1. præpart. Evangel. *& Suidam* in dictione, Ἀὔγουστος. *Idem probat ex ipsis Apollinis oraculis Benedictus Dubenus* in catalog. Prodigiorum circa nativit. Christi. *Sed Cicero* l. 2. de divinatione *scribens*, non solum sua ætate, sed jam diu antè, Oraculo Delphico (*quod omnium erat celeberrimum*) nihil fuisse contemptius, *aliam causam dat*; *nempe* quod homines jam tunc fuerint minus creduli *quam olim. Multi enim censent, responsa nil præter vatum imposturas fuisse; qui cum suos emissarios per universam Græciam haberent, de statu ac fortunis cujusq; certiores reddebantur. Fucum illum animadvertit Lucianus* in Alexandro Pseudomante. *Responsa etiam plerumq; erant flexiloqua, obscura & ambigua. Hinc Cicero* l 2 deDivinatione *agens de sorte editaCræsō (de quo vide Herod.* l. 2.) *ita: Vtrum, inquit*, eorum accidisset, verum oraculum fuisset, *eleganter Virgil.* l.6. Aeneid.

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens.

Et apud Lucianum in dialog. *Iuno objicit Latonæ*, quod filius eius Apollo obliqua, & in utramque partem quæstionis propositæ inclinantia, respondeat, ne videlicet erroris possit condemnari. *In gratiam consulentis jucunda sæpè respondebant & ad illius nutum*: Vnde Demosthenes aliquando dixit, Pythiam φιλιππίζειν, id est, quasi cum Philippo facere. *Vid. Cic.* l. 2. de divinat. *idem ferè Curtius de Iovis Ammonii oraculo exprimit* l. 4. *Tamen non credo omnia responsa solis vatum imposturis adscribi posse, cum* Varro *supra triginta millia oraculorum suo tempore fuisse narret. Quis autem credat, tot vates tam multis hominibus, & non solum barbaris, sed etiam Græcis, non solum rudibus, sed*

etiam eruditis, diversis locis ac temporibus ita dextrè potuisse imponere, ut nullis aut paucis fucus subboluisset. *Hinc ipse Cicero* l. 1. de divinat. Age, *inquit*, barbari, vani atque fallaces; num etiam Graiorum Historia mentita est? Quæ Crœso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quæ Atheniensibus, quæ Lacedæmoniis, quæ Taygetis, quæ Argivis, quæ Corinthiis responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste. defendo unum hoc? Nunquam illud oraculum Delphis tam celebre, tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque Regum, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. *Hæc Cicero: & insuper Platonici, qui, ut erant viri eruditi, non ita facilè decipi poterant, oraculorum historiam pro vera accipiunt. Vid. Platonem* in Phædro & Timæo. *& Iamblich.* de myster. *qui id nulla alia ratione, aut modo quam ex præsentia Dei venientis extrinsecus provenisse docet. Post natum verò Christum atq; ipsius adscensionem oraculorum vim fuisse fractam multi satis docent. Vt Eusebius* l. 5. c. 1. de præparat. Evangel. *ex ipso Porphyrio Christiani nominis hoste, qui in libro, quem adversus Christianos scripsit, testatur, illos post cultum Christi nihil utilitatis capere potuisse. Testatur quidem Plutarch.* in libr. Quare miracula expiraverint; *sua ætate* Bœotiam Lebadiæ quærentibus haurire sortes concessisse; *Verum tunc Sacerdotes ex suo sensu sine Dæmonum auxilio responsa dedisse, ac brevi detectis fraudibus omnem fidem illis fuisse derogatam puto. Iulianus Imp. illis iterum auctoritatem acquirere studebat, illa iterum consulebat, sed amplissimum Daphnai Apollinis fanum subita vi flammarum exustum fuit. Vid. Ammian. Marcell.* l. 22. *Quamvis verò oraculorum*

vis

vis jam ante natum Christum infringi cœperit, eadem tamen non nisi post eius gloriosam ascensionem omninò obmutuisse, verùm est.

Longeq; petitis Plutarchi rationibus contenti] *Scripsit Plutarchus integrum librum*, quare miracula expiraverint: *valdè se in ea quæstione torquet, ac frivolis tandem acquiescit. Illud quod inter alias rationes apponit, vetustate evanuisse vim loci eius, unde anhelitus ille terra fieret, quo Pythia menteincitata oracula ederet, iam ante illum Cicero* l. 2. de divinat. *refutavit:* De vino, *inquit Cicero*, aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate, de vi loci agitur, neque solum naturali, sed etiam divina: quæ quo tandem modo evanuit? vetustate, inquies. Quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? Quid tam divinum, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat, multò ante, sed etiam numero versuq; pronunciet? quando autem ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt.

Quæ in Servatoris nostri morte accidit] *Vid.* Luc.23. v.45. *Hieronym. ad Matth.27.*

Ab Ethnico quovis agnitam.] *Vt Eusebius* in chron. ad ann. XV. Tiberii ex Phlegonte Olympiorum Chronicorum Auctore probat. *Vide & Origin.* l. 11. adv. Cels. *Tertull.* Apolog. c. 21. *August.* de Civit. Dei l.3. c.15.

Dæmonem ipsum fassum esse] *Vide Suidam.*

Qui Hestheræ librum ex Megasthenis] *Est liber supposititius ab Anno Viterbiensi in lucem datus. Magasthenes fuit rerum Indicarum scriptor & sæpe à Plinio, Strabone, Solino, Iosepho citatur. Sed nullus huius Megasthenis de rebus Persicis scribentis meminit.*

Herodoti auctoritate] *Sed quam sæpe lapsus*

psus sit, docet Benedictus Pererius in suis commentariis in Daniel. & *Cicero* l. 1. de leg. *innumerabiles apud illum esse fabulas dicit*, & *Strabo* l. ult. *Historiam eius fabulosam censet.*

Iustini de Iudæis narratio) *Vid. Iustin.* l. 36. *plura fabulosa de Iudæis vide apud Strabon.* l. 16. *Diod. Sicul.* l. 1. *Tac.* l. 5. Hist. c. 2. 3. 4. & 5. *falsa veris immiscent.*

Quibus res præteritæ) *Scriptores enim partim gratia, partim odio, partim timore, partim ignorantia, vera scribere prohibentur: Nunquam ex animo meo elabetur illud, quod Dresserus* in orat. de Vsu historiar. *scribit de Carolo vitio, qui plerisq; conventibus Imperii, privatis ac publicis consultationibus, de quibus Sleidanus historiam scripsit, interfuit. De hoc prodit Dresserus illum dixisse:* Sleidani Historia adimit mihi fidem omnium superiorum Historiarum.

De morte etiam) *Vid.* Deut. 34.

Vt quidam contendunt) *Sed sine ratione, quia textus habet:* Et non cognovit homo sepulchrum eius usque ad præsentem diem. *Ante obitum Moysis non erat sepulchrum, quod cognosci aut ignorari posset. Scriptum ergò id est ab alio.* *Vid. Tostat.* in Deuter. 34. quæst. 3. & ea quæ supra ad Sect. XXII. circa finem dixi.

Sect. XXIX.

MOnstri mihi simile videtur, hæc omnia, quæ passim de Oraculis referuntur, nondum † dubiam illam de Spiritibus & Sagis sententiam expulisse, tantamq; eruditorum virorum multitudinem tam metaphysicorum immemorem exti-

tisse.

tisse, ut labefacta, rerum creatarum scala, spirituum existentiam in dubium vocarent. Equidem semper credidi, jam vero certo comperi, † Sagas esse: qui has tollant, tollunt etiam Spiritus, nec aliud quidem sunt, quam indirecte & consequenter, non increduli, † sed athei. Qui ad incredulitatem hanc amovendam spectra videre cupiunt, nulla procul dubio unquam visuri sunt, imo ne magi quidem esse, ut velint, poterunt. Hæresi eos non minus capitali jamdudum implicuit Diabolus, ab eadem ipsos conversurus, si appareat. Ex variis autem modis illis, quibus mortalium animos ludificari solent, nihil mihi plus negotii facessit, quam* † subdititiorum impostura. Non mihi verisimilia fiunt, quæ de humanis corporibus in brutorum formas mutatis narrari solent; nec hominis in equum transformandi potestatem habere Diabolum credo, qui ad Divinitatem Christi arguendam saxa in panes mutasse voluit. Fieri posse, † ut Spiritus cum hominibus rem Veneream, idque utroque sexu exerceant, non ita repugno: corpus enim aut assumere aut fingere posse credo, quo vel active decrepitæ libidini, vel etiam juveniliori passive satisfaciant; ita tamen ut nec in hac, nec in illa, generatio ulla un-

 quam

* *Infantium qui à Spiritibus supponi creduntur.*

quam accidat. Ridicula itaque est, & Rabbinis, quam Christianis dignior illa de Antichristo opinio, eum † ex tribu *Danensi* genitore Dæmone nasciturum. † Alios esse revera à Dæmone obsessos sentio, † alios à melancholia, alios à delusionis spiritu, ab aliis Dæmonem celari, ab aliis Deum ipsum & Angelos prætendi: quod nupera illa Germanæ puellæ defectio abunde testatur.

ANNOTATA
Ad Sect. XXIX.

Dubiam illam de Spiritibus & Sagis] *Saducæi docuerunt, non dari spiritus aut Angelos Vid.* Act. 23. v. 8. *nec Aristoteles præter orbium cælestium motores alios spiritus esse statuit. Idem fecerunt ipsius interpretes Alexander Aphrodisæus, Simplicius, & Averroës. Sed hisce opponimus non solum veritatem S. Scripturæ, sed etiam antiquos Philosophos, nempè Pythagoram & Stoicos, apud Plutarch.* de Placit. Philosoph. l. 1. c. 8. *Xenocratem, Hesiodum & Empedoclem, apud eundem Plutarch.* in libro de Iside & Osirid. *Platonem*, in Politic. & in Convivio. *Proclum*, in Platon. Theolog. l. 1. c. 24. & in libro de animâ, & dæmonibus. *Iamblichium* de myster. *Porphyrium*, in libr. de Sacrificiis, & Diis atque Dæmonibus. *Plutarchum*, libr. de Oraculorum silentio. *Doctrinæ Spirituum peritissimum Psellum.* libr. de Dæmon. *Apuleium* libris metamorphos. & Apologia *& ex Arabibus Avicennam. & Algazel. Refellit & Aristotelem quotidiana Experientia, & omnis ævi Historia. De Imagine illa atra, quæ Bruto per noctem se obtulit, vide Florum* lib. 4. cap. 7. *& Plutarchum* in Vita Dion. & Bruti. *de*

Osten-

Ostento quod Iulio Cæsari ad Rubiconem factum est. Vid. Sueton. in vita cap. 32. *de Mulieris figura quæ Curtio Rufo oblata. Vid.* Epist. *Plin.* l. 7. Ep. 27. *De hoc quod Brenno Gallorum Duci Delphis obvenit, vid. Iust.* l. 24. *de Dæmonibus qui tempore Iustiniani in publicis privatisq; locis visi, quique homines etiam interdiu obvios percutiendo lethali morbo affecerint, vid. Procop.* l. 1. bell. Pers. *De Spiritibus illis qui sæpe operariis in fodinis metallicis Misnicis apparent. Vid. Munsteri* Cosmograph. *Plura eiusmodi vide apud Valer. Max.* l. 1. c. 8. *Wier.* de Præstig. Dæmonum. *Richterum* in Axiom, Oecon. Reg. 2. *Bodinum* in dæmonoman.

Sagas esse] *Has esse probat quotidiana experientia. Vid. Bodini* Dæmonoman. *Iac. Angliæ Reg.* Dæmonolog. *Mart. Delrii* disquisitiones Magicas *Wier.* de præstigiis dæm. *qui tamen eas, nec per se nec per Dæmones ea, quæ dicuntur, præstare* in tract. de lamiis *multis argumentis probare conatur. Quanquam spectra & Sagas agnoscit, vide plura apud Helmontium ac Remigium* in sua Dæmonolatria. *Ea, quæ nuper in Ducatu Luneburgiensi Cellæ Theologo evenerunt, toti Germaniæ innotuisse puto.*

Sed Athei] *Illi enim spiritus negant, putantes pleraque de spectris esse commenta, aut hominum imposturas: (De Mundo, qui Anubidem simulans Paulinam violabat, Vid. Ioseph.* l. 18. antiq. c. 6. *de Tyranno qui se Saturnum fingebat. Vid. Ruf.* l. 11. cap. 25. *) aut φάσματα aut alios naturæ lusus, quos cum homines simplices harumque rerum ignari vident, spectra se vidisse evulgant. (de speculo illo aërio Rheginorum in Freto Siculo, quod in aëre offert Theatrum multarum rerum varietate, columnis, ædificiis, bestiis, hominibus ornatum. Vid. Ath. Kircher.* l. 10. p. 2. c. 1. de arte Lucis & Vmbræ. *) Aut vehementem imaginationem, quæ spiritus conturbet.*

(*Vid. Thom. Hobb. c.2. de Civit. Eccles. ac Civ exstat anglic lingua*) *aut pavorem, qui cum aliquem invasit, aliquid quod non ita revera est, apparere facit. Possent Athei aliquid dicere, si spectra solum hominibus naturalium rerum, vis imaginaria, ac fundum imperitis aut timidis se offerrent; sed idem obtigit & Philosophis. De Athenodoro, intrepido illo Philosopho, domum conducente, ubi semper apparebat senex macie & squalore confectus, vid. Plin.* Ep.27. l.7. *Diox & Brutus erant viri fortes ac Philosophia gnari, idem tamen illis evenit ut supra ex Plutarcho* in Vita Dionis *dixi. Quid sunt mulieres illæ, quæ ante obitum alicuius ex familia Electorali Brandeburgica conspiciuntur? Quid illi strepitus, voces, ac visiones quæ plerumq; ante magnorum Principum obitum non ab uno timido, sed à multis audiuntur ac conspiciuntur? vid. Phil. Camerar.* in oper. succis. centur. prima c.73. *Vide & Cardanum* de rerum varietat. l. 16. c 93. *Scio magnam quandam Principem joco aliquando literato cuidam viro ægrotanti dixisse; nolo te mori antequam mihi valedixeris, & illum subridentem respondisse, se non fore ita ingratum & inficetum: eademq; qua decessit nocte, bis terq; Principis cubiculi ostium fuisse, quasi in signum valedicendi, pulsatum.*

Subdititiorum impostura] *Forsan potest Diabolus ex semine & sanguine corpus quoddam in utero sagæ conflare, ex eo, postquam saga illud peperit, sugere vel potius lac maternum furari, loqui, & alia infantum munia præstare. Furatur & interdum aliis matribus suos infantes & illos supponit. Sæpe etiam infantes falsò pro suppositis habentur.*

Humanis corporibus in brutorum formas mutat.s] *Eiusmodi transmutationem & veteres crediderunt de Ulyssis sociis in porces mutatis vid. Ovid.* l.14. Metamorph.

——————— Setis horrescere cœpi,
Nec jam posse queri, pro verbis edere raucum
Murmur, & in terram toto procumbere vultu:
Osque meum sensi pando occallescere rostro.

Virgilius Ecloga 8. *de eiusmodi etamorph.*

——————— nascuntur plurima ponto:
His ego sæpe lupum fieri, & se condere sylvis
Mœrin, sæpe animas imis exire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Sic & Lucianus ludit, se in Thessalia quodam unguento, in quod errore inciderat, in asinum fuisse transmutatum: sic & Apuleius l. 3. Metamorphos. *scribit, cum in bubonem immutari gestiisset, per errorem pyxidis unguentariæ in asinum transfiguratum fuisse. Sed hi haud serio agunt. Satis nota sunt, quæ de Lappis, quod frequentissime in lupos transmutentur, serio narrantur. In nostra Germania id sæpe fieri a Venatoribus magna confidentia asseritur. Multa etiam de eiusmodi transmutationibus ab ipsis Historicis annotantur. Vid. Camerar.* in operib. subcis. *& Wier.* de præstigiis dæmon. *& hæc opinio satis etiam Augustini tempore recepta erat. Quod ille refellit* in lib. de spiritu & anima c. 26. *confirmans, quod Dæmones creaturas creare non possint, sed solum tale aliquid facere, ut videantur esse quod non sunt. Vid.* & l. 18. de Civitat. Dei c. 18. *Opticus speculis & aliis machinis opticis efficere valet, ut res longè aliter appareat, quam est; multò magis Diabolus melius nobis arcana naturæ intelligens id ipsum præstare potest. Sæpe etiam atra bilis fuligine correpti credunt se esse ita transmutatos, cum tamen ab aliis non nisi in propria forma videantur. Refert Iohan. Baptista Porta* l. 8. mag. natur. c. 2. *de quadam herba, dicta Italicè bella donna, quæ iucundas imagines bibentibus observari faciat. Dicit ibidem sibi amicum fuisse, qui quodam medicamento homi-*

homines adducebat ad credendum, se esse in aVem aut aliud animal conVersos. Et quomodo homo luminis ope in quodlibet animal transformari possit, docet idem l. ult. c 9. *Vide & Athanas. Kircher.* l. 10. de arte Luc. & Vmbr. part. 2. c. 6. experim. 5. *ubi refellit Portam & Albertum Magnum qui similia docuit.*

Vt Spiritus cum hominibus rem Veneream] *S. Chrysost.* in Homil. 22. in Genes. *id pro fabula habet, quia spiritus carne & sanguine carent. Idem Cyrill.* l. 9. contra Iul. *alii credunt Dæmonem posse gignere etiam proprio sanguine. Vide Lactant.* l. 2. c. 15. *Ioseph.* l. 1. antiq. c. 4. *& Iustin. Martyr.* Apol. 2.

Ex tribu Danensi genitore Dæmone] *Vid. de hoc August.* in libro de Antichristo, *ex quo apparet illam opinionem esse antiquam. Citant ad hoc* Genes. 49. fiat Dan coluber in via cerastes in semita. *Idem & Cyrillus Ierosolymitanus* Catechef. 15. *statuit.*

Alios revera à Dæmone obsessos] *ReVera obsessos à Dæmone dari non solum nostra religio* Matthæi 12. v. 43. Marc. 3. v. 11. Luc. 4. v. 35. Act. 5. v. 16. *docet, & experientia testatur, Vid. Richt. Axiom. Eccles. Ax.* 153. *Sed & Platonici censuerunt. Hinc Marsilius Ficinus* in Apologia Socratis: *secundum doctrinam Platonicam ita:* quando, *inquit*, vel per atram bilem vel aliquid simile, aut vitium, totus in imaginationem convertitur animus, facilè fit inferiorum Dæmonum domicilium, quorum præsentia & insania animo simul vexetur & corpore. *Nullos dari reVera obsessos non solùm docent impiè athei, sed & Thomas Hobbe* in sua Civit. Eccles. & Civil. c. 8. *quam Anglicana lingua scripsit: ubi tradit, Iudæos friVolè credidisse, omnes extraordinaria facientes Vel à bono, Vel à malo spiritu obsessos: hinc scribas* Marc. 3. v. 22. *dixisse Christum habere Beel-*

ae Beelzebub, alios Ioh. 10. v. 20. *cum habere Dæmonium; Christum vero solum docendo ea, quæ ad æternam nostram salutem spectant, non autem Philosophiam noluisse illa falsa opinione Iudæos liberare, ideò ea quæ* Matth. 12. v. 43. *scripta sunt de immundo spiritu, solum esse parabolam, eaq; quod Christus dæmonia ejecerit, solum intelligenda esse quod Servator noster ægrotos illos, quos Iudæi obsessos perperam arbitrabantur, sanitati restuerit. Sed si eiusmodi interpretandi scripturam modum admittamus, facilè genuinus totius S. Scripturæ sensus evertetur. Et hoc non posse ita sine cavillandi animo accipi, manifestum redditur,* Matth. 8. v. 29. 30. 31, 32. & seq. Luc. 4. 35. 8. v. 2. & v. 29. & 30. 9. v. 42. 10. v. 17. Act. 8. v. 7. 16. v. 18.

Alios à melancholia] *Morbo hypochondriaco laborantes adeò mira sæpe committunt, ut interdum haud imperitis Medicis imponant. Vide Wier.* de præstig. dæm. *& Camerar.* oper. subcis. *Testatum id faciunt Virgines Moniales Civitatis Loudunensis in Gallia, quæ à plerisq; pro obsessis habitæ sunt, & ipsæ tales se fuisse adhuc credunt. Vidi ante aliquot annos in Gallia Abbatissam, istius monasterii, in cuius manu inscripta exstant nomina illorum, quorum intercessione liberatæ creduntur: Sed Medicorum opera (ut postea innotuit) sanitati restitutæ sunt. Medicus quidam Gallus (si benè meminit) Duncan nomine, de hoc librum scripsit, & non obscurè innuit illas solum atra fuligine bilis turbatas fuisse.*

Sect. XXX.

ADhæc, † non omnes eos, qui veneficiis, incantationibus & carminibus, utuntur, Magos, quos dicimus, aut Veneficos

ficos vocandos ſentio: Eſſe enim Magiam quandam traditionalem, non immediate ab ipſo Dæmone, ſed à diſcipulis ejus ſecundario perceptam; & eos, qui arcana ſcientiæ eius præſcripta nacti fuerint, & poſſe & ſolere artem quandam empiricam, † etiam illo non conſulto, exercere: iisdem enim naturæ principiis utuntur utrique; † ubi activa paſſivis apte diſpoſitis accommodata effectus ſuos ſub quolibet magiſtro proferunt. Bonam itaque Philoſophiæ partem primitus Magiam fuiſſe opinor, eam † in alios atque alios propagatam Philoſophiam vocatam eſſe, nec revera quicquam aliud fuiſſe quam ipſos naturæ effectus. Quod à nobis ipſis inventum Philoſophia eſt, hoc ab illo acceptum magia dicitur: nec dubium, quin multa † arcana & bonis † & malis Angelis accepta referre oporteat. Illam Paracelſi ſententiam nunquam niſi aſteriſco poſito prætere poſſum,* † *Aſcendens conſtellatum multa revelat quærentibus magnalia* Naturæ, id eſt, *Opera Dei.* Non pauca eſſe myſteria arbitror † à benigna Angelorum revelatione accepta, quorum nos inventionem ingeniis noſtris adſcribimus: humane enim † favere & ſtudere nobis nobiles illos cœlicolas,

* *Per Aſcendens conſtellatum Genium unicuiq; ſtatim à nativitate præpoſitum intelligit.*

licolas, ut qui † similem prope naturam cum ipsis sortiti sumus, adeoque † ex amica Angelorum bonorum præmonitione portenta illa & † prodigia Rerump. Principum, nec non privatorum etiam interitus prædicentia proficisci: quæ omnia parum sagax vulgus casibus & Fortunæ imputat.

ANNOTATA
Ad Sect. XXX.

Non omnes qui veneficiis, incantationibus & carminibus utuntur magos vocandos sentio] *Multi iis usi sunt, qui aut ipsa carmina pro meris nugis reputarunt, aut omnia naturaliter non vi incantationis, sed excitatione vehementis imaginationis & spirituum ac humorum commotione evenire censuerunt. Vide Pomponat.* in libro de incantationibus c.4. *Et Marsil. Ficin.* lib. de vita cœlitus comparanda c.17. 18. 19. 20. 21. & seq. *Hinc Plato* l.11. de legib. *putat, unumquemque cogitatione atque imaginatione sua se posse ipsum incantare. Idem arbitrati sunt Avicenna & Algazel, & Helmontius ostendit* in libro recept. inject. *vim incantamenti potissimum pendere ab idea incantantis. Vid. eundem* in libro de inject. materialib. *Plura curiosa vide* in eius libro de Magnetica vulnerum curatione.

Etiam illo non consulto exercere]. *Hinc Bombastus Paracelsus* l.5. de morbis invisibil. *artem usurpandam, diabolum relinquendum docet. Idem passim omnem magiam modo fœdus cum Diabolo absit, laudat. Vid.* in libro de occult. Philosoph. & in Astronomia Magna *dicit; extremam esse dementiam hanc artem ut diaboli-*

eam reiicere; cui tamen in hoc nihil tribuendum puto: Alioquin scimus Dæmones naturæ opera melius nobis intelligere, & omnia quæ efficiunt, naturalia nec contra nec supra naturam esse; ideoque nonnullos credere, per suos discipulos antiquis potuisse multa naturæ secreta tradi; quæ impunè adhiberi possint, modo nulla superstitio adhibeatur, nullum pactum cum Diabolo ineatur, nullis ignotis characteribus, (quibus sæpe primi, qui cum Diabolo pactum fecerunt, Dæmonum nomina aut illorum adorationes signarunt) utamur. Hinc Marsilius Ficin. in l. de amore cap. 16. Magiæ, *inquit*, opera naturæ opera sunt, ars verò ministra: ars enim ubi naturali cognationi deest aliquid, per vapores, numeros, figuras, qualitates opportunis supplet temporibus. Hanc artem veteres Dæmonibus attribuerunt, quia intelligunt, qualis sit rerum naturalium societas; quomodo concordia rerum siccubi desiit instauretur. *Vide eundem* in libro de vita cœlitus comparanda cap. ultimo & in Apolog. in qua de Medicina Astrologia ac magia agit. *Alii arbitrantur, etiam nullum cum Dæmonibus pactum habentes, quique ea à pacti nesciis didicerunt, tamen hac ipsa traditionali magia Dæmones colere. Vid. Gerhard. Voss.* l.1. de orig. ac progress. idololatr. c.8.

Vbi activa passivis aptè dispositis accommodata] *Vid. Paracelsum* in libro de Characteribus & *Voss.* de orig. ac progr. idololatr. l.2. c.34. p.489. *Fr. Portam* l.1. mag. natur. c.2. & *Marsil. Ficin.* in libro de vita cœlitus comparanda c. 26.

In alios atque alios propagatam Philosophiam vocatam esse] *Imò ipsa magia in bona significatione Philosophia est: Vid. Portam* l. 1. mag. natur. c.1. *Hac Philosophia adeò mira etiam præstari possunt, ut sæpe eius Doctores magi audiant. Hinc Apollonius Tyaneus accusaba-*

tur

tur infamis magiæ: quo crimine se esse immunem, ostendit in oratione ad Domitianum, quæ exstat *apud Philostratum* l.8. de vita Apollonii c.3. *quod & admittit Hieronymus* ad Paulinum.

Arcana bonis] *Vidi* Tob.6.v.6.& 8.9.*Hinc Origenes Raphaelem vocat Principem Medicinæ. Tradit Iamblichus* de mysteriis cap.de somniis, *in Aesculapii templo accipi somnia, quibus morbi curantur; & Alexandri exercitum morbis mox periturum evasisse discrimen remediis adhibitis in somno à Dionysio Deo revelatis.*

Et malis angelis] *Vide Psell.* libro de Dæmon. *& Porphyr.* l.2. de dæmon.

Ascendens constellatum] *Vide Paracels.* libr. de imaginib. *Intelligit genium qui à nativitate unicuiq; præest. Quid verò antiqui per genium intellexerint, vide in notis Lindenbrogii* in c.3. Censorini de die natali. *De hoc genio ita Censorinus* dicto cap. Genius, *inquit*, est Deus, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit. *Vid. plura ibidem, ut & Marsil. Ficinum* in lib. de vita cœlitus comparanda c.23. *& Robert. Flud.* in Historia Microcosm. tract. 1. sect. 2. *Part.* 4. l.3. c.10. 11. & 12.

A benigna Angelorum revelatione accepta] *Quod etiam docent Platonici. Vid. Iamblichum* de mysteriis p. 52. 53. 54. 55. *edit. Lugdunens. An.*1577. *& Procl.* lib. de anima & Dæmon. *Porphyr.* l.2. de divinis atque dæmon. *Apulei.* de Deo Socratis pag. 331. edit. Amsterodam. *Vide &* geminam dissertat. *Maximi Tyrii* de Deo Socratis.

Favere & studere nobis] *Vid. August.* l.19. de C.D. c.9. & l.22. c.29.

Similem propè naturam cum ipsis sortiti] *Vide Aug.* l.8. de Civ. Dei. c.25. & l.22. c.29. & in Psalm 62. & in libro de diligendo Deo c. 2. & 3. *Falsò Augustino ille liber tribuitur.*

Ex amica Angelorum præmonitione) *Misit enim Deus illos ad tutelam generis humani. Vide Lactant.* l.2. c.15. *& Augustin.*. in soliloqu. c. 27. & sermon.46. ad Fratres in Eremo. *Adsunt semper illi nobis, vid.* 1. Corinth. 11. v.10. Illi attendunt nos peregrinos, miserantur nos & jussu Domini auxiliantur nobis. *Vid. Augustin.* in Psalm. 62. *Auctor* in Tractat. de diligendo Deo, qui extat inter opera Augustini, *dicit, illos quod Deo jubente completum esse cognoverint, hoc nobis evidenter vel latenter reportare.* *Porphyrius* in libro de Philosophia oraculor. *docet, Deos hominibus indicare quibus capiantur ac gaudeant rebus & quæ vitanda habeant.*

Prodigia) *Vid. Machiavell.* l. 1. di Discorsi sopra la prima decad. di Tit. Liv cap.56. *ubi, postquam se eorum causam ignorare fassus sit, tandem tamen id a spiritibus aëriis provenire censet. Vid. & Alex. ab Alexand.* l. 2. genial. dier. cap. 31. *& omnino Valer. Maxim.* l.1. c 6.

Sect. XXXI.

PRæter particulares autem istos & singulos, haud scio an universalis etiam Spiritus, toti mundo communis, statuendus sit. † Id olim Plato statuit, statuunt & hodie Hermeticorum dogmatum sectatores. Si autem universalis aliqua eiusmodi natura detur, quæ singula & dispersa individua in speciem unam colligat, & connectat, quid prohibet, quo minus etiam sit, quæ res universas uniat? Hoc saltem mihi satis constat, Spiritum aliquem communem, tametsi nostri pars nulla sit, † Di-

vinum

vinum scilicet, nos intus agere: Hic est augustæ ejus essentiæ ardor, & scintillatio; Spirituum, eorumq; omnium, quæ Solis vires non agnoscunt, vita & humidum radicale; ignis, infernali illi è diametro contrarius: almus ille calor, † qui olim aquis incubans sex dierum spatio mundum exclusit; Irradiatio, quæ piceas inferni caligines abigit; quæ horroris, formidinis, ægritudinis, & desperationis dissipatis nubibus mentes nostras placidas & serenas reddit. Lenes & tacitos huius spiritus afflatus qui in se non sentit, ne explorato quidem venarum pulsu vivere affirmassem. Hic mihi ni adsit, ipsis Tropicis alsurus sum, mediumq; Solem ut incolam, lumen desiderabo.

Utq; ubi iam longo functus molimine Phœbus
Terga gravat tosti superans sublimia Cancri,
Mox pigra solvuntur glaciali frigora Ponto,
Solvitur æthereis Borealis ab ignibus Arctus.
Sic tuus ut rediit vultus, redeuntibus almis
Vt mihi solstitiis tepuere algentia corda;
Bruma fugit, repetit regelatos spiritus artus,
Totaq; nascenti rident præcordia vere.
Quod si vivifici splendor decesserit oris,
Aethera nec nostrum divina luce bearit;
Protinus ignavo torpescunt frigore membra,
Et media patior gelidos æstate Decembres.
Aetheream nimis, ah! moles hæc carnea mentem
Degravat: illa quidem terreno carcere multum
Indignata premi; nec originis immemor, usque
Ad patrias sedes, cognataq; sidera tendit.

Sentio flagrantes medio sub pectore flammas,
Heu! non æthereas Stygiis sed ab ignibus ortas,
Quæ caliginibus piceis, fumoq; maligno
Præfocant, si quis melior subnascitur ignis:
Has precor, extinguas, sic ut divinior ardor
Excipiat. nubes animi, Lux optima, luce
Pelle tua, cælumq; mihi pro Sole serena.

ANNOTATA

Ad Sect. XXXI.

Id olim Plato statuit] *Vid. Platon.* in Parmenide & Timæo & *Procl.* in Platon. Theol. l. 1. c. 13. *Virgil.* l. 6. Aeneid. *ita:*

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit; totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Vide plura apud Portam l. 1. mag. natur c 6. *Veteres Sinenses fere idem crediderunt. Vid. Trigaut.* l. 1. c. 10. de Expedit. Christ. apud Sinas.

Divinum scilicet nos intus agere] *Est Spiritus sanctus Paracletus ille,* Ioh. 16. v. 7. *qui docet nos omnem veritatem, vide* ibid. & Ioh. 14. *Optimè Seneca* in Epist. 41. Propè, *inquit*, est à te Deus, tecum est, intus est. ita dico, Lucili sacer intra nos Spiritus sedet; malorum bonorumq; nostrorum observator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est.

Qui olim aquis incubans] Genes. 1. v. 2. *Non potuit esse Pythagoreorum mundi spiritus, nam ille inesse mundo diceretur, nec ventus, quia nondum fuit.*

Sect. XXXII.

VErum enim verò non tantum † singulis regionibus, sed † singulis etiam hominibus suos præesse tutelares genios, ut crederem, non difficulter adducerer, tantum abest, ut spirituum existentiam tollam. † Vetus hoc est Pythagoræ & Platonis, non nuperum Ecclesiæ Romanæ dogma. Hæresi quidem alienum est, & quamvis ex sacra pagina non manifesto pateat, commodum & salubrem usum in hominum vita habiturum; quodque ad dubitationes & nodos complures solvendos prosit, quæ Philosophia expedire nescit. Si quis autem Metaphysicus, quid de eorum natura videatur, sententiam roget; pauca, fateor, & dubia responsurus sum, negativa pleraque, ut in Deo, aut comparativa respectu nostri, ut qui communem creationem sortiti sumus. Est enim in hac rerum universitate † manifesta creatorum omnium scala, non ea quidem inordinatim & confuse extructa, sed methodo elegantissima & summa proportione concinnata. Inter ea, quæ nudam existentiam, & quæ vitalem sortita sunt, ingens naturarum discrimen est: inter plantas, & ea, quæ sensu prædita sunt, majus: inter hæc & hominem, multo adhuc majus; futurum, nisi

hic proportio ista non obtineat, † inter hominem & Angelos, etiam maius. Naturam eorum nequaquam assequuntur, qui primam Porphyrii definitionem secuti, immortalitate tantum ab homine distinguunt, nam & homo ante lapsum immortalis fuit, inter cuius tamen & Angelorum essentiam multum interfuisse necessario sentiendum est. Cum itaque † de eorum natura nihil nobis certo constet, non pessima mihi videtur hac in re Scholarum methodus, quicquid perfectionis in nobis subobscure elucet, id illis magis completum & absolutum tribuentium. † Cognitionem arbitror extemporaneam habere, & quod nos non nisi multum diuque cogitando possumus, id illos primis intellectus motibus transigere; quæ nos per accidentia & proprietates describimus, ea ab illis per formas cognosci; † per differentias specificas definiri; adeoq; illis ea ἀποδεικτικῶς innotescere quæ nobis tantum probabilia sunt: illis notas esse non tantum specificas, sed & numericas quoque individuorum formas, privatasque illas differentias, quibus singularis quæque hypostasis (præterquam quatenus ad speciem refertur) ad numericam suam essentiam constringitur: sicut animæ facultas inest corporis à se informati movendi, sic illos movendi quidem cuiusvis, nullius vero informandi potentiam habere. Nos tem-

temporibus, locis, & distantiæ alligamur; invisibilis vero manus illa, quæ in leonum antrum † Habbakkukum, quæque † Philippum Azotum vexerat, his spretis legibus vecturæ genere usa est mortalibus ignoto. Si intuitiva cognitione præditi sunt, cuius beneficio, tanquam reflexione quadam suas invicem cogitationes inspiciunt, mihi pernegandum non videtur, quin & nostrarum etiam † bona pars sit illis nota. † Qui ad invocationem Sanctorum oppugnandam, negant ea, quæ hic in terris agimus, illis innotescere; ignoscant mihi, velim, contrariam sententiam, donec invenire potero, quid ad locum illum respondendum sit: *Gaudium est in conspectu Angelorum Dei † super uno peccatore resipiscente.* Non possum illorum sententiæ securè accedere, qui † apud magnum illum Patrem primi diei opus ita interpretantur, ut ex verbis illis, *Fiat Lux*, Angelorum creationem deducant. Quanquam negandum non est, nullam omnino creaturam tantam affinitatem cum illorum natura habere, quantam habet illud in Sole & elementis lumen. Quod licet à nobis merum accidens audiat, cum tamen solum & per se subsistit, † spiritualis substantia est, & fortasse Angelus. Finge denique lumen invisibile, id spiritus est.

ANNOTATA Ad Sect. XXXII.

Singulis regionibus] *Vide apud Danielem Persidis angelorum mentio fit. Vide quæ* supra ad Sect.21. *dixi: Sic ante destructionem Hierosolymorum* expassæ delubri fores & audita maior humana vox. Excedere Deos. Simul ingens motus excedentium. *Tac.* l.5. Hist. c. 13. edit. Bernegger. *Iosephus* l.6. c. 31. de bello Iudaico *scribit, Sacerdotes in templo vocem audivisse: migremus hinc. Ex quo aliqui verisimile putant illud templum habuisse tutelares angelos.*

Singulis etiam hominibus] *Vide* quæ supra dixi. *Basilius* l.3. contra Eunomium, *singulis fidelibus Angelum adesse dicit. Idem, Chrysost.* in Epistola ad Hebræos c.1.

Vetus hoc est Pythagoræ ac Platonis] *Vid. Platon.* in Apologia Socrat. in Politico & in convivio. *Procl.* de animâ & Dæmon. *& Apulei.* de Deo Socratis.

Communem creationem sortiti] *Nam & illi creati sunt, sed quando, non constat. Hinc Origines in proœmio libror.* περὶ ἀρχῶν. Quando, *inquit*, isti creati sunt, & quomodo sint; non satis in manifesto distinguitur. *Vid. & August.* l.11. de Civit. Dei. c.9. *cum notis Ludov. Viv. ubi & Græcor. ac Latinorum Patrum opiniones de hoc videbis. Videatur omnino Gerh. Voss.* l.1. de orig. ac progr. idololatr. c.7. *qui ibi diligenter Græcorum ac Latinorum Patrum opiniones annotavit.*

Manifesta creatorum scala] *Vide Porphyrium* in libro de occasionibus, ad intelligibilia nos ducentibus. *& Dionys. Areopag. vel potius libr. qui illi tribuitur,* de cœlest. Hierarch. c. 3.

Inter hominem & Angelos, etiam maius] *Vide*

Vide Augustin. Expos.in Evangel. Iohann. tract. c.10. de capit. 17.

Cum de eorum naturâ nihil nobis certo constat] *Sed hoc scimus illorum naturam esse bonam & voluntatem rectam. Vide Augustin.* l.11. de Civit. Dei c. 33. *Vide plura apud Maldonat.* in libr. de Angel. c.19.

Cognitionem arbitror extemporaneam] *S. Augustin.* l.2. de Genes. ad liter. c.8. Non sicut pecora solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, si quo sensu tali utuntur: agnoscunt ea potius quæ melius noverunt interius in ipso Dei verbo, à quo illuminantur. Et ipsi Dæmones multa prænoscunt, quæ in hominum sensus venire non possunt. *Vid. eund.* in libr. de divinat. Dæmon. c.5. de præscientia Angelor. Vid. plura apud *eund.* l.11. de Gen. ad liter. c. 17. *Isidorus* de summo bono c.12. Angeli, *inquit*, in verbo Dei cognoscunt omnia antequam in re fiant, & quæ apud homines futura sunt, jam revelante Deo noverunt. *Non tamen illorum cognitio est infinita Nesciunt diem ac horam, qua seculum hoc consummabitur.* *Matth.*24.v.36. *Vide & Helmont.* in libro, Astra necessitant, non inclinant, nec significant.

Per differentias specificas definiri] *Vide Averroëm* in 12. Metaphys.

Habbakkukum] *Vid.* Daniel.14.v.35. in adject. ad Daniel.

Philippum Azotum] Act.8. v.40.

Bona pars sit illis nota] *Omnia quæ hic in terris aguntur, non semper illis innotescunt. Vid.* Gen.19. v.12.

Qui ad invocationem Sanctorum oppugnandam] *Etiamsi illa illis innotescerent, tamen illam invocationem satis damnaret Deus,* Deuteronom. 6.c.13. Matth. 4. v. 10. *& ipse Angelus prohibet hoc Ioanni* Apocal.22.v.8.9. *Vid.* etiam ad

Colosſ. 2. v. 18. *&* *Augustin.* Epist. 49. ad Deo gratias. quæst. 2. *eund.* confeſs. l. 10. cap 42. & in libro de vera Religion. c. 53. Videatur canon. 35. *Syn. Laodic. De illis qui olim angelos inVocarunt*, *Vid. Aug.* hæreſ. 39.

Super uno peccatore reſipiſcente] Luc. 15. v. 3. &c.

Apud magnum illum Patrem] *Augustinum nimirum*, *Vid.* l. 11. de Civit. Dei c. 9 19. & 32. *hæc explicatio multis displicuit, quia ibi apud Moyſem lux à Deo Vocatur Dies.*

Spiritualis ſubſtantia eſt, & fortaſſe angelus] *Dionyſius Vocat angelos*, clariſſima ſpecula lumen Dei ſuſcipientia. *Vid. Rob. Flud* in Hiſtor. microcoſmi tract. 1. ſect. 1. l. 3. c. 3. *&* *Marſil. Ficin.* in lib. de lumine c. 1. & c. 6. & 13.

Sect. XXXIII.

SUnt iſti procul dubio pulcherrima & ſumma divini artificii opera; flores, ſive (ut ita dicam) pars *Nibili* præſtantiſſima. Illud jam ſunt, quod nos ipſos aliquando futuros ſperamus tantum adhuc, & opinamur. Nos amphibium quoddam animal, partim corporeum partim ſpirituale ſumus; † quod naturæ utriuſq; medium Dei & Naturæ methodum contexit, juxta quam non niſi media aliqua intercedente natura extrema coniungi ſolent. Nos Dei ſpiritum eſſe Divinæque naturæ exemplar teſtantur Scripturæ ſacræ. Quod autem microcoſmi, orbisque compendia vocamur, id tantum per lepidum aliquem Rhetoricæ tropum

pum licuisse putarem, donec tantum judicium diligentius, propiorq; experientia, id ita † revera esse docuerant. Primo nihil aliud sumus quam rudis, & indigesta moles, in rerum earum numero, quæ ignavam quandam & torpidam sortitæ essentiam, nondum aut vita præditæ, aut sensu, ratione ve donatæ sunt. Post illa plantarum, deinde animalium, mox hominum vitam vivimus, postremo Spirituum: ita tandem mystica natura nostra quinque illa existentiarum genera percurrentes, non tantum cuncta totius terrarum orbis, sed etiam totius rerum universitatis in nobismetipsis creaturas complectimur. Sic nempe insigne illud sumus & vero nomine amphibium, non tantum ut reliqua animantia in diversis elementis vivere natum, verum etiam in aliis atque aliis mundis; Mundum quidem unicum sensus agnoscit, ratio duos, † visibilem alterum, alterum oculis impervium. Alterum nobis Moses descripsisse videtur, alterum vero ita obscure adumbrasse, ut omnia nondum etiam intellecta sint. † Priora quidem Geneseos capita admodum obscura esse fateor, & quamvis omnia ad literam interpretari, quantum potuit humana ratio, Theologi conati sint; † Probabiles tamen sunt allegoricæ illæ interpretationes, & haud scio an forte mysticæ Mosis methodo magis congruæ, ut cui

† in

† in Hieroglyphicis Ægyptiorum Scholis instituì contigerat.

ANNOTATA
Ad Sect. XXXIII.

Quod naturæ utriusque medium] *Vide Porphyr.* in libro de occasionibus sive causis ad intelligibilia nos ducentibus.

Revera esse docuerant) *Hominem revera esse microcosmum probat* in Histor. microcosm. *Rob. Flud.* Tract. 1. Sect. 1. l. 3. c. 1. & 2. & seq. *& Seneca* l. 3. natural. quæst. c. 15.

Visibilem alterum, alterum oculis impervium) *Platonici duos mundos statuerunt, unum sensibilem, alterum intelligibilem. Vide August. retractat.* l. 1. c. 3. & in libro contra Academicos c. 17.

Priora Genes. capita obscura esse) *Quod August.* in libro de Genes. ad literam imperf. & l. 1. de Gen. ad lit. *fatetur.*

Probabiles sunt allegoricæ interpretationes) *Hinc August.* l. 1. de Genes. ad lit. c. 1. *Multa figuraliter esse accipienda docet. Et utroq; modo nempe secundum allegoricum ac literalem sensum scripturam scrutandam esse.*

In Hieroglyphicis Aegyptiorum scholis) *Vide* Actor. 7. v. 22. *de Aegyptiorum hieroglyphicis Vid. Iambl.* de myster. in capit. Exposit. Symbolor. Aegypt. Theolog. p. 145. edit. Lugdun. *& nuper editum librum Athanasii Kircheri* de Obelisco Pamphiliano. *Vid. & Diodor. Sicul.* l. 1. *Clem. Alexandr.* l. 5. Strom. Omnes, *inquit*, qui de rebus divinis tractarunt, tam barbari quam Græci, rerum quidem principia occultaverunt: veritatem autem ænigmatibus signisque ac symbolis & allegoriis rursus & metaphoris tradiderunt.

runt. *Vid. & Helmont.* in l. de potestat. medicam. n. 62. *Edit. Amsterod. Quod Moyses instructus fuerit omni eiusmodi Aegyptiorum sapientia, testatur Stephanus.* Actor 7. v. 22. *Vid. & Iustinum Martyr.* quæst. 25. ad Orthodoxos.

Sect. XXXIV.

NEc ut † mundum hunc immaterialem investigemus primum mobile nobis petendum erit. Spiritus enim in hac materiali structura libere expatiari possunt, idq; omnibus temporis, loci, & motus legibus perinde absoluti, ac si extrema universitatis mœnia transilierint. Corpulentiam si corporibus demas, aut res ultra materiam primam resolvas, † Angelorum sedes aperies, quas nihil esse aliud quam omnipræsentem Dei essentiam, salva (spero) Theologia dixisse licuerit: † ante mundum enim creatum Deus revera omnia fuit. Non mundum aliquem novum Angelis creavit, nec certos fines incolendos dedit: ubicumque igitur ipsius essentia est, ibi & illi sunt, † inq; ipso locis diversi habitant. Hominibus Deum omnia creasse aliquo quidem modo verum est, nec tamen ita interpretandum, *quasi diviniorum istarum creaturarum creatio † nostra subordinetur*: Utcumque tanquam spiritus ministrantes in inferioribus hisce hominum rebus, quæcunque ille jusserit, volentes & alacres obeant.

eant.

eant. † Deus sua ipsius causa omnia creavit, idque ob aliam causam fecisse non potuit, quam solummodo ad suam ipsius gloriam; hanc unam aliunde accipit, reliqua omnia in seipso complectitur. Cum enim honor foris accedat, in honorante potius, quam honorato positus, aliquid eum creasse oportuit, quod sibi hoc honoris officium præstaret, Angelos nimirum in altero illo mundo, homines in hoc. Hoc quoties negligimus, finis eius, ob quem creati sumus, obliviscimur; facimusq; adeo, ut mundum hunc non tantum creasse Deum pœniteat, verum etiam se non iterum perditurum, jurasse. † Mundum unicum esse ex fide tantum constat, † non Aristotelis Philosophia, nec enim ille hoc, sicut nec eundem æternum esse, satis unquam probare potuit. Antiquiorum Scriptorum calamis multum olim negotii hæc quæstio attulit; donec tandem hæc omnia Moses expediit nova *creationis* voce reperta: quæ nihil aliud significat, quam † ex nihilo aliquid producere. *Nihil* autem illud appello, quod *Alicui* opponitur, sive, ut accuratius dicam, quicquid Deo contrarium est. Ille solum est, reliqua omnia pendentem aliunde essentiam habent, nec in entium numero nisi adhibita distinctione ponenda sunt. Sic itaque & generationem & creationem in contrarietate fundatam videmus,

mus, adeoque Theologiæ Philosophiam consonam. Deus omnia cum sit, *Nihilo* contrarius est, ex quo omnia producta sunt: Sic *Nihil* † *aliquid* factum est, & *Nullitas* ab *Omneitate* informata essentiam induit.

ANNOTATA
Ad Sect. XXXIV.

Mundum hunc immaterialem] *Sed multi ex Patribus putant, nihil præter solum Deum immateriale aut incorporeum dari Tertullianus* in libro adversus Praxean. cap 7. Sed & invisibilia quæcunque sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt. *Hilarius* commentar. in Matth. c. 5. Nihil est quod non in substantia sua & creatione corporeum sit: & omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt. *Vide & angelis & animabus corpus tribuerunt Tertull.* l.1. de carne Christi cap. 6. *August.* de divinat. Dæmon. c. 3. & 5. de Civ. Dei l.21. c.10. *Gregorius* in moralib. l. 2. c.2.

Angelorum sedes] *Augustinus eos in sublimibus cœli sedibus collocat. Tamen Deo coæterni non sunt, sed creati. De illorum loco aut habitatione, Vid. Maldonat.* c.16. in lib. de Angelis. *ubi de hoc prolixè disputat.*

Ante mundum creatum Deus omnia fuit) *Sed fuerunt ne Angeli ante mundum creatum? Una cum mundo creatos fuisse in opinionem illam inclinare videtur Augustinus* l. 11. de Civit. cap. 9. & 32. *Idem docet Ludovicus Vives de Basilio & penè Latinis omnibus, Ambrosio, Beda, Cassiodoro. Vid. Theodoret.* in Genes. quæst. 3. *& Epiphanium* hæres. 65. *Sed plurimos*

Græ-

Græcos Patres statuisse eos ante mundum fuisse creatos docet Vossius l.1. c.7. de orig. ac progr. idolol. *Vide & Maldonat.* de Angel. c. 3. *ubi ferme omnium Patrum opiniones congessit.*

Inque ipso locis diversi habitant] *Vide August.* l. 8. de Genes. ad liter. c. 24.

Nostræ subordinetur] *Nam illorum natura multo præstantior nostra est. Omnis enim natura corporea illis subdita est. Vid. Augustin.* l. 8. de Gen. ad liter. c.23.

Vtcumque tanquam spiritus in hominum rebus] *Sunt qui ad probandum, eos simul cum orbe condito creatos esse, statuunt hominum causa creatos. Vid. Maldonat.* in Tract. de Angel. c. 3. & plura apud Scholasticos.

Deus sua ipsius causa omnia creavit] *Vid.* lib. de diligendo Deo, exstat tomo 9. oper. Aug. c.2. & 3.

Mundum unicum ex fide tantum constat] *Vid. August.* l. 3. contra Academicos c. 10. *Stoici etiam docuerunt unicum esse mundum: Idem Plato* in Timæo. *Plures Metrodorus Vid. Plutarch.* lib.1. c.5. de Placit. Philosoph. *Idem Democrit. & Epicur. Vid.* ibid. l.2. *Vid. & August.* in lib. de vera religione c. 49. *Vnum solum esse mundum probat Cartesius* part.2. princ. Philosoph. cap. 22. *Nam omnes mundi constarent ex una eademque materia: sequitur inde unum tantum mundum esse posse; materia enim illa (cuius natura solum in hoc consistit, quod sit substantia extensa) omnia illa spatia, in quibus alii mundi esse deberent, occuparet.*

Non Aristotelis Philosophia] *Docet tamen ille* l.1. de cœlo cap.8. & 9. *plures haud esse mundos. Sed Auctor argumenta eius parum solida censet.*

Ex nihilo aliquid producere] *Hermogenes Hæreticus materiam aliquam Deo coæternam statuit, ex qua omnia condita. contra illum Tertull: integrum librum scripsit, quem vid.* c. 2 & 3.

Aliquid factum est] *Putant enim multi; aliquid esse nihil, quod S. Augustinus refellit.*

Sect. XXXV.

TOta quidem creatio, seorsim vero † hominis illa, mysterium est. Reliqua omnia solo oris eius spiritu creata sunt, & ad vocis eius imperium ex nihilo emicuerunt: In homine vero fabricando (quemadmodum rem textus ordine exponit) artificem sensibilem egit; † nec tam creasse hominem: quam fecisse visus est. Cæterorum materiam simul ac seposuerat, ultro forma aut anima accessit. Cum vero jam hominis structuram ædificarat, † alia adhuc & difficilior restabat creatio; substantiæ nimirum sibi ipsi similis, incorruptibilis & immortalis animæ. Duas enim proprietates istas ex Philosophia docemur, † Platone quidem diserte affirmante, nec negante Aristotele. Iniicitur etjam Theologiæ alius quidam † de productione eius scrupulus, isq; in Germanis auditoriis non mediocri disceptatione agitatus, ea tamen argumentorum paritate & indifferentia, ut nihil dum de controversia statutum sit. Paracelso nequaquam assentior.

O † qui

† qui rationem hominis citra coniunctionem faciendi fidenter præſcribit : nec tamen iſtos ſatis mirari queo, qui ex traduce animam generari tam pertinaciter negant; cum nullum aliud illis argumentum ſuppetat, quo fidem ſuam ſuffulciant, quam antimetatheſis illa, & † rhetorica Auguſtini ſententia, *Creando infunditur, infundendo creatur.* Utravis opinio ſatis cum religione congruit, & ad hanc equidem promptius accederem, niſi obiectiuncula quædam uſque moraretur, non illa quidem ex aliqua ſpeculationum ſubtilitate, ſed ſenſu communi, rerumq; obſervatione profecta, non ex Autoris alicuius foliis lecta, ſed quæ mihi inter erraticas cerebri herbas, & zizania ſubierat. Dico autem æquivocas illas, & prodigioſas monſtrorum productiones, quæ † ex hominum copulatione cum beſtiis accidunt: niſi enim hic anima humana cum ſemine genitoris transmittatur, unde factum eſt, ut, quæ hinc naſcuntur, non beſtiæ meræ ſint, ſed impreſſionem quandam & tincturam rationis habeant, quanta quidem in organis tam ineptis ſe valeat exerere? Nec ſane concedendum videtur, animam dum hic agit undiquaque inorganicam eſſe, ſed ad ordinarias actiones eius exequendas opus eſſe, non tantum ſymmetria quadam & commoda organorum diſpoſitione, † ſed etiam craſi & temperie

perie operationibus idonea: Non ita tamen quasi hæc carnis moles, visibilisque structura instrumentum sit, & † corpus animæ proprium, sed sensus potius, id est, manus rationis. In studiis nostris anatomicis multa & mystica philosophandi materies occurrit, qualis ipsos quidem Ethnicos ad Theologiam manuduxit: nec tamen inter plurima illa & insignia documenta, quæ in humana fabrica aperimus, quicquam mihi perinde placet, ac quod nullum organum, nullum instrumentum animæ rationalis appareat. In cerebro ipso, quam sedem rationis dicimus, nihilomnino brutorum craniis dissimile reperio; argumentum sane non contemnendum, animam † eo sensu, quo vulgo interpretamur, organicam non esse. Sic est profecto; homines nos esse scimus, quo verò pacto, ignoramus. Est in nobis nescio quid, † quod extra nos esse potest, quodque post nos supererit: mirum vero, aut quid ante fuerit, † aut quomodo intrarit nos, id nulla historia declarari.

ANNOTATA Ad Sect. XXXV.

Hominis illa, mysterium est] *Vide* Tractat. de creatione primi hominis. exstat in oper. August, Tom. 9.

Nec tam creasse hominem, quam fecisse]

Sed exinde non patet, hominem præcipuum Dei opus esse. Hinc Augustinus l. 6. de Genes. ad liter. c.12. Nec illud, *inquit*, audiendum est, quod nonnulli putant, ideò præcipuum Dei opus esse hominem, quia cætera dixit & facta sunt. Hunc autem & ipse fecit: sed ideò, quia hunc ad imaginem suam fecit. *Pergit* c. eod. Scriptum est; Et finxit Deus de terra omnes bestias. Sic enim & hominem de terra, & bestias de terra ipse formavit, quid habet homo excellentius in hac re, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est.

Alia difficilior creatio, substantiæ sibi similis] *Vide* Gen.2. v.7. *& August.* in libr. de animæ immortalit.

Platone diserte affirmante] In Phædone, Phædro, Timæo, de Republ. *& passim. Vide & Porphyr.* l. 1. de abstinent. animal. *& illa Marsilii Ficini* Excerpta ex Græcis Procli commentaris in Alcibiadem Platonis primum, cui titulum dedit; de anima & Dæmonibus.

Nec Aristotele negante] *Vid. Arist.* libr. quos de anima scripsit, nimirum l. 2. text. 4. & text. 19. & 21. & 2. de generat. animal. c.3. *dicit, solam mentem extrinsecus advenire, divinam esse solam, neque cum eius actione actionem corporis ullam habere communionem.*

De productione eius scrupulus] *Vtrum anima sit ex traduce, an ex infusione, magna est in scholis disputatio. Illam non produci à virtute seminis, sed creando infundi, infundendo creari, statuit Tolet.* in libr. 3. Aristot. de anima cap.5. quæst. 17. *idem sentit Burgesdicius* in colleg. Phys. disputat. 29. *Idem Augustinus* in libr. de quæstion. veter. ac nov. testam. quæst. 23. & in Epistol. 7. quæ est ad Marcellinum *& Hieron.* l. 2. contra Ruffin. & ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani. *Plotinus aliiq; Platonici censuerunt; etiam animas ex cælo supremo*

premo immitti in corpora. De quo Vid. Gerhard. Voss. l. 2. de orig. ac progr idololatr. c. 34. *Alii eam à patribus produci censent. Keckermannus* l. 4. Syst. Phys. c. 1. *has opiniones conciliare nititur. Utrumq; sine peccato posse statui censeo. Hinc Augustin.* l. 1. retract. c. 1. *dicit, se originem animæ ignorare. Nec illi, qui animam creando infundi docent, ita solidis argumentis utuntur ut diversa sentientes in suas partes trahere nitantur. Nam forsan si ita esset, anima nihil magis amaret ex hospitio corporis iterum in locum unde venit volare, sed contrarium videmus; nec aliquid figura atq; intellectu homini simile ex commixtionibus hominum cum bestiis produci posset: quod tamen factum esse probant historiæ.*

Qui rationem hominis citra conjunctionem faciendi præscribit] *Similes nugas interdum docuit Paracelsus, quas ipse Helmontius non semel perstringit; & refellit illas Conringius* de Hermet. Medic. c. 22. & c. 23. *Avicenna* in libr. de Diluvio *arbitratur, post diluvia non humano semine, sed ex cadaveribus cœlesti solum operante influxu hominem esse generatum. Sed hæc ridicula sunt: tamen insecta ex terræ visceribus aqua madefactis generari non est dubium; quod Diod. Sicul.* l. 1. *de muribus in Ægypto testatur.*

Rhetorica Augustini sententia] *Non solum ex rhetorica illa Augustini, sed & expressa eius sententia. nam satis expresse in multis libris animam infundi docet:* in libro de Ecclesiast. dogmatibus c. 18. *ita*: Anima humana, non cum carne moritur, quia non cum carne, ut superius diximus seminatur, sed formato in ventre matris corpore Dei judicio creatur & infunditur. Et in tract. qu. vet. ac nov test. quæst. 23 *non utitur levibus argumentis ad probandum, animam infundi*

Propheta, *inquit*, Zacharias (12. v. 1.) inter cætera: Qui plasmavit, inquit hominis animam in eum, nec Esaias (44. v. 24.) ab his dissentiens; sic dicit Dominus Deus, qui fecit te, & finxit te in utero. Si ergo in utero fingitur, jam formato corpori tribuitur. *ibid. dicit:* Quod quidem Moyses manifestius tradidit dicens: Si quis percusserit mulierem in utero habentem, & abortiverit: si forma tum fuerit, det animam pro anima. Itaque si jam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. *Hæc Augustinus. Vide plura* ibid. & in libris 4. quos scripsit, de anima & eius origine. *Sed* in libro retractat. & l. 10. de Genes. ad literam c. 22. *censet, animæ originem esse dubiam & incertam.*

Ex hominum copulatione cum bestiis accidunt] *Vid. Ioann. Baptist. Portam* l. 2. Magiæ Natural. c. 12. *ubi ex Plutarcho, Aeliano & Plinio, nonnulla exempla apponit, ex eiusmodi copulatione infantes fuisse natos. Idem adhuc fieri in China atque India, testantur relationes.*

Sed etiam crasi & temperie operationibus idonea] *Hinc Plato* in Phædone: Ea est animi & corporis coniunctio, ut quamdiu animus in corpore est, corporeorum sensuum & instrumentum ministerio agat.

Corpus animæ proprium] *Nam secundum Platonem* in Phædro: animus è corporeis sensibus se subducere potest, & apud se esse, ac tum pura, simplicique intellectione intelligere: *Plura eiusmodi habent omnes Platonici.*

Eo sensu, quo vulgo interpretantur, organicam non esse] *Multa quidem de his in scholis disputantur, sed si verum fateri licet, nos in doctrina de anima planè cacutimus.*

Quod extra nos esse potest, quodque post nos supererit] *Vide Porphyr.* in libr. de occasionibus

nibus ab intelligib. nos ducent. c. de natura & alligatione & solutione animæ p. 282. *Vid. & Proclum.* de Anima & Dæmonibus, *vel potius* Excerpta *Marsilii Ficini* ex Procli commentariis in Platonis Alcibiadem, *& Senec.* epist. 65.

Sect. XXXVI.

HÆc autem carnis compages, qua ante resurrectionem anima nostra quasi muris concluditur, nihil aliud est, quam elementaris fabrica in cineres facile collapsura. † *Gramen esse omnem carnem*, non tantum metaphoræ beneficio verum est, sed ad literam etiam. Hæc omnia quicquid uspiam animantium vides, nihil aliud sunt quam campi gramina ad carnem concocta; in illis quidem crassius, in nobis aliquanto purius. Immo à quibus omnes tantopere abhorremus, † ipsi Anthropophagi sumus, non homines tantum, † sed & nos ipsos devorare soliti, idque vero nomine, non more allegorico: Hoc quicquid est quod intueris corpusculi, per os intravit; hæc olim carnis fabrica in quadra jacuit, ipsi denique nos ipsos devoravimus. Non opinor sapientem illum Pythagoram † per metempsychosin ita proprie dictam, impossibilem humanæ animæ in bruta corpora transmigrationem voluisse. Solam ex reliquis omnibus † Loti uxo-

ris metamorphosin veram fuisse credo? Nam † Nebucatnezaris illa non eo usque progressa est. In cæteris simplicitam tantum & moralem veritatem agnosco. Totam bestiæ fabricam interire credo, nec aliam ab interitu conditionem sortiri, quam in qua ante donatam vitam fuerat: animas vero humanas & contrarii & † corruptionis expertes corpori superstites esse, & ex naturæ suæ privilegio citra miraculi beneficium supremo superesse funeri: Fidelium animas statim à relictis terris cœlestes beatorum sedes occupare: Manes illos & fabulas, † non vagabundas esse defunctorum animas, sed dæmonum ipsorum irrequietos errores, nos ad maleficia, homicidia, & scelera incitantium, suggerentiumq; incautis animis, Spiritus illos beatos nullam in sepulchris tranquillitatem adeptos de rebus adhuc mundanis sollicitos huc illuc errare. Nec raro quidem apparent eiusmodi spectra, templa & cœmeteria frequentare solita. Hæc enim vita functorum dormitoria sunt, hic Diabolus, tantum, victor superbus & insolens victoriæ suæ olim in Adamo partæ trophæa ista & spolia contemplari gaudet.

ANNOTATA
Ad Sect. XXXVI.

Gramen esse omnem carnem] *Gramen enim nutritur, crescit ac tandem marcescit & putrescit.* Ipsi

Ipsi Anthropophagi sumus] *Vt Embryones in utero matris: nam mater ex proprio corpore nutrimentum illis præbet. nutriuntur etiam postea ex utero matris egressi lacte fœminino.*

Sed & nos ipsos devorare soliti] *Nam mæsti & invidi proprium cor comedere dicuntur.*

Per metempsychosin ita propriè dictam] *Vide quæ supra dixi, & id quod de eo tradit Plutarchus* in tractat. de Homero.

Loti uxoris] Gen.19.v.26.

Nebucadnezaris] Daniel.4.v.30.

Corruptionis expertes] *Vid. omninò Platonem* in Phædone & *Cicero* l. 1. Tusculan. Nihil est, *inquit*, in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil aut humidum, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt. nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi à Deo. *Et* ibid. Quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit necesse est.

Non vagabundas esse defunctorum animas] *Chrysostomus* in Homil.29. in Matth. Sed cur nam in sepulchris versantur Dæmones? quia videlicet pernitiosam opinionem hominibus ingerere conantur, quod hominum, qui obierunt, animæ, dæmones fiant, & ibid. Non anima defuncti est (*agit ibi de clamoribus Dæmoniacis*) quæ dicit, anima talis ego sum. Sed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, fingit. & *iterum*. Nec enim, *inquit*, potest anima à corpore separata in his regionibus errare: justorum animæ enim in manu Dei sunt: Peccatorum verò post hunc exitum continuo abducuntur, quod à Lazaro &

divite planum efficitur. *Et postea ex multis scripturæ locis probat, animam, quum à corpore abscesserit hic oberrare haud posse. Vid. & Augustin.* c. 10. 16. & seq. de Cura pro mortuis. *Ex quibus patet, quid apparitionibus illis, quibus Pontificii purgatorium suum probare laborant, tribuendum sit, & quid existimandum de liberatione Traiani ex inferis, precibus Gregorii: cum ex inferis, teste scriptura, nulla sit redemptio.*

Sect. XXXVII.

HÆc est feralis illa, quam adhuc ploramus, victoria; hinc est, quod toties miseri ingemiscimus, O *quid fecisti Adame!* Non iis nexibus mundo alligor, atque hoc nomine Deo gratias agere soleo, non iis vinculis ei astringor, quæ vel vitæ cupidiorem reddant, vel ad terribile mortis nomen exaniment. Nec hoc adeo ex eo fit, quasi horroris eius sensu caream, quasi jam mortuorum viscera toties pertrectando, toties anatomias & sceleta, cæterasque id genus cadaverosas reliquias inspiciendo, animum mihi † torpore quodam stupidum reddiderim; &, quod pollinctoribus vespillonibusque accidit, mortalis conditionis immemorem: sed quod terrores eius omnes serio meditans, & gravissima quæq; animo percurrens, nihil plane reperiam, † quod homini, nedum cordato † fortique Christiano, animos deiiciat. Et propterea

nec

nec primorum parentum errori ſuccenſeo, nec aut fatum illud commune communiter ferre indignor, aut cum fortiſſimis mori, id eſt, parumper ſpirare deſinere, elementis valedicere, & ad momentum temporis quodammodo nihil eſſe, ut continuo Spiritus exiſtam. Quoties conditionis meæ diligentius rationem in eo, nec interim juſtam illam omnium moderatricem, æquisſimam juſtitiæ partem, mortem cogito, nihil uſpiam me uno miſerius videtur. Mundi iſtius nugæ, & ineptiæ non univerſæ impetrarint, ut unius adhuc momenti vitales auras caperem, † niſi vitam aliam ſperarem: numquam me moriturum eſſe ſi Diabolus perſuadere poſſet, ne iſti quidem momento ſupereſſem: vulgarem hunc exiſtendi modum, clientelam iſtam Solis & elementorum, tam humilem tam vilem exiſtimo, ut hoc ne hominem quidem eſſe judicem, ſaltem hoc modo minime vivi, prout humana natura dignum eſt. Meliorem itaque dum ſpero, hanc vitam æquo animo amplector, ſæpius interim melioribus cogitationibus mortem contemnens, omnesq; qui mecum contemnunt, honore proſequens: nec ſane magni eum facio, quicunque reformidet. Hinc milites omnes ultro amplector, pannoſumque illum & deſpicabilem numerum colo & diligo, qui † jubente decurione aliquo non mori recu-

recuſet. Ethnico, ſi mortem trepidet, ignoſci poteſt: † at Chriſtianus quicunque hic expaveſcit, in hoc dilemma neceſſario incidit: Aut nimio hujus vitæ deſiderio tenetur, aut ſpe futuræ deſtituitur.

ANNOTATA
Ad Sect. XXXVII.

Torpore quodam ſtupidum reddiderim] *Si Machiavellus putat, viſas illas frequenter belluarum pugnas in theatris ferociores Romanos, & ad omnia mortis pericula ſubeunda promptos reddidiſſe.*

Quod homini] *Miſer enim nihil magis, quam mortem plerumque optat. Vindicta jucundior eſt ipſa vita, amor eam ſpernit. Ignominiæ odiũ eam ultrò provocat, gloriæ aucupatio eam ſpontè quærit, & amplectitur. afflictio ad eam confugit. metus eam ſæpe accelerat. pudor anticipat, ut videmus in Aiace, apud Sophoclem, pudore eorum quæ per inſaniam commiſerat, ſeipſum interficiente. Multa idcò nobiſcum habemus, quæ in certamine mortem ſuperare ac de ea triumphare valent. Nam mens in aliquod bonum aut malum fixa à doloribus mortis ſe ſubducit. Hinc Seneca in Ep.* 4. Non vides quam ex frivolis cauſis mors contemnatur. Alius ante amicæ fores laqueo pependit: alius ſe præcipitavit è tecto, ne dominum ſtomachantem diutius audiret; alius ne reduceretur è fuga ferrum adegit in viſcera. *Quam parvi Ethnici fecerint eam, vid. Senec.* de Brevit. vit. c. 3. *& Ciceron.* l. 1. Tuſculan. quæſt. *de Socrate mortem contemnente, vid.* ibid. & in Apolog Socrat. *apud Platon. & Xenophont. ut & ea quæ ſupra dixi* ad Sect. 25. *Hinc Demoſthenes, ut prodit Stobæus,*

laeus, Philippo capitale supplicium minanti respondit, & si hoc feceris Patria immortalitate donabit: *& Theodorus Cyrenaeus Philosophus, qui, ut tradit Cicero* l. 1. Tuscul. quaest. Lysimacho Regi crucem minanti respondit: ista, *inquit*, quaeso horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humi ne an sublime putrescat. *Hinc multi aerumnis aut adversa valetudine conflictati, mortem pro liberatione reputantes, se ipsos vita privarunt. De Corellio Rufo propter valetudinem sponte decedente, vid. Plin.* l. 1. Ep. 12. *De Silio Italico propter eandem causam decedente, vid. eund.* l. 3. Epist. 7. *De Arria, vide* l. 3. Epist. 16. *De Fabio Maximo vid. Tacit.* l. 1. Annal. *De Silano*, l. 12. Annal. *De Pomponio Attico vid. Cornel. Nep.* in vita Attici. *Idem fecit Cato Uticensis quod nollet Caesari victori parere, Vid. Plutarch.* in vita Caton. *Appian.* l. 2. de Bello civil. *Hirt.* l. 5. *Val. Max.* l. 3. c 2. *Sunt adhuc inter Indos qui sectam Pythagorae profitentur, appellantur ibi Rasbutae: illorum uxores post obitum Maritorum sponte se in rogum conjiciunt, ut simul cum maritis igne consumantur. Quod testatur Mandeslovius* in Epistola illa, quam ex Insula Madegascar ad Olearium scripsit.

Fortique Christiano] *Si ipsi Ethnici philosophantes solum, mortem non esse malum. vide Cicer.* l. 1. Tuscul. quaest. *de immortalitate vero animae dubitantes, aut illam plane non agnoscentes, ambitione, aut aerumnis, aut adversa valetudine aut pudore adducti, mortem non solum contempserunt, sed & saepe anticiparunt; nihil est causae forti Christiano, cur illam non contemnat: quia* nobis est haereditas in altera vita, quae neque corrumpi, neque contaminari, neque marcescere potest. quia scimus nos ibi habituros coronam incorru-

corruptam. 1.Cor. 9. v. 25. quia ibi reformabitur corpus humilitatis nostræ;ac configurabitur corpori charitatis suæ Phil.3.v.21. quia ibi nostra immortalitas adhuc erit absolutior quam Adami in Paradiso fuit, *Vid. August.* de Civit. Dei l. 13. c. 22. & l. ult. c. ult *Placet mihi illud, quod de Alphonso Aragoniæ Rege, Panormitanus* de rebus ab ipso gestis *prodit: nimirum illum visitaße ægrotantem Gabrielem Surranum suavissimum adolescentem, viq; à nullo magis quam à morte abhorrente dixisse:* hoc quod times est benè viventibus vita, & ejus vitæ principium, ubi neque dolori, neque metui, neque invidiæ, neque calamitatibus locus. *Cum similia ferè legeret Cleombrotus Ambraciota in Platonis* Phædone, *è muro se in mare abiecit. Vid. Cicer.* l. 1. Tuscul. *Hinc Hieronymus* in Epistol. 25. *eum vocat stultæ Philosophiæ Martyrem. Prudenter Plato de immortalitate animæ* in Phædro, in Timæo, in Philebo & alibi ac præsertim in Phædone, *philosophatur, ubi Phædonem, Socratis sermones eo die, quo venenum hauserat, de immortalitate animæ habitos narrantem Echerati introducit, & ex Socratis ore pulcherrimè ho: esse verum, & mortem propter hoc minimè pertimescendam, docet.* Nulli potest secura vita contingere qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. *Senec.* in Epist. 4.

Nisi vitam aliam sperarem] *Nemo enim sibi ipsi, sine manifestissimo æterni interitus periculo, mortem consciscere potest. Rempublicam tamen Venetam dicunt; iuramento nautas obstringere; ut navem quam regunt potius accendant, ipsiq; pereant, quam illam in Turcarum manus pervenire sinant. Pater Caussinus* in tractatu Gallico cui titulus, la Cour sainte, *censet olim etiam Iudæis propter similes causas licitum fuisse,*

fuisse, seipsos interimere. Apud Romanos capite plectebatur, qui etiam morte non subsecuta seipsum vulnerasset: nisi impatientia doloris, aut tadio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore fecisset, Vide l. omne 6. §. 6. qui se vulneraverit. ff. de re milit. *pœnam seipsum occidentis vide &* in der Peinl. Halsgerichts Ordnung Caroli V. art. 135. & l. 38. ult. ff. de pœnis. *Optimè Cicero* in somnio Scipion. Tibi, *inquit*, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse videamini. *Idem docet* l. 1. Tusculan.

Iubente decurione non mori recuset) *Ethnicos olim mortem, etiamsi anima haud esset immortalis, pro re tamen minimè mala habentes; illam ut nomen suum eius contemptu immortalitati consecrare possent, strenuè contempsisse, non aque mirum est, atq; hoc; quod milites nostros gregarios ab hac philosophia alienissimos, videmus tantillo, quo conducuntur, stipendio non solum mortem, sed summas etiam miserias tam alacriter mercari: nam in bello mutili redditi, ostiatim postea stipem quarere & Eleemosynis utcunq; vitam tolerare coguntur. Si ita pro Deo ac patria agerent, nunquam satis laudari possent: sed cum plerumq; sine aliqua gravi causa hac vita pericula miseriasq; subire videantur, dubitari potest, utrum hoc ipso tam magnum cultum amoremq; moraliter mereantur. Quod tamen aliis disputandum relinquo. Interim negari non debet, eiusmodi stultitiam esse in civilibus rebus utilissimam.*

At Christianus quicunque hic expavescit) Vide ad Roman. 8. v. 23. & 24.

Sect. XXXIIX.

ADamum statim atque crearetur † triginta annos natum fuisse, statuunt nonnulli Theologi, justa enim ætate virilique statura creatum esse. Enimvero in ætate etiam nostra computanda aberramus omnes; fugiuntque nos menses aliquot, quos accensuisse oportuit. Sumus enim, vivimus & movemur, elementorum imperium sentimus, & morborum improbitati obnoxii sumus in mundo illo altero, in microcosmo illo verissimo, matris utero. Nam præter communem eam existentiam, quam, dum nos chaos adhuc nostrum habet, dum adhuc in causarum gremio dormitur, habere credimur, in tribus diversis mundis essentiam sortimur, in singulis quasi gradatim progredientes. In orbe illo obscuro, matris utero, † breviculum nobis ævum est, ad Lunam computatum: ita tamen, † ut brevior sit complurium animantium ætas, quæ Solem visunt: hic vita, sensibus, & ratione non caremus, quamvis hæc omnia ad actiones suas edendas objecta adhuc commoda & idonea expectent; & solummodo quasi in radice sua, anima nempe vegetativa, vivere videantur. Post hæc in huius mundi scenam prodimus, erigimur, & in aliam propè creaturam migrare videmur: ratione homines

uti-

utimur, illam divinæ auræ particulam aliquatenus manifestantes, nondum autem perfecte & complete, donec tandem hanc secundinam nostram, carnisq; exuvias deponere contingat, donec in mundum ultimum, in loca, † quæ Paulus effari non potuit, in proprias Angelorum sedes transmittamur. Quædam † de Lapide Alchymistico scire contigit: (qui quidem amplius quiddam est, † quam sola perfecta auri exaltatio) Quæ res mihi plurima etiam ad Theologiam adiecit: Hinc doceor quo pacto incorruptibilis ille spiritus, immortalis animæ substantia, latitare quodammodo in hoc carnis domicilio & obdormire possit. † Mirandæ illæ & mysticæ bombycum transmigrationes sæpè mihi Philosophiam Theologia commutarunt; habent profecto in se huiusmodi naturæ opera divinum quiddam & arcanum, in quo frustra exercetur ratio, ad quod lippiunt vulgarium spectatorum oculi.

ANNOTATA
Ad Sect. XXXIIX.

Triginta annos natum fuisse) *Vid. Augustin.* l. 6. de Genes. ad liter. c. 13. *ubi disputat, qua ætate aut statura conditus fuerit Adam. Et putat eum illud tantum proprium habuisse, quod non ex parentibus natus sit, sed factus ex terra: eo tamen modo, ut in hoc perficiendo & per ætates augendo hi temporum numeri complerentur,*

quos naturæ humani generis attributos videmus.

Bræviculum nobis ævum est] *Interdum solum septem mensium, vid.* l. septimo mense 12. ff. de statu homin. *dicit in illa lege Paulus, id propter auctoritatem Hippocratis fuisse receptum. vid. Hippocrat.* in l. de septim. part. *Antiquos verò Romanos eiusmodi partus non recepisse prodit A. gellius* N. A. lib. 3. c. 16 *Hippocrates intelligit menses lunares, vel synodicos, non vulgares, aut periodicos. quænam inter illos differentia, vid. Voss.* l. 2. de orig. ác progress. idolol. c. 19. *Et Andr. Argol.* Pandosion Sphæric. c. 49. *& Laurent. Ramiretz. de Prado* in pentecontarch. c. 3. *Nonnulli octo menses in utero matris commorantur. vid. Plin* l. 7. c. 5. *ubi probat id contra priscorum opiniones. Alii usq; ad initia decimi undecimi'q; mensis. vid. Plin.* ibid. *Censorinus scribit* c. 8. de die Natali, *quod Chaldæi arbitrati sint, septimo mense, & nono & decimo tantummodo nasci homines. Idem* in c. 9. *Pythagoram dixisse, partus esse genera duo, alterum septem mensium, alterum decem. Quod decem menses ibi hospitium habere posit, probat Iustinianus* in l. ult. C. de posthum. hæred. instituend. Vid. & l. 29. ff. de lib. & posth. *Vid. & Plaut.* in Cistellar. act. 1. sc. 3. *& Terent.* Andr. *Imò & undecim, quanquam id neget Vipianus* l 3. §. 11. ff. de suis & legit. *Secundum Plin.* dicto libro ac capite *tredecimestris partus à Papirio Pratore pro legitimo habitus est.*

Vt brevior sit complurium animantium ætas] *Ephemerus uno die secundum Aelianum vita cursum conficit. Bombycum vita brevissima est. de araneæ vita vid. Plin.* l. 11. cap. 24. *Sic & multæ plantæ annuam solum habent vitam. Vid. Arist.* in libr. de long. & brev. vitæ c. 1. *In maribus breves vitæ sunt & ostracea & mollia,*

plera-

pleraq; insectorum annua. ibid. c. 4. *In Culicum genere muliones non amplius uno die vivunt. Plin.* l. 30. c. 16.

Quæ Paulus effari non potuit] Vid. 2. Corinth. 12. v. 2. &c.

De Lapide Alchymistico] *De hoc lapide multi multa gloriantur ac scribunt. Vid. Raimund. Lullum. Geber.* in tractat. de metallor. investigat. & perfect. *Roger. Bacon.* de arte Chemiæ & in specul. Alchemiæ. *Bernh. Trevis.* de Chem. miraculo. *& Anonym.* qui de magni lapidis compositione *scripsit, quem in Anglia ante aliquot annos legi. Theophrast.* in operibus medicor. chymicis, *multis de eo agit: sed omnes adeo obscurè, ut: qui ex illorum præceptis hunc lapidem conficere tentarunt, non solum oleum & operam perdiderint, sed magna auri summa plerumque in cassum consumpta, tandem omnibus se irridiculum fecerint. Hinc multi censent, hanc artem nihil aliud quam fraudem atque imposturam esse: nam circumforaneos illos qui hoc nobilissimum secretum venditant, nihil aliud agere, quam Principibus, subtilissimis dolis ac technis glaucoma objicere, eosq; strenuè auro & argento emungere, docet experientia. Fuit mihi Florentiæ relatum, magnum Hetruriæ ducem, sæpius ab eiusmodi hominibus deceptum, hoc tandem didicisse, neminem debere iis fidem habere. Et credo ego, omnes illos, qui tam magno studio & opera in aulas involant, & in Principum gratiam, hoc secretum jactando, se insinuare laborant, eiusdem esse imperitissimos. Hoc enim si tenerent, nonne maiori ipsis delectationi esse posset, quam omnium Principum fragilis fucataq; gratia? Sed alio commento & arte utuntur: dicunt sibi solum opus esse pecunia ad perficiendum id quod promittunt. Quasi verò aurum hic vel argentum, & non potius maxi-*

mus labor ac scientia requirerentur. Hæc fraus non solum in nostra Europa, sed & apud Chinenses committitur. Nam strenuè ibi Magnatum crumenæ ab eiusmodi impostoribus emunguntur. Vide Trigaut. de expedit. Christ. apud Sinas l. 1. c. 9. *Arbitror nihilominus ignobile metallum in nobilius posse transmutari. Nec id Turnheuseri clavus, quem ter Florentiæ inter alia Magni Ducis admiranda vidi, mihi prolat; nec nimium tribuam Tassanio; qui* in libro, quem Italico idiomate scripsit hoc titulo, varii pensieri. l. 10. c. 26. *testatur, se vidisse laminam argenteam, quam oculatus quidam testis ex argento vivo fuisse confectam affirmavit: Sed fido Ioann. Bapt. Helmontio, viro Philosophiæ ac Chimiæ peritissimo, qui non ita potuit decipi aut illudi, nec, quo erat candore, ipse alios ita decipere sustinuisset. Scribit ille* in libro de arbore vitæ, *unius vesperæ amicum sibi dedisse semigranum istius pulveris, & inde uncias* 9. & $\frac{3}{4}$. *argenti vivi transmutatas esse. Tradit in principio istius libri, se diversis temporibus* unius grani pulveris proiectionem fecisse super aliquot mille grana argenti vivi, & præsentibus multis, cum omnium admiratione negotium successisse. *Idem prodit*, in libro de vita æterna, *quod etiam filius eius mihi confirmavit. Alius se obtulit Augusto Saxoniæ Electori, & ad probandam artem manifestè aurum & argentum confecit, promisitq; carceri iussu Electoris inclusus, tantum illi aurum confecturum quantum iuberet, modo dimitteretur, nec ad docendum secretum cogeretur. Hoc quod scribo habeo à fide dignissimo Principe.*

Quam sola perfecta auri exaltatio] *Vide Helmont.* in libro de arbore vitæ.

Mirandæ & Mysticæ bombycum transmigrationem] *Vid. Petr. Laurenberg.* in Acerra Philolog. centur. 3. num. 72. *Antiquis parum de hu-*

ver-

Vermibus innotuit, ut constat ex Aristot. l. 5. Hist. anim. c. 19. *Pausania* l. 6. *Plin.* l. 11. c. 22. & 23. *Quod hic* initio d. cap. 22. *de bombycibus Assyriæ tradit, nihil commune cum nostris habet. Putat ergo duplex bombycum genus in Assyria inveniri, & primam speciem ceras facere. Sed quod postea de altera specie, ut & Aristotel.* dicto libro ac cap. *tradidit, satis benè cum nostris convenit: multa tamen non tetigerunt.* Horum origo est, (*inquit Plinius ex Aristotele*) è grandiore vermiculo gemina protendens sui generis cornua. Hi erucæ sunt. fit deinde, quod vocatur Bombylius: ex eo necydalus, ex hoc in sex mensibus Bombyx. *Idem, sed adhuc clarius, scribit* supra citato libro *Aristoteles, & hac omnia satis cum nostris conveniunt, sed nonnulla adiungere debuissent: illum nimirum vermiculum esse album, alatum, haud tamen volare. Nec addunt quod inter illos vermiculos sit mas ac fœmina; quod coëant; quod tunc haud edant, sed solo aëre vivant per multas septimanas: quod fœminæ pariant illa ova, ex quibus ineunte vere, cum locis mediocriter calidis ponantur, excluduntur illæ erucæ, quæ mox foliis mori pascuntur: Et quod postea evadant in bombycem. Omittunt quod illi bombyces telas involvant & instar ovi columbæ rotundas reddant, illisq; seipsos, ut nido volubili, includant; quod tunc formam ac vires intus perdant, tandem pellem deponant, telas perforent, è nidis exeant; & quod tunc eiusmodi vermiculi alati gemina protendentes cornua (quod & illi sciverunt) facti sint. Illud quod Plin.* lib. 11. c. 23. *de Bombycibus in insula Cò, & Pausanias* l. 6. *de Bombycibus Serum, scribunt, aut commenta sunt, aut oportet illos planè à nostris diversos fuisse, quod tamen vix verisimile. Secundum Iornandem sunt Seres accolæ littoris Caspii maris: Inter Scythas Asiaticos eos ponit Plin.*

l. 6. c. 17. *Pausanias tamen dicit* dicto libro, *Seriam esse Insulam & sitam in recessu rubri maris: Sed hoc falsum esse non est dubium. Alii putant Seres esse Chinenses. Quicquid sit, hoc verum est, insulas in mari rubro, provincias ad maris Caspii littora, Scythiam Asiaticam & ipsam Chinam satis nunc innotuisse; nullum tamen scripsisse de Bombycibus, qui (ut Pausanias prodit)* sub arboribus textile faciant; qui annos fermè quatuor punico alantur, quibus demum quinto, neque enim longior contingit vita, viridis apponatur arundo, quo pabulo maximè delectentur, eoque saginati rumpantur, & quod inde è visceribus staminum volumina educantur. *Sunt adhuc in aula Sereniss. Holsatiæ Ducis, Dn. mei Clementiss. nonnulli, qui multas Scythiæ Asiaticæ partes, multasq; ad maris Caspii littora provincias perlustrarunt, nullus tamen vel minimum de eiusmodi bombycibus audivit. Eodem modo multa falsa veris immiscet Plinius* d. cap. 23. *Ego hæc obiter annotare volui, ut appareat, quantum Historicis, dum de exoticis tractant, tribuendum sit.*

Sect. XXXIX.

VErecundiæ, natura obnoxius sum, nec aut aliorum conversatio, aut ætas, aut peregrinatio mihi frontem satis adhuc perfricuere. Habet autem præterea me pudor quidem, quem in aliis raro animadverti, & ut, quod res est, fatear, mortem equidem non reformido, sed pudet eius. Prô summum naturæ nostræ dedecus & opprobrium! adeone nos momento temporis deformari, ut charissimi nostri, uxor & libe-

liberi, ad aspectum nostrum horreant, trepidique resiliant! En volucres & agreste animantium genus, quæ omnia modò ex ingenito timore nos ultro reverebantur, jam omnis officii oblita dilacerare incipiunt. Hoc unum dum forte sæviente tempestate meditatus sum, adeo animum mihi ex hac cogitatione deiici, & ita affici aliquando contigit, ut in immensam illam aquarum abyssum absorberi me, & abripi, libentissime passurus fuerim: Sic nulli videndus, nulli miserandus periissem; nulli me mirati fuissent, nulli me flessent oculi, nulla mortalitatis documenta dedissem, tristem illam vocem emisisset nemo, *Heu quantum mutatus ab illo*! Nec hoc adeo ex eo accidit, quod membrorum meorum anatomiæ pudeat, quasi aut in ulla corporis parte accusandum mihi sit naturæ artificium, aut ipse ex nequiore vita turpem aliquam & pudendum morbum contraxerim, qui me escam minus gratam & salubrem vermibus reddat.

Sect. XL.

SUnt, qui luxuriante progenie confisi, † in qua tanquam historia potissima sibi ipsis superstites videntur, æquiore animo mortem excipiunt. Qua quidem in re mihi insigniter ludi & delirare videntur; eius enim desideriis hæc omnia indi-

gnissima esse, cui mens est ullo modo futurorum capax. Id potius exoptet, quod & ingenuæ magis ambitionis esse arbitror, ut substantia sua cœlos incolat, quam ut nomine tantum & umbra in terris hæreat. Mundo itaque in totum valedicere morte statui, non de monumento, historia, aut epitaphio sollicitus, ne nudam quidem nominis memoriam alibi reperiendam curaturus, quam in publicis illis & æternis cœlorum tabulis. Non usque adeo Cynicus sum, ut * † Diogenis testamentum laudem, nec † Lucani illud satis gloriosum in totum approbo,

—*Cœlo tegitur qui non habet urnam.*

Moderatiori tamen judicio ingenuum illorum consilium laudare soleo, † qui propter maiorum urnas dormire cupiunt, & quam fieri potest † elegantissime in corruptionem transire. † Non corvis equidem, aut graculis vivacitatem invideo, non maioribus nostris ante diluvium longa illa sæculorum tædia. † Si qua fides Astrologiæ habenda est, † annum adhuc jubilæum superare potero; nondum unam † Saturni revolutionem absolvi, nec mihi ad trigesimum annum palpitavit pulsus, & tamen omnium Europæ Regum, uno excepto, cineres compo-

* *Suos rogavit, ne sepeliendum curarent: baculum tantum mortuo in manum adderent, quo corvos abigeret.*

compoſui, Cæſaribus tribus, quatuor Imperatoribus Turcicis, totidemq; Papis coætaneus fui: ipſe mihi ſuperſtes videor, & Solis tædere incipit. Voluptates, dum mihi adhuc ferveret ſanguis, dieſque caniculares æſtuarent, valere juſſi; anteverſura me ſentio ſenectutis vitia: res omnes tandem ſeverius contemplari incipio, nec præter ſomnia & larvas hic quicquam aſpicio, nos ipſi nihil aliud quam perſonæ ſumus, ſcenicæque præſtigiæ.

ANNOTATA
Ad Sect. XL.

In qua tanquam hiſtoria ſibi ipſis ſuperſtites videntur) *Eleganter Cic.* l. 6. de Rep. in ſomnio Scipion. Quin etiam, *inquit*, ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcuiusq; noſtrum à patribus acceptas poſteris prodere, tamen propter eluviones, exuſtionesq; terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt, ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te: cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati ſunt? qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt viri: cum præſertim apud eos ipſos, à quibus nomen noſtrum poteſt audiri, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit. *Paulò poſt iterum:* Igitur altè ſpectare ſi voles, atque ad hanc ſedem & æternam domum contueri, neque ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum de-

cus. *& iterum:* Sermo illorum omnis & angustiis cingitur iis regionum, quas vides: nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione posteritatis extinguitur. *Christianus ab omni gloriæ studio, (ut & illud est, quo nomen aliquis suum in hoc orbe quocunque modo immortale reddere nititur) alienus sit: nam omnia quæ facimus, in honorem Dei, non in nostrum, faciamus. Qui ideò in eum finem uxores ducunt, ut prolem relinquant, & sibiipsis superstites sint, procul adhuc a veris Christi placitis absunt, & delirant: nam etiam hoc ipso pauci in hoc mundo innotescere possunt; & insuper verissimum illud est, quod Euripides apud Stobæum* serm.c.23. *dicit:*

Nullus enim hominum fidus est amicus tumulo,
Mortuos enim grati sermones deserunt.

Diogenis testamentum] *De quo Cicero* l.1. Tusculan. quæst. Durior. *inquit*, Diogenes & id quidem sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, projici se jussit inhumatum. tum amici, volucribusne & feris? minime verò, inquit: sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi, non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti. Ibid. *de Anaxagora*, qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri? nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantundem viæ est.

Lucani illud] *Exstat* l.7. Pharsal. *Hinc Cic.* l.1. Tusc. *dicit:* Tota de ratione humationis unum tenendum est, ad corpus illam pertinere, sive occiderit animus, sive vigeat. In corpore autem perspicuum est, vel extincto animo, vel elapso, nullum residere sensum. *Hinc Pericles apud Thucydidem* l. 2. Illustrium, *inquit*, virorum omnis

omnis terra sepulchrum est, neque tam apud cives ex saxorum noscitur inscriptione, quam apud exteros sine scripto memoria in animo cujusque & *Senec*, l. 1. de Tranquill. anim. c. 1. Visne tu nunc id agere, ne te posteri taceant? morti natus es; minus molestiarum habet funus tacitum. *Proinde S. August.* c. 1. de Cura pro mort. Omnia, *inquit*, ista, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia, quam subsidia mortuorum.

Qui propter majorum urnas dormire cupiunt] *Alludit ad urnas quibus mortuorum cineres includebantur: quæ etiam dicebantur ossuaria.* l. 2. ff. de sepulch. violat. *Nam apud Romanos mortui cremabantur, de quo Virgil.* lib. 6. Aeneid. *ita*:

Principio pinguem tædis & robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.
Fit gemitus: tum membra tota defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Conjiciunt. pars ingenti subiere pheretro
Triste ministerium, & subjectam more parentum
Aversi tenuere facem: congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Reliquias vino & bibulam lavere favillam:
Ossaq; lecta cado texit Chorineus aheno.

De origine huius rei Vid. Cic. l. 2. de Leg. & *Plin.* l. 7. c. 54. *Fuit etiam crematio apud Græcos usitata. Vid. Kirchman.* in absolutissimo atque eruditiss.

ditiſſimo libro, de Funer. Roman. l. 1. c.1. *Qui habuerunt etiam morem humandi. Vide* ibidem *Penes Germanos ac Gallos mos cremandi fuit, vid. Caſ.* l. 6. de bell. Gall. & *Tacit.* de Mor. German. c.27. *Mos mortuos in maiorum tumulos inferendi, vel apud ſuos ſepeliendi, antiquiſſimus eſt. vid. Kirchmannum* l. 2. de Fun. Romanor. c. 22. *Si omnes Romanorum priſcos ritus, quibus ad ſepeliendum ſuos uſi ſunt, ſcire aves, legas Kirchmannum & Claude Guichard.* des Funerailles & diverſes manieres d'enſevelir des Romains; Grecs & autres nations; & *Onuphr. Panvin.* antiquit. Roman. *Et ritus, quibus priſci Chriſtiani ſepulti fuerunt, vid. apud eundem* in libro de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos.

Elegantiſſimè in corruptionem tranſire] *Pleraq; gentes elegantiſſimè in corruptionem tranſire voluerunt. De Aegyptiis, vid. Herodot.* l. 2. *Diodor. Sicul.* l. 1. non longè à fine. & *Cicer.* l. 1. Tuſcul. quæſt. *Hinc Theophile* in libro de l'immortalité de l'ame:

Et les Aegyptiens font bien des ſepultures.
Qui des ſiecles entiers gardent les treſpaſſez.

De Romanis iam egimus. de Iudaïs, vid. 1. Reg. 13. v 30. & 14. v. 13. *Quando Deus maximè in Vet. Teſt. alicui iratus erat, privabat illum honore ſepulturæ,* 3. Reg. 14. v. 11. *quàm ſolliciti Græci fuerint de ſuis humandis, conſtat ex Thucydide, Xenophonte & Cornelio Nepote. Chriſtiani non minus de hoc ſolliciti fuerunt. Vid. Auguſt.* de cura pro mortuis c. 3. & ſeq. & de Civit. Dei l. 1. c. 13. *Origenes* contr. Celſum l. 5. Humana, *inquit*, corpora ut animæ domicilia & ſanctioris præcipuè, haudquaquã ſunt rejicienda, quippe quæ ex optimarum legum permiſſu cum honoribus, qui haberi homini poſſunt etiam ſepultura dignantur, *videatur idem* l. 8. contra Celſ. *Plura vide apud Onuphr.*

Onuphr. Pannin. in libro de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos. *Fuerunt tamen adeò barbari populi, ut mortuos inſtar brutorum animalium abiecerint, quod Herodotus* l. 1. *de Perſis teſtatur, tradens, mortuos ab iis non prius humari, quam aut ab alite aut à cane trahantur. Sed contrarium de iis ſcribit Cicero* 1. Tuſcul. Perſæ, *inquit,* cera circumlitos condiunt, ut quam maximè permaneant diuturna corpora. *Strabo* l. 11. *memorat, Maſſagetas, morbo mortuos non operire terra, ſed abiicere ut dignos qui à feris devorentur. Cic.* 1. Tuſcul. Magorum, *inquit,* mos eſt non humare corpora ſuorum niſi à feris ſint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes: Optimates, domeſticos. Nobile autem genus canum id ſcimus eſſe. Sed pro ſua quisque facultate parat, à quibus lanietur; eamque optimam illi cenſent eſſe ſepulturam. *hæc Cicero.*

Non corvis equidem aut graculis] Ariſtoteli cum rerum natura exigenti, minimè conveniens ſapienti viro lis eſt: illam animalibus tantum indulſiſſe, ut quina aut dena ſæcula edurent, homini in tam multa ac magna edito, tanto citeriorem terminum ſtare. Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem longè data eſt, ſi tota benè collocaretur. *Senec.* de brev. vitæ c. 1. Theophraſtus moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet. *Cicer.* Tuſcul. quæſt. lib. 3. Heſiodus fabuloſe multa de hominum ævo referens, cornici novem noſtras attribuit ætates, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis. *Plin.* l. 7. c. 48. *Vide & Albert. M.* in Ariſtotel. 9. Hiſtor. c. 20.

Non maioribus noſtris ante diluvium] Vide Ge-

nes. 5. *Putant nonnulli, annos tum temporis aliter fuisse computatos, & eo modo, ut unus annus noster decem illos aquare credatur, Vide Augustin.* de Civit. Dei l. 15. c. 12. *ubi id refellit. Alii putant, quod nunc homines brevioris sint vita, hanc esse causam, quod diluvium magnas terra ac plantis vires detraxerit, & quod illa adhuc decrescant, quia observatum est, minorem fieri hominum staturam. Vid. Plin.* libr. 7. c. 16. (*ubi id multis exemplis probat*) & *Agell.* l. 3. c. 10. *Hinc Iuvenalis* Satyra 15.

> Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
> Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
> Ergo Deus quicunque aspexit, ridet & odit.

Vid. etiam de hoc Ioseph. l. 5. antiq. Hist. c. 2. *Virgil.* 1. Georg. *ita canit:*

> Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

& *jam olim, teste Plinio* supra citato libro, *Homerus suo tempore conquestus est*, (vid. Iliad. lib. 6.) *minora esse mortalium corpora quam prisca. Vid. Phlegont. Trallian.* in libro mirabil. c. 9. *ubi nonnulla exempla, de vastis hominum corporibus effossis & inventis apponit. Philostratus* circa init. Heroicor. *dicit, in Aiacis sepulchro ossa XI. cubitorum hominem pra se ferentia extitisse, Adrianumq; Imperatorem Troiam profectum ipsa composuisse. Similia narrat de Orestis corpore, & de alio Gigantis duos supra viginti cubitos continente. Vide omnino Augustin.* de Civit. Dei l. 15. c. 9. *Alii censent, homines antediluvium longioris vita fuisse, quia temperantissimè vixerunt, nec naturam varietate ciborum debilitarunt. Et revera patres propter intemperantiam imbecilles redditi, liberos adhuc imbecilliores procreabunt; nam humidum radicale semel amissum, nunquam postea potest aquè perfectum*

reddi-

reddi. Iosephus Michelius in Apologia contra Libavium, sibi haud dubium esse *dicit*, priscos Patres, qui tam longæ vitæ fuerunt, usos fuisse aliqua medicina cœlitus revelata. *Sed credere tenemur, propter peccata nostra vitam nobis breviorem factam. Seneca* in Epistol. 70. Citius mori vel tardius ad rem non pertinet: benè autem mori, aut malè; ad rem pertinet.

Si quæ fides Astrologiæ] Vide supra ad Sect. 17.

Annum adhuc jubilæum] *Morem Iubilæum annum celebrandi Pontifices mutuati sunt à Iudæis. Iudæorum jubilæorum solennia vide apud Cunæum* l.1.c.2.de Rep.Hebræor. vide & ibid.c.6. *Apud Christianos primum centesimo anno celebrabatur, Vid. Platin.* in vita Bonifacii IIX. *ubi prodit, eum anno M.CCC. retulisse jubilæum, quo delictorum omnium remissionem his præstabat, qui limen Apostolorum visitassent. Postea à Clemente* VI. *statutum est, ut quinquagesimo quoq; anno indiceretur, quia ætas hominum jubilæum centum annorum attingere non posset. Idem Platina* in vita Clement. VI. & Nicol. V. *tradit. Tandem Xistus IV. hunc annum ex quinquagesimo ad vigesimum quintum contraxit. vide Onuphr. Panvin.* in vita Xisti. *Quando annus jubilæus incipiat, & quibus ceremoniis ac ritibus peragatur, descripsit Andr Schott.* part.2. Itiner. Ital. c. 12.

Vnam Saturni revolutionem] *Absolvitur illa annis XXIX diebus C. XCIV. Vid. Andr. Argol.* in Pandos. Sphæric c.52.

Sect. XLI.

AEtatem, fateor, † Servatoris nostri vita annosiorem precari fas est; fas est æta-

ætatem illam † ſuperare velle, quam ille magis morti idoneam cenſuit. Quod ſi canities in cœlis (dictante Theologia) nulla futura eſt, ſi omnes virili & juſta ætate reſurrecturi ſumus; quid tandem aliud efficit longævus annorum numerus, † quam ut à perfectione illa indies delabamur, ad quam poſtea revocari oportebit maiori miraculo. Spes ulla ſi eſſet fore tandem, ut vitiis noſtris ſuperſtites ſimus, & à peccato ſuperannati ſupplicibus ſane genibus implorandi eſſent Methuſalæ anni. At anni incurvant nobis, non rectificant naturam, & vitioſas diſpoſitiones in nequiores habitus convertentes, poſtremo, quod in morbis uſu venit, deplorata vitia ſecum adducunt. Indies nobis minuuntur vires, indies peccata accreſcunt, numerusque dierum hæc reddit innumera. Peccatum illud, quod ſedecim annos natus commiſeras, non idem erit, licet cætera omnia paria ſint, cum quadragenarius fueris. Præter inveteratum enim, nec excuſandum peccandi habitum, omnes tunc veniæ impetrandæ cauſas præcidit nobis judicii maturitas. Omne peccatum eo gravius eſt, quo ſæpius committitur. Sicut enim notæ Arithmeticæ, ſic peccata augentur, quorum quod ſupremum occupat, reliqua univerſa ſuperat. Quamvis autem fieri non poſſe exiſtimem, ut quisquam ſemel

rectè

rectè vixerit, † qui non & recte iterum vivere potuerit; Ego tamen neqũaquam transactas horas repetere, nec vitæ filum de integro ordiri velim; non quod me, ut oportuit, vixisse credam, quam causam Cicero attulit; sed quod, ne etiam deterius, metuam. Quid melius & rectius sit, provectius me indies judicium docet, sed cogunt affectus indomiti, cogit inveteratus peccandi habitus deteriora sequi. Eadem hodie in ætate jam firmata vitia, quæ olim in pueritia, reperio. Pleraque tunc deliqui, quod puer essem, puer itaque & adhuc sum, qui eadem adhuc delinquam. Accidit ergo, ut quis ante senectutis deliria puer sit, & † Æsonis balneo ante annum sexagesimum indigeat.

ANNOTATA Ad Sect. XLI.

Servatoris nostri vita] *Secundum Tertullianum* in libr. adversus Iudæos, *passus est Servator noster anno ætatis suæ trigesimo, Tiberii decimo quinto. Quod falsum est, nam Lucas baptismum Ioannis & prædicationis initium refert ad decimum quintum Tiberii annum* vide Luc. 3. *Irenæus putat illum fuisse maiorem annis XL. Nonnulli olim illum quadraginta & sex annorum ætate passum putarunt, quia per tot annos ædificatum esse templum dictum est à Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat.* Vid. *August.* l. 2. de doctr. Christ. c. 28. & l. 18. de Civit. Dei c. 54. *Alii verius docent anno ætatis suæ XXXV. æra vul-*

gatæ XXXIII. Tiberii XX. mortuum esse. Vid. Compendium Historiæ Ecclesiast. *Hornai. Baronius tradit anno ætatis XXXIV. Tiberii decimo octavo.*

Superare velle) *Sed quare? quia superata illa ætate jam ita maturo judicio sumus, ut Dei opera magis contemplari atq; admirari, Deumq; propter hæc laudare possimus.*

Quam ut à perfectione illa indies delabamur) Perfectus dicitur non qui ætate, sed qui in sese perfectus est. Nulli nocet puerilis ætas, si fuerit mente perfectus. Nec similis ætas proderit, si fuerit parvulus mente vel sensu. Nam & David cum puer esset & perfectus, cor suum & mentem habebat in Domino defixam, & ob hoc in regem elevatus est. Et Saul cum esset in senili ætate, quia in se malignam nequitiam habuit, de culmine regali expulsus est. Deus verò ac Salvator noster, à senioribus crucifigitur, & ingressus Hierosolymam à parvulis collaudatur. Nam & arbor si multorum annorum fuerit infructuosa, exciditur. Si autem fuerit novella & fertilis, colitur, ut magis ampliorem proferat fructum. *Hæc habet Auctor* libri de salutar. documentis exstat Tom. 4. oper. August. *Seneca* in Epist. 22. Peiores morimur, quam nascimur. Nostrum istud, non naturæ vitium est. Illa de nobis conqueri debet, & dicere: quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, cæterisque pestibus: quales intrastis, tales exite.

Qui non & recte iterum vivere potuerit) *Seneca* in Epist. 23. Malè vivunt, qui semper vivere incipiunt. Quare inquis? desiderat enim explanationem ista vox. Quia semper illis imperfecta vita est &c. *Et iterum*: Id agendum est, ut satis vixerimus; Nemo hoc putat, qui orditur cum maxime vitam.

Aeso-

Aesonis balneo] *Aeson erat Iasonis pater & rogatu Iasonis restituebatur pristinæ juventuti à Medea. Balneum illud quo restituebatur, describit Ovidius* l. 7. metamorph.

Interea calido positum medicamen aheno
Fervet, & exultat, spumisq; tumentibus albet,
Illic Aemonia radices valle resectas,
Seminaq;, & flores, & succos incoquit atros,
Adjicit extremo lapides Oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lavit arenas:
Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas,
Et Strigis infames ipsis cum carnibus alas,
Inq; virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi, nec defuit illi
Squamea Cinyphei tenuis membrana chelyndri,
Vivacisq; jecur cervi; quibus insuper addit
Ora, caputq; novem cornicis secula passæ.
His & mille aliis, postquam sine nomine rebꝰ
Propositum instruxit, mortali barbara munus;
Arenti ramo jampridem mitis olivæ
Omnia confudit, summisq;, immiscuit ima.
Ecce, vetus calido versatus stipes aheno
Fit viridis primo, nec longo tempore frondes
Induit, & subitò gravidis oneratur olivis.
At quacunq; cavo spumas eiecit aheno
Ignis, & in terram guttæ cecidere calentes,
Vernat humus, floresq;, & mollia pabula surgunt
Quæ simul ac vidit, stricto Medea recludit
Ense senis jugulum, veteremq; exire cruorem
Passa, replet succis, quos postquam combibit Aeson,
Aut ore acceptas, aut vulnere, barba comæq;
Canitiæ posita, nigrum rapuere colorem.
Pulsa fugit macies: abeunt pallorq; situsq;:
Adiectoq; cavæ supplentur corpore rugæ:
Membraq; luxuriant, Aeson miratur, & olim

Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.
Dissimilemq; animum subiit, ætate relicta.

Sect. XLII.

NEc † sane ad annum sexagesimum sine eximia Dei providentia deducitur vita; non sufficit tantum † bella & firma corporis temperies. Quamvis oleum forte, quod 70. anno satis sit, humidum radicale contineat, 30. tamen anno in nonnullis extinctum comperi. † Qui justa volumina de vita longa conscribunt, non omnes eius causas assignare solent. Nam † qui à radicali tantum Balsamo, & vitali sulphure pendere docent, non docent quare Adamus esset Abele longævior. Est itaque vitæ nostræ occultum quoddam & arcanum filum, quod à divina quidem sapientia modum & mensuram accipit, at nôn nisi à perpetua illa & insomni providentia eodem perductum absolvitur. Cui quidem provinciæ administrandæ, non tantum spirituum, sed & nostræ, sed & omnium creaturarum operæ ignota quadam & arcana ratione inserviunt: Ne igitur immatura querantur funera, quibus sub trigesimum annum obire contigit. Hoc illis cum ipso mundo commune fatum est; cujus structura infragilis, & firmiter compacta ante crasis suæ terminum & periodum

corruet. Simulatque in eo omnia consummata sint ipse consummabitur, non minus naturaliter extrema illa & universali febre ante annos sexies mille absolutos, quam ego ante quadragesimum, periturus. Est profecto alia, quam naturæ manus, † quæ vitæ nostræ fila deducit. Nec antipathias tantum & occultas qualitates ignoramus; æque nos interitus nostri ac ortus latent: noctu texitur ætatis nostræ, & annorum tela; variosque vitæ casus penicillus nescio quis depingit, quem non videmus: cuius licet nos ignaros fateamur, erraturum tamen eum non esse certum est, qui dextram divinam subesse agnoverit.

ANNOTATA
Ad Sect. XLII.

Nec ad annum sexagesimum sine eximia Dei providentia deducitur vita] *Reperiuntur adhuc integræ provinciæ, ubi plurimi annum LXX. attingunt, imò frequenter superant: testantur id Relationes Capucinorum de Insula Marignan, & Patrum è Societate Iesu de Canada. Prodit etiam Iohannes Leo* l. 1. c. 29. *Barbariæ Populum ad annum LXV. aut LXX. pervenire, paucos hunc numerum excedere, se tamen in montibus vidisse, qui centesimum attigerant annum, nonnullos etiam qui eum se egressos dixerunt, ac tamen illis adhuc fuisse senectutem vegetatissimam. Refert Plin.* l. 7. c. 48. *in Tmoli montis cacumine, quod vocat Tempsin, homines CL. annis vivere, Mutianum autorem esse. Nonnulli centesi-*

tesimum annum vitæ terminum statuerunt. Vid. Cœlium Rhodiginum l. 19. c. 21. adde *Lang.* l. 1. Epist. Med. Ep. 79. *Alii adhuc longiorem vitæ terminum statuerunt. Vide Plin.* l. 7. c. 49. *Rhodigin.* d. cap. & *Lang.* dicta epistol. *Plato octogesimum affirmavit. Omnia tamen hæc sunt fallacia & incerta. Vid. Plin.* citato libro cap. 48. *Vide* ibid. & cap. seq. *multa exempla de illis, qui centesimum annum superarunt. De ordinaria vita ad quam homines pervenire possunt, vid. Helmont.* in libro de Arcanis Paracelsi in init.

Bella & firma corporis temperies] *Propter accidentia, vitæ dissolutiones, aliasq; improvisas causas, quæ secundum temperamentorum diversitatem uni plus quam alteri nocere possunt.*

Qui justa volumina de vita longa conscribunt] *Scripsit de eo librum Aristoteles, Theophrastus Paracelsus, Marsilius Ficinus, Helmontius,* cujus libro titulus, Arbor vitæ, & *multi alii. Galenus* in libr. de Marasmo, *irridet quendam Philosophum, qui librum de immortalitate comparanda scripsit. Paracelsus certis medicamentis vitam posse perpetuam reddi docet; quem refellit & irridet Helmont.* in libr. in Verbis, Herbis & Lapidibus. *Idem quod Paracelsus, credunt Chinenses. Vide* quæ dixi ad sect. sequentem.

Qui à radicali tantum Balsamo & vitali sulphure] *De causis brevitatis vitæ, vide Helmont.* in libro de Arcanis Paracelsi. & *Lang.* l. 1. Epist. Med. Ep. 79.

Quæ vitæ nostræ fila deducit] *Hinc Seneca* in Epist. 69. Nemo nisi suo die moritur.

Sect. XLIII.

DUobus † illis Lucani versiculis vehementer oblector, ex quo non tantum

pue-

puerorum more interpretari, ſed etiam intelligere contigit:

Victurosq; Dei celant, ut vivere durent,
Felix eſſe mori.——

† Plurima quidem à Poëta hoc egregie dicuntur † à Stoico, credo, genio ſuppeditata; nec pauca † in Zenonis Philoſophia, & † Stoicorum doctrina reperies quæ è pulpito profecta ſatis Theologica ſunt. Sunt tamen hanc in partem vehementiores iſti, qui mortem ſibi ipſis conſciſcentes laudant, & Catonem. αὐτοφόντην † tantopere extollunt. Et ſane hoc non mortem quidem, ſed vitam tamen reformidare. Egregiæ plane fortitudinis eſt mortem contemnere, fortius tamen facit is, † qui vivere audet, quoties vita ſit morte terribilior: cujus rei præclarum nobis exemplum religio præbet: nec enim † ad unum illud Jobi comparanda ſunt, quæcunque † de Curtio, † Scævola, & † Codro decantari ſolent. Certe leves eſſe mortis cruciatus † præ morborum carnificina arbitror, aditumque ad mortem morte ipſa longe acerbiorem judico. † *Emori nolo, ſed me mortuum eſſe nihil curo.* Cæſaris religionis ſi eſſem, cum Cæſare quoque exoptarem † unico potius ictu abſolvi, quam lentis morborum ſerris excarnificari. Qui ſe ipſos extrinſecus tantum contemplantur, propriam vitæ appendicem valetudinem credunt, & corpo-

ris sui constitutioni succensent, si quando ægrotent: mihi vero, cui corporis nostri partes explorasse contigit, & scire quam tenuibus filamentis hæc fabrica cohæreat, non semper potius ægrotare nos mirum videtur. Cumque mille sint januæ quibus morti aditus in corpora patet, benignitatem nobis divinam gratulari soleo, quæ mortem non nisi semel obeundam voluerit. Non tantum morborum improbitate, non veneni tantum scelere perimus; stulte bombardarum occidiones, & nuperas necandi artes querimur, vitæ necisq; potestatem in nos habet unaquæq; manus, & obvio cuilibet multum debemus, † qui non occidat. Hoc tantum miseris solatii superest, † vitam nobis quilibet adimere potest, mortem nemo. Hinc Deus ipse se non exemit; nec enim † in carne immortalis esse, nec quod in ea immortale erat suscipere voluit. Prorsum intra carnis mœnia non habitat fælicitas; hanc nullum præceptum Opticum his oculis spectandum dabit. Primus Jubilæi nostri dies mors est, & vota sua Diabolum fefellerunt: non tam vita fælices futuri eramus, quam morte sumus. Non est uspiam miseria præterquam in ipso solo, in quo nullus est miseriæ finis. Quod & Stoicus recte judicat, si ad illius sensum interpretemur; † Oblitus est se mori posse, qui miseriam queritur; non in

ullius mali poteſtate ſumus, dum mors in noſtra.

ANNOTATA
Ad Sect. XLIII.

Duobus illis Lucani verſiculis] Exſtant libro 4. v. 519.

Plurima à Poëta hoc egregiè dicuntur] *Vt Stoicus multa egregie & magnifice de contemptu mortis ſcripſit; Sed teſte Suetonio* in libro de claris Poetis, cum ad extremum penè ſignifer Piſonianæ coniurationis (in Neronem) extitiſſet, multus in gloria tyrannicidarum palam prædicanda. Verum detecta coniuratione, nequaquam animi conſtantiam præſtitit. Facilè enim confeſſus, & ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter ſocios nominavit, ſperans impietatem ſibi apud parricidam Principem profuturam. *Vid. & Tacit.* l. 15. Annal. c. 56.

A Stoico, credo, genio] *Tota Stoicorum ſecta dogma ſeipſum interimendi profeſſa eſt. Vide Senecam, Laertium & Ciceronem. Hinc apud Senecam* in Agamemn. Chorus act. 3.

Qui vultus Acherontis atri,
Qui ſtyga triſtem non triſtis videt.
Audetque vitæ ponere finem,
Par ille Regi, par ſuperis erit.
O quam miſerum eſt neſcire mori!

& ipſe Seneca c. ult. de Tranquill. animi. Ego, *inquit*, Herculem fleam, quod vivus uritur: aut Regulum, quod tot clavis configitur: aut Catonem, quod vulnus ſuum iteraverit? Omnes iſti levi temporis impenſa invenerunt, quomodo æterni fierent, ad immortalitatem moriendo venerunt. *Adde eund.* in Epiſtola 4. *Hæc Secta de omnibus, magnificis ac ſuperbis verbis tractat.*

Hinc idem in Epist.13. Non loquor tecum, *inquit*, Stoica lingua, sed hac submissiore.

In Zenonis Philosophia] *Illum Zenonum vocat Cicero* l.3. de Fin. bonor. ac malor. *principem Stoicorum. Vid. de hoc Zenone atq; eius Philosophia Laert.* l.7. & *Cicer.* l.3. Tusculan. & l.1. Academ. quæst.

Stoicorum doctrina] *Vide Cic.* citatis libris, & *Senecam* passim.

Tantopere extollunt] *Vide Senec.* c.15. de tranquill. anim. epist. 69. & 70. *Lucanus* lib. 4. v. 478. *ita:*

Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ,
Par animi laus est, & quos speraveris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu.

Idem lib.8. v.395.

——Mors ultima pœna est
Nec metuenda viris.——

Qui vivere audet] *Nam secundum Ovid.* l.4. Metamorph. v.115.

Timidi est optare necem.——

Et secundum Senec. Thebaid. act.1.

Timidi est velle.

Et Auson. in Periandri sentent.

Mortem optare: malum; timere, peius.

Ad unum illud Iobi] Vid. Iob. 2.

De Curtio] *Vid. Liv.* l. 7. pag. 438. edit. Gronhov. *qui tamen id vix verum censet.*

Scævola] *Vid. Liv.* l.2.

Codro] *Vide Iustin.* l. 2. *Sed hi si cum Martyribus nostris comparentur, nihil veræ virtutis habuisse videntur. De Polycarpo vide Eusebium* l.4. c.14. *De Ignatio vide eund. Eusebium* l. 3. c.30.

Præ morborum carnificina] *Hinc multi ini-*

Iniqua Valetudine conflictari sibi ipsis mortem consciverunt. Vide quæ supra ad sect. 37. *dixi. Hinc Plautus* in Rudent. act 3. sc. 3. v. 12.

Neque est melius morte in malis
Rebus.

Et Ovid. l. 4. Trist. eleg. 6.

Vna tamen spes est, quæ me soletur in istis,
Hæc fore morte mea, non diuturna mala.

Emori nolo] *Antequam Deus avocet: sumus enim nos servi Dei, & voluntas eius est, ut ea quæ contingant mala, forti atq; infracto feramus animo. Si mortem ergò accerseremus ultro præfractarii servi essemus. Vid.* quæ supra *dixi.*

V nico potius ictu] *Hinc Ovid. Pont.* l. 3. de Eleg. 7.

Mitius ille perit, subita qui mergitur unda
Quam sua qui liquidis brachia lassat aquis.

Qui non occidat] *Nam partes maximè vitales mille periculis exposita sunt: quod constat Medicinæ atque Anatomiæ peritis. Mirum ergò est, hominem totum orbem motibus ac turbis replere ac quotidie magno studio nova quærere arma, quibus facilius interire possit.*

Vitam quilibet adimere potest, mortem nemo] *Hinc Seneca* in Thebaid. act. 1.

Vbiq; mors est, optimè hoc cavit Deus;
Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patēt.

Chinenses credunt, non esse extra humanæ industriæ facultatisque limites corpus cum animâ simul in hoc mundo immortale reddere, *vide Trigaut* l. 1. de expedit. Christ. apud Sinas c. 9. *In Regia Requinensi paucos fuisse magistratus ac proceres, qui non illo insaniæ morbo laborarint addit idē.*

In carne immortalis esse] *Quod tamen Mahometani nugantur, putantes Servatorem nostrum haud crucis supplicio affectum, sed clam in cælum evolasse, Iudæorumq; oculos decepisse, de quo supra egi,* ad Sect. 22.

Oblitus est se mori posse, qui miseriam queritur] Mors enim omnium dolorum & solutio est, & finis. *Vid. Senec.* de Consolat. ad Marciam. c. 19.

Sect. XLIV.

PRæter istam autem ita proprie dictam & vero nomine mortem, sunt aliæ quædam, quarum meminisse solent Theologi, nec eæ in totum, opinor, metaphoricæ. Hujus generis mortificatio est, qua peccatis & mundo morimur. Duplicem itaq; Horoscopum unumquemq; habere aio, humanum alterum, natalem puta; alterum Christianum, nimirum † Baptismum; à quo solo, horis illis combustis & adiectitiis diebus exclusis natales numero, non quicquam me esse reputans, antequam Servatoris mei essem, & † in Christi albo ascriptus. Hanc vitam quicumque non vivit, umbra & spectrum est, carissima licet carne conspicuus. † Quotidiè moriendum esse, quo immortales simus, moralibus hisce documentis monemur; nec satis rectè mihi mortem meditari videor, quoties sceleton aliquod aut calvariam obviis illis cogitationibus contemplor, quæ nobis inde plerumque suggeri solent. Ideoque tritum illud † *Memento mori*, in hypomnema magis Christianum ampliavi, *Memento quatuor novissima*, quatuor illa inevitabilia omnium communia, † *Mortem*, † *Iudicium*, † *Cœlum*,

lum, † *Infernum*. † Ipsi quidem Ethnici ultra mortem & sepulchrum prospicientes, † Rhadamanthum nescio quem, judiciumque subeundem trepidarunt, utcunque id alio quidem modo, & prout Naturæ lumen docuerat. Non satis equidem mirari queo, ex quo tandem oraculo, aut à qua Sybilla vaticinium illud † de futuro mundi incendio surripuerint; aut unde illud Lucanus didicerit,

† *Communis mundo superest rogus ossibus astra*
Misturus.

Instare jam mundo interitum credo, nec tamen eum aut labefactatum, aut senio confectum esse, aut unquam ei à seipso oriturum exitium. Supra naturam erat creatio, supra naturam itidem futura est contraria annihilatio. His modis eum perdere nihil poterit, nisi solus ex ore Divino spiritus, consumens ille ignis, cui nullum comparandum Philosophia novit. Sunt qui mundi creationem † momento temporis absolutam credunt, eiusdemq; exitium pari olim celeritate expeditum iri: Sex autem dies illos ita ex ordine à Mose expositos pro momento habent, & inde potius magni illius operis ideam in divina mente expressam, quam operandi methodum declarari docent. Ita reos die novissimo coram tribunali sistendos esse, aut eum fore in judicio processum, quem sacra pagina innu-

innuere videatur, & qui ad literam commentantur existimant, † nequaquam credo, Ineffabilia enim huiusmodi mysteria modo vulgari & exegetico in scripturis traduntur; cumq; hominibus scribantur, non quemadmodum revera se habent, sed quemadmodum intelligi possunt, exponi solent. In quibus tamen variæ † pro ingeniorum varietate interpretationes cum religione recte constare poterunt, nec huius aut illius ædificationi ullo modo officiunt.

ANNOTATA Ad Sect. XLIV.

Baptismum] *Hinc dicitur* lavacrum regenerationis. ad Tit. 3. v. 5.

In Christi albo inscriptus] *Nam* nisi quis fuerit renatus, ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ioh. 3. v. 5. *& Tertull.* in libro de anima: Omnis, *inquit*, anima usque eò in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tamdiu immunda, quam diu recenseatur: peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam suam ex carnis societate.

Quotidiè moriendum esse] *Hinc Paulus* Rom. 8. v. 13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini; sed si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Naturaliter etiam quotidiè morimur. Hinc Seneca* in Epistol. 24. Quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ: Et tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus. Quemadmodum

dum clepsydram non extremum stilicidium exhaurit, sed quicquid antè defluxit: sic ultima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.

Memento mori) *Ausonius* in Chilon. sent.

Vive memor mortis, ut sis memor & salutis.

Mortem) *Nam secund. Horat.* l. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Et Ovid. l. 3. Amor. eleg. 8.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat
Omnibus obscuras injicit illa manus.

Illa est,

Quæ magnos parvosque terit, quæ fortibus æquat
Imbelles, populisq; Duces, seniumq; juventæ.

Hæc cogitatio si non excutere, saltem diminuere fastum ac superbiam valet.

Iudicium) Deus statuit diem, quo judicaturus orbem terrarum. Actor. 17. v. 31. *ille dies vocatur ideò apud Apost.* Roman. 2. v. 5. dies iræ ac revelationis justi judicii Dei. & Roman. 14. v. 10. Omnes stabimus ante tribunal Christi. & v. 12. ibi unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo. Tunc Dominus separabit alteros ab alteris, ut pastor segregat oves ab hœdis, & statuet oves à dextris suis, hœdos à sinistris, Matth. 25. v. 32. *ibi etiam* de verbo quocunque otioso rationem reddituri. Matth. 12. v. 36. ibi collustrabit Dominus occulta tenebrarum. 1. Cor. 4. v. 5.

Cœlum) *Beatorum nempe sedes, ædificium non manu factum, æternum, cœleste. Apostolus* 2. Corinth. 5. v. 1. Scimus nos, si terrestris huius domicilii tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros æternum. Et 1. Cor. 2. v. 9. *ita*:

ita: gaudia, quæ ibi sunt, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcenderunt. *Ideò Clemens* in epiſtolà ad Corinthios (quæ pluribus ſeculis ignorata fuit, ante aliquot vero annos à Cyrillo Patriarcha Conſtantinopolitano, Alexandria, cum illum Patriarchatum reliquerat, Conſtantinopolin advecta, ibique ab eo Oratori Angliæ Regis, Regi dono transmittenda data, poſtea à patricio Iunio Regio Bibliothecario latine reddita) Sanctus, *inquit*, opifex & ſeculorum pater quantitatem & pulchritudinem eorum novit.

Infernum] *Vnde nulla redemptio eſt; Qui ibi intrant*, illorum vermis non morietur & ignis eorum non extinguetur Ieſai. c. ult. v. ult. Mortem quærent & non invenient eam. Cupient mori, & mors fugiet ab eis. Apocal. 9 v. 6. *Cypri:* libro ad Demetr. n. 21. Cremabit, *inquit*, addictos ardens ſemper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna; nec erit unde habere tormenta, vel requirere poſſint aliquando finem. *Apud Virgil.* l. 6. Aeneid. *Cumaa Sybilla ita:*

——Facilis deſcenſus averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, ſuperasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Vide plura ibidem.

Ipſi Ethnici ultra mortem proſpicientes] *Hinc Manil.* l. 5.

Quæſitor ſcelerum veniet, vindexq; reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis,
In lucemque trahit,
Hinc etiam immitis tortor, pœnaq; miniſter,
Et quisquis vero favit, culpamve perodit,
Proditur.

Quam perſuaſionem de inferis habuerint Ethnici, docent paſſim antiquiſſimi Poëtæ atque Hiſto-

Historici. de Aegyptiis vide Tac. lib.5.Hist. c.5. *De aliis vide Euseb.* præparat. Evangel. *Augustin.* de Civit. Dei. *Clement. Alexandr.* in libris stromat. *Arnob.* contra gentes. &c. *Vid. & Virgil.* l. 6. Aeneid.

Rhadamanthum] *De quo Virg.*l.6. Aeneid.

Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna:
Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Tatianus in oratione contra Græcos: Alius expectat conflagrationem per temporum vices, ego semel duntaxat: alius judices Minoëm & Rhadamanthum, ego ipsum Deum.

De futuro mundi incendio] Heraclitus & Hippatus Metapontinus statuerunt, principium universitatis esse ignem. Ex igne omnia ortum & in ignem habere asserunt occasum: eius extinctione creata omnia esse. Primum enim portionem eius crassissimam in seipsum contractam effici terram: mox solutam terram ab ignis potestate aquam evadere, cuius anhelitu reddi aërem: iterumq; mundum corporaque cuncta ab igne in mundi conflagratione consumptum iri. *Plutarch.* l.1. c.3. de placit. philos. *Mundum conflagraturum olim apud Sibyllas extitisse ex Iustini* Apolog.2.& Clem Alex. Strom. 6. *notavit Grotius* in annotat. ad lib. de veritate Christ. Religionis, ad l. 1. p. 26. *De mundi conflagratione Ovid.* l. 1. Metamorph. *ita:*

Esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et Sen. ad Marciam de consolatione c. 26. Necabitq; omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit, incendetq; mortalia. Et cum tempus

advenerit quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. *Aliis tamen Ethnicis hoc Christianorum dogma perquam absurdum visum fuit. ut patet ex August.* l.20. de Civ. Dei c. 26.

Communis mundo superest rogus] *Extant apud Lucanum* lib.7. bell.civil, *& fere idem habet* l.1.

Sidera sideribus concurrent: ignea pontum
Astra petent, tellusque extendere littòra nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi? totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Nec tamen aut labefactatum, aut senio confectum] *Hinc Cicero* l.2. Academ. Quæst. Mundus est ita undique aptus, ut nulla vis tantos queat motus, mutationesque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum existere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat. *Ipsum mundum jam esse labefactatum, vide apud Cyprian.* in libro ad Demetrianum. Illud, *inquit*, scire debes senuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere quo antea prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de scripturis sanctis prædicationibusque divinis documenta promentibus mundus ipse jam loquitur & occasum sui rerum labentium probatione testatur. *Probare id postea conatur ex mutatione hyemis, æstatis, veris & autumni.* Quod minus marmorum crustæ, auri & argenti quam olim effodiatur. Quod Sol in occasu suo radios minus claro splendore jaculetur, & tunc declinante cursu exoletis cornibus tenuetur. Quod homines qui olim ultra octingentos & nongentos annos processerunt, nunc ad cen-

ad centenarium haud perveniant. *Probat idem aliis rationibus. Alii id verisimile aliquid habere arbitrantur, quia homines nunc sunt brevioris vitæ ac staturæ quàm olim, de quo supra* ad Sect. 40. *egi. Alii idem verum putant, quia Astrologi observarunt, Solem nunc terræ viciniorem esse quam olim; ut Hug. Grotius ex Ptolemao & Copernico, docet* in annotat. ad libr. suum de veritat. Relig. Christian.

. Momento temporis absolutam credunt] *De quo vid. August.* l. 4. de Genesi ad literam à cap. 22. usque ad finem, & de Civit. Dei libro 11. cap. 7.

Nequaquam credo] *De hoc variant etiam Patres: quanquam in articulis fidei solum literalis sensus quærendus, tamen in Propheticis mysticum sensum accipere oportet. Sic quod de tuba* 1. Corinth. 15. v. 52. *extat, de tuba, quali Iudai usi sunt haud accipi potest. Hinc August.* l. 20. de Civit. Dei c. 21. Locutiones, *inquit*, tropicæ propriis prophetico more miscentur, ut ad intellectum spiritualem intentio sobria, cum quodam utili ac salubri labore perveniat. Pigritia verò carnalis vel ineruditæ atque inexercitatæ tarditas mentis contenta literæ superficie, nihil putat interius requirendum. *Vide & Gregor. M.* l. 2. Epist. 63.

Pro ingeniorum varietate interpretationes] *In eiusmodi rebus sæpius Patres seu antiquæ Ecclesiæ Doctores discrepant, & non oportet, ut unus alterum propter eiusmodi diversitatem condemnet.*

Sect. XLV.

INevitabilis † autem temporis huius diem aut annum præfinire velle, non tantùm † insania convincibilis est, & legibus

obnoxia, verum etiam manifesta impietas. Quomodo tandem † Eliæ 6000. annos interpretabimur, aut illud Rabbino communicatum credemus, quod † Angelis negatum sit. Hoc sane olim ex Diabolo Delphico quæsitum perquam velim; mirum vero quali tandem amphibologia usurus fuisset. Non ævo tantum præterito † varias Astrologorum prædictiones res hæc mire ludificata est, verum etiam hodie complurium helleboro nimis indigentium vaticinia; qui cum nec præterita, nec præsentia intelligant, futurorum scilicet præscii haberi volunt homines in hoc tantum nati, ut mirum atræ bilis efficaciam ostendant, utque * veterum potius vaticiniorum fidem liberent, quam nova afferant. † *Futurum est, ut in diebus illis audiatis bella & rumores bellorum*: mihi non tam vaticinium videtur, quam per omnia usque sæcula, ex quo primum edita est, constans & perpetua veritas. † *Tunc erunt signa in Sole, & Luna & Stellis*: † Quomodo vero quasi fur nocturnus venturus est, cum signa det adventus sui? Notum illud indicium, † à revelatione Antichristi petitum, æquè † obscurum est: † juxta vulgarem nostram computationem jam dudum venit. Equidem ut aperte, quod sentio, loquar, hunc Theo-

* *In diebus illis venient mendaces, & Pseudoprophetæ.*

Theologiæ esse † lapidem Alchymisticum propemodum credo; ad cuius inventionem licet præcepta inductionesque probabiles tradantur, perpaucos tamen reperiri arbitror, quibus eundem pervestigasse contigit. Instare usque mundo interitum, etiam superiora quæque † sæcula crediderunt, nec illis minus, quam nobis, quotidiana expectatio animos erexerat. Et tamen adhuc Sancti illi sub altari suspirantes expostulant, *Quousq; Domine?* & vereor, ut qui nunc decedunt eandem olim querelam effugiant, magnum illum omnium jubilæum non sine gemitu & suspiriis expectaturi.

ANNOTATA
Ad Sect. XLV.

Inevitabilis autem temporis huius diem præfinire velle] *Servator noster* Matth. 24. v. 36. De die illo ac hora, *inquit*, nemo scit, ne Angeli quidem cœlorum. & Actor. 1. v. 7. Non est vestrum, *inquit*, nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua ipsius potestate posuit. *Ipsi Apostoli hoc ignorarunt, putantes jam tum temporis finem mundo instare. Vide* 2. Petr. 4. v. 7. *Multi tamen tempus finis mundi præfinire conati sunt. Vid. Iraneum* l. 5. c. 23. *Lactant.* l. 7. c. 14. & c. 25. *Novi ego in Italia virum eruditissimum, qui nuper mortuus est, ac scripsit librum, cui titulus* Doctor Ecclesiasticus, *& alium, cui titulum præscripsit*, Claviculam S. Petri ad aperienda SS. Scripturæ mysteria. *Et adhuc alium* de Statu Ecclesiæ. *In illis tempus finis mundi sa-*

tis temerè definivit, multaq; singulares opiniones insinuat. Illos libros typis mandari, prohibuit in Italia arcanorum conscientiæ Tribunal; mihi illos manuscriptos legere contigit. In Tract. de statu Ecclesiæ, Totum, *inquit*, tempus Christi est bis mille annorum, tanquam dies unus duodecim horarum: quarum tres primæ sunt diluculum, & respondent D. annis: sex consequentes absolvunt meridiem & respondent mille annis, ita ut meridies incipiat anno Christi D. & finiatur cum anno M. CCCC. XCIX. Vltimæ tres horæ vespertinæ ab initio decimæ usque ad finem duodecimæ similiter quingentos annos conficiunt, & finiuntur anno Christi bis millesimo. In clavicula Petri *ita:* Tempus annorum Christi veluti unus dies artificialis dividitur vel in partes æquales, quæ sunt horæ XII. (Ioh. 11. 9.) quarum hora decima est novissima huic sæculo, quoniam postea tempus non erit amplius præsenti sæculo, quia Christus pater futuri seculi (Isai. 9. 6.) ante horæ illius finem incipiet nova facere omnia, unaque cum populo possidere regnum super orbem terræ futurum, quod ei peractum fuerat à constitutione mundi, sed per peccatum Adami & Evæ amissum & Satanæ traditum. Qui Regnum mundi per bestiam sive Antichristum obtinebit usque ad Christi reditum, qui reditus eveniet cum festinatione ante finem horæ novissimæ seu decimæ. Cum enim totum tempus à nativitate Christi usque ad novissimum annorum eius (in quem incidit judicium adversus Gog, ejusque exercitum Ezech. 33. 8.) sit bis mille annorum, qui conficiunt XII. horas, quarum 3. matutinæ totidemq; vespertinæ respondent D. annis, necesse est horam decimam iam olim cœpisse, finemq; mox habituram esse. de istis omnibus constat ex Apoc. 5. v. 10. Apoc. 10. 7. Apoc. 11. 15. Ap. 13. 2. Ap. 17. 17. Ap. 20. 4. 5. 6. 7. Dan. 7. 26. Hebræor. 10. 13. Matt. 25. 34. Luc. 4. 6. Ioh. 16. 20. vel dividi-

viditur in tres partes inæquales, quæ sunt tempus primum seu diluculum trium horarum, tempus medium, seu meridies sed amplius horarum. & tempus novissimum seu vespera aliquanto minus quam trium horarum. *Paulo post pergit:* Passiones Christi & Ecclesiæ sunt vel matutinæ, vel meridianæ: matutinæ sunt partim in civitate Ierusalem Mich.4.8.9. Matt.23.34. partim in campo, Samariæ, Iudææ & alibi; Luc.24.47 Act.1.8. partim Babylone Apocal. 2.Thess.27 Phil.1.2 & 3. Rom.14.15. Meridianæ passiones sunt Apostasia, seu defectio à Christi caritate & fide, cuius figura fuit Apostasia Israelitarum Luc. 17. 25. Luc. 19 14. 2.Pet.2.1.Matt.24.12. Tum tribulatio magna à Pseudochristis multis.Matt.7.15 21 22.Matt. 24.2. Vespertinæ ab uno Antichristo 1.Ioh. 2.22. Ioh. 5. 43.. 2. Thess. 2 4 8, 10. 11. Gloriæ Christi matutinæ sunt miracula Ioh.2.11. Ioh.11.40. Meridianæ sunt totæ abintus Dei solius oculis conspicuæ (Ps.44.14.Cant.1.5.) Vespertinæ incedunt partim in horam diei decimam partem in horam 11. & 12. Decimæ horæ gloriæ sunt partim obscuriores, ut interfectio multorum Philisthæorum, quam Christus ut Simson mysticus facit per maxillam Asini Iud.13. 5. Is. 30 25. Deinde fons eductus per maxillam Asini ad refocillandos sitientium spiritus Zach.13.1. Illustriores gloriæ sunt effusio Spiritus sancti super fideles in deserto ad Aquilonem Is.32.15. Is. 35. 2. 4. simulque apertio libri clausi sive notitia mysteriorum scripturæ, Dan.12. Posteriores, Subversio 4. Regnorum quibus Ecclesia suas calamitates debet Luc. 21.9.10.11. Matt. 24. 6.7. Iudicium de cœlo auditum de concilio Sanctorum sive 144. millium ex omni tribu spiritualium Israelit. Ps.75.10. Ap. 7.4. Hi judices signantur spiritu judicii Eph. 1. 13. Eph.4. 30. Dan. 7. 22. Iudicium autem partim spirituale adversus Babylonem Ap.17.5. Dan. 12. 7.12. partim generale inter oves & hœdos. Mat-

thæi 25.34. Ligatio Sathanæ & Gentium conversio post extinctum Antichristum. Sic tamen ut multi maneant in lege naturæ, nec Christi fidem amplectantur, quos in novissimo annorum Satanas iterum solutus reducet, ut duce Gog spe prædæ expeditionem adversus Ierusalem suscipiant cœlesti tum igne devorandi. Ap. 15. 4. Ap. 20.2.3.7.8. 9. Apoc. 21.24.25. Is. 60.3.4. Resurrectio prima mortuorum, hoc est, requies subter omne cœlum super terram. Ap.20 4.5.6 Ap. 5. 10. Dan.7.18.22.27. Dan.12. Vndecimæ & XII. horæ gloriæ sunt regnum Christi & Sanctorum in terris, usque ad novis. annorum Christi sive annum bis millesimum, in quo visitatur Gog cum exercitu suo, nec multò post die novissimo annorum, Christus de cœlo descendens resuscitat corpora mortuorum, quæ est secunda resurrectio, & electos in ipsa resurrectione immutat, facitq; incorruptibiles, ac simul cum Electis in terra viventibus in cœlum transfert 1. Thess. 4. 15 16. 1. Corinth. 15.52.53. *Hæc ille.*

Insania convincibilis est, & legibus obnoxia, verum etiam manifesta impietas] *Multi tamen sanctissimi viri hoc fecerunt. Irenæus putat mundum tot millenis annis consummari, quot diebus factus. Vid.* l. 5. c. 23. *Lactant. probat idem* l.7. c.14. *ubi ita:* Sciant. philosophi, qui ab exordio mundi seculorum millia narrant: nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto consummationem fieri necesse esse. *Vid. plura* ibid. & c. seq. *Idem statuit Hieron.* Epist.139. *Quis tamen accusaret eos manifestæ impietatis? Alias opiniones, vid. apud Calixt.* in absolutissimo tractatu de extr. Iud. p.152. & seq. *ubi eruditissime Chiliastarum errores refellit. Hieron.* ad c. 19. Ierem. *non vult tamen eiusmodi sentientes condemnare, quia multi Ecclesiasticorum virorum & Martyrum ista dixerunt.*

Eliæ]

Eliæ] *Vid. in Iudaico Thalmude Codice Sanhedrin.* capit. Chelec. & *Calixt.* in l. de extremo Iudicio p. 61. *De durat. mundi vid. apud August.* Epist. 80.

Angelis negatum] *Vid.* Matth. 24. v. 37.

Varias Astrologorum opiniones] *Vid. Richter.* in Ax. Ecclesiast. Ax 73. p. 86.

Futurum est, ut in diebus illis] Matth. 24. v. 6. Marc. 13. v 7. & Luc. 21. *Sed id non est proprium judicii novissimi signum: prædicit ibi Servator excidium templi atq; urbis hierosolymorum. ante eversionem urbis id etiam implebatur: sæpe enim Iudæi insurgebant in Romanos, de quo vid. Ioseph.* l. 2. Belli Iud. c. 13. & 19. 20. & 21.

Tunc erunt signa in Sole] Luc. 21. v 25. Matt. 24. v. 29. *scriptum est,* Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum, & *nihil aliud intelligitur, quam maximas calamitates in Ecclesia ac statu Politico, novissimum præcessuras diem, maximosq; homines, principes nempe atq; Episcopos, a fide defecturos: per Solem enim & Lunam intelliguntur Doctores Ecclesiæ.*

Quomodo verò quasi fur nocturnus] *Quomodo verò quasi fur nocturnus venturus sit* 2. Petr. 3 v. 10. *cum signa det adventus sui nullam contradictionem habet: nam illa signa docent quidem ultimum judicium venturum, sed non monstrant diem nec horam quando; propterea Servator noster postquam præcessura signa jam explicasset, subiungit,* Matth. 24. v. 42. 43. *at nos vigilare debere, quia nescimus qua hora Dominus venturus sit.*

A revelatione Antichristi] De quo vide 2. Thess. 2. v 3.

Obscurum est] *Obscurum videtur, quia Iohannes* 1. Epist. 2. v. 18. *suo jam tempore prophetiam de Antichristo fuisse completam putat.*

Tertull. Apolog. c. 32. *putat, eum ante eversionem Imperii Romani haud venturum.* Est, *inquit*, & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperii, rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. *Lactant.* l. 7. c. 17. *scribit, eum post adventum Heliæ, ex Syria oriturum, eumq; Prophetam interfecturum, seq; ipsum Deum constituturum, signaq; magna facturum, quibus visis irretiet homines ut adorent eum. Sed quod* 2. Thess. 2. *scriptum, id Theologi intelligunt de uno, qui per longum temporis spatium in templo Dei sedebit, quiq; omnes alios, qui antecesserunt potentia superabit.*

Iuxta vulgarem computationem] *Quamvis jamdudum venerit, potest tamen id esse signum extremi judicii*, nam unus dies apud Dominum ut mille anni. 2. Petr. 3 v. 8.

Lapidem Alchymisticum] *Quæritur ille magno multorum labore ac sumptibus; paucis tamen datum est eum invenire: sed hunc Theologiæ lapidem nulli invenire datum censeo.* Bene *August.* Epist. 80. Qui dicit Dominum citius esse venturum, optabilius loquitur, sed periculosius fallitur. Vtinam ergo sit verum, quia erit molestum si non erit verum, abundabunt opprobria & insultationes atque irrisiones inimicorum multos infirmos à Christiana fide avertentium, dicendo tam fallaciter illis regnum esse promissum quam fallaciter dicebatur citò esse venturum. Qui autem dicit Deum tardius esse venturum & tamen credit, sperat, amat eius adventum, profectò de celeritate eius etiamsi fallitur, feliciter fallitur. *Vid.* & 2. Petr. 3. v. 3. & seq.

Sæcula crediderunt] 1. Petr. 4. v. 7.

Sect.

Sect. XLVI.

HIc tandem dies magnum illud Dei attributum, †justitiam vindicabit; hic tenebras istas & nodos facile expediet, in quibus hodie explicandis vel à sapientissimis tam misere sudatur: Hic quæcunque in hoc mundo minùs æque distributa, minus justè administrata videntur, summa cum æquitate in futuro hæc omnia componet: Hic unus dies omnes præterlapsos comprehendet; Hæc est mundi istius novissima scena, in quam ad absolvendam fabulæ catastrophen universæ denuò personæ rediture sunt. Hic solus efficere valet, ut in occulto probi simus, iustumque & honestum sine arbitris colamus, † *Ipsa sui pretium virtus sibi*; † quod tamen axioma frigidius est, quam ut in immoto & constanti virtutis tramite animorum nostrorum levitatem coërceat. Dum forte secretus aliquando & solus meditor, quo animum à vitiorum turpitudine cohibeam (quæ quidem ars Senecæ fuit minime mala) charissimorum meorum & præstantissimorum præsentiam imaginari soleo, quibus testibus emoriar citius, quam aliquid turpe, aut indignum admittam. Quod tamen nihil aliud est, quam moraliter bonum esse, non eius causa, à quo remunerandi sumus ad diem novissimum. Divinum

num eiusdem institutum æmulatus, omnem de cœlo & inferno cogitationem ex animo seponebam, si forte sic etiam bonus esse piusque studere possem: Comperi sane me ex liberali quodam & ingenito virtutis amore eidem etiam gratis serviturum esse, non tamen ea animi constantia eandem revereri & colere posse, quin aut ex naturæ imbecillitate, aut tentatione aliqua graviuscula oblivisci eius contingeret. Cineris itaque nostri resurrectionem assidue cogitare, eorumque omnium, † quæ hic pie recteque conati sumus, accipienda præmia, hoc solum actionum nostrarum vita, & animus est. Hoc si demas, religio sophisma est, † Luciani, † Euripidis, † & Juliani impietas, non blasphemia, sed subtilis veritas; & cordate tantum philosophantur Athei.

ANNOTATA Ad Sect. XLVI.

Iustitiam vindicabit] *Verum tunc illud erit, quod Tyndarus Philocratis servus captivus apud Plautum* in Captiv. Act. 3. Sc. 3. *dicit:*

Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.
Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est
Neq; deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est.
Nec confidentiæ usquam hospitium est, nec diverticulum dolis.

Operta

Operta quæ fuere aperta sunt: patent præstigiæ:
Omnis res palam est:

Ipsa sui pretium virtus sibi] *De quo Vid. C.* l. 2. & libr. 5. Tuscul. quæst. *Unde Sil. Ital.* l. 13. de Bello Punico;

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

& Claud. in Cons. Manl.

Ipsa quidem virtus pretium sibi.

Quod tamen axioma frigidius est] *Lactant.* l. 3. c. 27. Quid, *inquit*, dicitis Stoici? quid tu Epicure (ille enim dicebat, sapientem esse semper beatum & vel inclusum in Phalaridis tauro hanc vocem emissurum; suave est, nihil curo?) beatus est sapiens etiam cum torquetur: Si propter gloriam patientia non fruatur: In tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriam: aut non sentiet, si occidunt animæ: aut si sentiet, nihil ex ea consequetur. Quis ergò alius fructus est in virtute? Quæ beatitudo vitæ? ut æquo animo moriantur? Bonum mihi affertis unius horæ aut fortasse momenti. Propter quod non expediat in tota vita miseriis & laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat? quæ cum venit utrum æquo animo an iniquo eam subieris, jam nihil refert. Ita fit ut nihil aliud ex virtute captetur, nisi gloria. Sed hæc aut supervacua, aut brevis est, aut pravis horum judiciis non sequetur. *Pergit paulo post.* Hæc causa est, *inquit*, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt: aut si virtutem asserunt, neque peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis, neque virtuti ullum præmium pollicentur, nisi solius honestatis & laudis, cum dicant non propter aliud, sed propter seipsam expetendam esse virtutem.

Quæ hic pie recteq; conati sumus, accipienda præmia] *Lactant.* l. 3. c. 27, *ita*: Est enim Deus qui

qui solus potest honorare virtutem: cuius merces immortalitas sola est: quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna subiacet vita, profectò neque virtutis vim sciunt, cujus præmium ignorant. *Paulo post idem.* Quisquis enim aut Deum colendum esse intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet: mens eius in cœlo est. Et licet id non aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit.

Luciani] *Ille, ut supra dixi, etiam Atheis adiungitur, ipse se excusat* in libr. de calumniis.

Euripidis] *Hunc fuisse atheum Plutarchus* l. 1. c. 6. de Placit. Philosoph. *tradit.* Hæc, *inquit*, pro ea opinione, quæ esse negat Deos, dicta sint. Euripides tragicus id in apertum efferre Areopagi metu noluit. Significavit autem hunc in modum. Sisyphum introduxit huius sententiæ principem, atque huic eius sententiæ est suffragatus. inquit,

Nam tempus erat, cum vita humana incondi-
Et belluina esset ministra injuriæ, (ta
Postea exlex vita latis antiquata est legibus. Vbi enim manifesta scelera arcere lex voluit, sed clam multi jus violabant: tunc sapiens quidam veritatem animadvertit semper commento esse præstringendam probandamque mortalibus,

Quod sit Deus, cui etiam perennis vita sit,
Hæc qui audiat, cernatque, & multum sapiat.

Valeant enim, inquit, poetarum ineptiæ cum Callimacho, qui ait:

Si esse Deum nosti, simul & facere omnia no-
Posse Deum. (ris

Hæc Plutarchus. Vide & Agellium c. 20. l. 15. *Sed Clemens Alexand.* in Orat. adhortat. ad Gentes *laudat eum.* Socratica, *inquit*, schola verè dignus est Euripides, respiciens ad veritatem & spectatores despiciens, aliquando quidem Apollinem, qui medius habitat, in os apertissime respondens hominibus arguens:

Parens

Parens ei, suam parentem cecidit.
Eum putate vos impium & occidite.
Peccavit ille, non ego, minus sciens
Eram qui honesti & ipsius justitiæ.

Aliquando autem Herculem inducens furiosum, & alicubi ebrium & insatiabilem. *Paulo post pergit:* Iam vero, inquit, in actu cui nomen est Ion. capite nudo Deos theatro aperit.

Aequum esse qui potest, dedistis qui homini-
Leges, rei ut vos sitis injustitiæ? (bus
Quod si (nam erit nunquam id & absq; te lo-
Supplicium ob castas luatis fœminas (quor)
Neptune tu, & cœlum tenet qui Iupiter
Scelera luendo, templa exinanibitis.

Et Iuliani impietas] *De quo Vid. Ruffin.* l. 10. c. 32. Hist. Eccles. *&* *Nazianzeni* duas orationes contra eum. *Ille ex doctrina Iamblichi, Maximi Byzantii & aliorum, cœpit doctrinam Ecclesiæ fastidire. Laudat tamen eum Ammianus Marcellinus, & Christianus Scriptor Eutropius (qui illi æqualis erat)* l. 10. *excepto, quod nimius religionis Christianæ insectator: perinde tamen ut cruore abstineret. Sunt Verba Eutropii.*

Sect. XLVII.

MOrtui † quo pacto resurrecturi sint, nullus quæro. Possibilia tantum credere non fidei est, sed Philosophiæ. † Multa sunt in Theologia verissima, quæ nec ratione probari, nec sensu confirmari possunt: multa itidem in Philosophia ex sensu constant, quæ ratione demonstrari nequeunt. Quæ enim † unquam rationes cuiquam persuaserint stylum nauticum ad septentriones converti, cum tamen hoc & possi-

possibile & verum sit, & si unicum sensus experimentum accesserit, non difficulter credibile. Credo cineres nostros dispersos passim & dissipatos † recollectum iri; credo post tam varias tam longas peregrinationes, post tot tantasque per mineralia, per plantas, per animantia & elementa transmigrationes ad proprias iterum formas † divinæ vocis imperio reducendos, iterum † ad primævam & prædestinatam sui corporis figuram instaurandam olim coituros. Cum jam mundus crearetur in species suas digesta est indigesta illa moles; idem cum peribit, in singula individua digerenda erit. Sicut autem in creatione distinctæ rerum omnium species in eadem massa confusæ latuere, donec tandem congeriem illam in alias atque alias formas secrevisset divinæ vocis fœcunditas: sic olim putres istas reliquias, ita per innumera formarum genera dispersas, ut cui jam corpori debeantur oblitæ videri possint, ad quasque suum in dividuum ad suam quamque figuram Deus omnipotente voce die novissimo evocabit. Tunc demum Adami fœcunditas, tunc seminis eius apparebit contagio, in tot myriadas dilatata. Admirari sæpe soleo artificialem illam † Mercurii resurrectionem, qui postquam in mille formas mortificatus fuerit, suam tamen iterum emergens recipit, fitque idem ipsum

ipsum quod ante fuerat. Si enim Physicorum more philosophandum est, insensibilibus id genus corruptionibus non intereunt illæ corporum alterabilium formæ, nec à sedibus suis facessunt, ut vulgò credimus; † sed in partes penitiores tantum & inaccessas se recipiunt, & colligunt, in quibus ab adversariorum impetu proteguntur. Plantam in cineres redactam videns contemplativus à scholis Philosophus, hinc formam protinus perire & in æternum valedicere credit. Cum tamen hic formas non perire artifici sensibili constet; sed tantum in partes incombustibiles abscondisse se, ibique à voracis eius elementi actione tutas latitare. † Hoc experientia compertum est; Artis enim opera ex plantæ cineribus plantam ipsam revocari, & ex favillis in folia & caulem redire vidimus. Quod ergo † in inferioribus istis ars humana potest, quæ blasphemia est negare id ipsum in præstantioribus posse omnipotentis dextram? Hæc est mystica illa Philosophia, à qua nemo revera doctus atheus discedit, quin potius visibilibus hisce experimentis indies proficiens, tandem verò nomine Theologus exit: nec per somnium tantum ut † Ezechiel, sed manifestos & visibiles resurrectionis typos vigilans intuetur.

ANNOTATA
Ad Sect. XLVII.

Mortui quo pacto resurrecturi) *Vid.* 1. Thess. 4. 15. *& Calixt.* in tract. de extr. jud. p. 73. *Sed benè August.* l. 20. c. 20. de Civ. Dei. Resurrectionem mortuorum futuram esse in carne, quando Christus venturus est vivos judicaturus & mortuos, oportet, si Christiani esse volumus, ut credamus. Sed non ideò de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfectè comprehendere non valemus.

Multa sunt in theologia verissima) *De quo supra dictum.*

Quæ unquam rationes) *Variæ styli nautici ad septentrionem conversionis causæ à Philosophis dantur: Alii putant à stella polari occultam quandam vim ei insinuari. Inter alias maximè ridicula est illa Olai Magni; dari nempe montes magneticos polo vicinos, qui ejusmodi vim imprimant stylo.*

Recollectum iri) *vid.* Daniel. 12. v. 2. & Iob. 19. v. 25. *vide* & 1. Cor. 15.

Divinæ vocis imperio reducendos) *Hinc Tatianus* in libro contra Gentes: Quamvis, *inquit*, totam carnem incendium ex oculis auferat, materiam tamen evaporatam mundus excipit: quamvis in fluviis, aut in mari absumatur, vel à feris dilanietur, condor tamen in penu divitis Domini. Improbus quidem & atheus depositum nesciunt: Deus autem qui regnat, substantiam sibi soli conspicuam, ubi voles pristinæ integritati restituet. *& Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi illuminator. XIIX. *Ethnicorum opiniones proponens ita*: Interiit homo & mortuus computruit, & totus in vermes resolutus est, atque ii vermes quoque interierunt, putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo itaque resurget? Navigatores à piscibus devorati sunt; & ipsi

& ipsi quoque pisces commesti sunt. Eos qui cum bestiis pugnarunt, Ursi & Leones una cum ossibus comminuerunt &c. *Respondet Cyrillus:* Cogita diversa germinum semina misceri & tuo pugillo contineri: estne tibi homini facilis an magna res pugillum aperire, unumquodque semen ad suam speciem congregare, & ad germen restaurare? Et tu quidem, in tuo pugillo poteris: Deus vero quæ suo pugillo continentur, discernere, congregare & restaurare non poterit? *Idem propter easdem causas negat Theophrastus apud Æneam Gazæum* in dialogo cui nomen Theophrasti dedit. *Sed optimè ibidem respondetur illi:* Annon humanum corpus & piscis & fera & avis in elementa recurrunt, & unumquodque in id, unde confectum resolvitur? omnino si igitur Elementa conservantur, & una corporis nostri causa conservatur; & quum superennis opifex vocaverit, cuncta undecunque colligentur. *Pulchra ac lectu dignissima sunt, quæ Minutius Felix* in suo octav. habet: Difficilius est, *inquit*, quod non est, incipere; quam id, quod fuerit iterare. Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahetur? Corpus enim sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subtrahitur nobis: sed Deo elementorum custodi reservatur. *Similia & apud alios patres passim exstant, & teste Augustino, in nulla re Christiani ab Ethnicis tam pertinaciter contradictum fuit, quam in hoc.*

Ad primævam corporis sui figuram instaurandam] *Hinc Damascenus* l. 4. de Fid. Orth. c. 28. Idem, *inquit*, corpus quod corrumpitur & dissolvitur, idem resurget incorruptibile.

Mercurii resurrectionem] *Sed summi Chymici ita Mercurium mortificare norunt, ut nunquam in pristinum statum reduci possit. Vide Helmont,* in libro de Febribus c. 15. n. 6.

Sed in partes penitiores tantum se recipiunt] *Hinc Gregorius Nyssenus putat, si Deus permittat, corporum nostrorum particulas propter mutuum amorem sponte iterum coituras; probat id exemplo argenti vivi. Hinc Tertull.* in libro de resurrect. Non solum anima deponitur: habet & caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis, quum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint; quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repræsentetur. *Vide & August.* de Civ. Dei l.22. c.20.

Hoc experientia compertum est] *De quo tamen dubito; nam haud levibus argumentis* in suo Pharmacopolio *contra hoc disputat Helmontius, statuens*, quod Archeus figurator sit rei generandæ, qui per ignem conflagratur dudum, antequam carbo vel cinis fiat. *Vidi Romæ apud P. Athanasium Kircherum eiusmodi plantam (ut ille referebat, si bene memini) è cineribus resuscitatam. Puto herbas, ex quibus illa fuit, non fuisse combustas, aut in cineres redactas, sed solum exsiccatas, & in pulverem redactas. Eiusmodi aliquid fieri posse ex urticis & aliis non est dubium. Percepi postea dictum Patrem Adiantos sive capillos Veneris, partim in cineres redegisse, partim è cineribus sal fecisse, partim è capillis illis aquam destillasse; & postea omnia illa in phiala longa ac ventrem habente miscuisse, collum vitri hermetice clausisse, & collocasse in loco temperato: exindeq; novam resurrexisse plantam, lubenter id experientia explorassem, sed satis capillorum invenire hic haud potui. Amicus quidem meus voluit id ex urticis comperire, sed nihil exinde resurrexit. Habeo adhuc alia secreta quæ docent quomodo ex contusis & putrefactis seminibus nova possit resuscitari planta, sed*

sed an præstent ea quæ promittunt, nondum hactenus probavi.

In inferioribus istis ars humana potest] *Ars humana potest hic metalla transmutare. Vid. Helmont.* in libr. de vita ætern. & de arbore vitæ. *Nostra humana arte potest figulus, vas fictile confringere, & minutissimè confractum, inque pristinam materiam redactum, iterum in integrum restituere. Hac arte, ex arena aut cinere vitrum conficere, & alia multa arcana quæ ignoranti impossibilia apparent, præstare possumus. Si hæc nobis possibilia, cur non credendum Deo magis adhuc possibile mortuos resuscitare.*

Ezechiel] *Vid.* Ezech. c.37.

Sect. XLIIX.

RENatos autem † duæ nos sedes protinus excepturæ sunt, eæque inter se omnino contrariæ, cœlum & infernum. † Hæc quid, aut ubi sint, determinare, meam sane Theologiam superat. † Apostolorum ille eloquentissimus, cui cœli crepuscula videre datum est, negativam tantum descriptionem reliquit: † *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venerunt.* Seipso exutus est, ut ea videret, quæ, cum ad se redierat, eloqui non poterat. † S. Johannis descriptio per Chrysolithos, Smaragdos, & id genus gemmas facta, crassum hoc cœlum, quod intuemur, non satis pro dignitate exprimit. Ut ergo rem brevi expediam, ubicunque locorum ita omni genere fælicitatis abundet anima, ubi-

cunque immensus spiritus eius appetitus ita saturatus requiescat, ut nihil amplius, nihil aliud cupiat, hic cœlum revera futurum arbitror. Hoc autem solummodo ex eius essentiæ fruitione accidere potest, cuius infinita bonitas, non suis ipsius tantum desideriis, sed etiam votis nostris inexplebilibus satiandis sufficit. † Ubicunque se nobis Deus intuendum præbet, ibi cœlum est, etiamsi intra aspectabilis huius mundi fines. In cœlo itaque versari potest humana anima ubicunq; fuerit; etiam † corporis sui parietibus adhuc inclusa: cumque in corpore suo habitare desinet, in anima sua, hoc est, in creatore suo, habitare poterit. Sic dici potest Paulus, sive in corpore, sive extra corpus, † in cœlis fuisse. Qui in † cœlo empyræo cœlum statuunt, excidii mundani immemores sunt: Pereunte enim hoc mundo aspectabili, cœlum empyræum, aut aliquid vacui simile, omnia fient. Qui tunc ubi cœlum sit quæsiverit, quærat idem † ubi sit divina præsentia, aut beatificæ visionis gloria. Turpiter in Philosophiam peccavit † Moses, utcunque omni Ægyptiorum sapientia eruditus, cum Deum hisce carnis oculis vidisse vellet, & à Creatore suo, hoc est, ab ipsa veritate contradictionem peteret. † Qui ex parabola illa, in qua Dives ex inferno Lazarum in Abrahami sinu alloquitur,

duo

duo hæc loca non procul inter ſe diſtare arguunt, adeoque extrema illa in eadem prope vicinia habitare, de glorificatis creaturis craſſe nimis judicant, quarum † oculi Sole ipſo perſpicatiores, ad extremum quodque ſine ſpecillis facilè pertingent. Si enim viſionis facultate uſuri ſunt glorificati oculi, non anguſtiores fore tunc viſus limites arbitror, quam in quibus hodie ſpatiatur intellectus. Corpora duo ſupra ſphæram decimam, aut in vacuo collocata, quemadmodum philoſophatur Ariſtoteles, ſe mutuo viſura non eſſe aſſentior, deeſt enim eiusmodi corpus, & medium quod ſpecies ſenſibiles ab obiecto ad ſenſum trajiciat; ubi vero nec medium eiusmodi futurum eſt, nec lumen quod medium rite attemperet, & † nihilominus perfecta viſio, obmuteſcere ſane oportebit Philoſophorum placita, & opticam magis exquiſitam adhiberi.

ANNOTATA
Ad Sect. XLIIX.

Duæ nos ſedes excepturæ ſunt) *Hinc August.* l.21. de Civ. Dei. c.25. Si in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur, quoniam non eſt locus medius ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno. *Idem* in ſermone 232. Nemo, *inquit*, ſe decipiat, fratres; duo enim loca ſunt, & tertius non eſt ullis. Qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum Diabolo abſque dubitatione ulla peribit.

Hæc quid, aut ubi ſint] *Chryſoſt.* Homil. 31. ad Romanos. Et ubi, *inquiens*, & in quo loco erit gehenna? tu quid iſtud curas? quæſtio ſiquidem eſt, ut oſtendatur quod ſit, non ubi recondita ſit, & quo in loco. *Hinc Auguſt.* de Civit. Dei l. 20. c. 16. qui ignis, *inquit*, cuiusmodi & in qua mundi parte futurus ſit, hominem arbitror ſcire neminem. *Vid. & Ludov. Vives annotata ibidem.*

Apoſtolorum ille eloquentiſſimus] *S. Paulus, quem S. Auguſtinus audire, optaſſe dicitur.*

Quæ oculus non vidit] *Vid.* 1. Cor. 2. v. 9.

S. Ioannis deſcriptio) *In Apocal.* 21. *Ineffabilia enim huius myſteria modo vulgari & exegetico in ſcripturis traduntur; cumq; hominibus ſcribantur non quemadmodum revera ſe habent, ſed quemadmodum intelligi poſſunt exponi ſolent: Sunt verba Auctoris* in Sect. 44.

Vbicunque Deus ſe intuendum præbet) *Deus ſe intuendum præbet, cum alicui manifeſtat ſuam manſuetudinem, ac perfectum gaudium, quod in illo eſt. Nam Deum nemo unquam vidit.* Ioh. 1. v. 18. & Ioh. 4. v. 12. *neq; videre poteſt.* 1. Tim. 6. v. 16.

Corporis ſui parietibus adhuc incluſa) *Deus rarò ita ſe manifeſtat alicui, ut per hanc contemplationem, animam adhuc corporis vinculis detentam, in cœlo verſari dici poſſit, quod tamen ſemel Paulo contigit,* 2. Cor. 12. *nam alioquin* hic per ſpeculum in ænigmate Deum videmus, 1. Corinth. 13. v. 12. *Poſtea in alia vita de facie ad faciem, hoc eſt ſpiritualibus, non carnalibus oculis: nam cognoſcere & contemplari appellatur à ſcriptura videre de quo vid. Auguſt.* l. 22. de Civ. Dei c. 29. *ibidem dicit, ſe neſcire, quale illud otium in futura vita futurum ſit.* Si autem, *inquit*, mente, id eſt, intelligentia hoc vidiſſe me dicam, quantum eſt, aut quod eſt noſtra intelligentia ad illam excellentiam.

In cœ-

In cœlis fuiſſe) *Auguſt.* Sermone 28. Quid, *inquit*, eſt in cœlis? Audi ſcripturam dicentem, Excelſus ſuper omnes cœlos Dominus. Et ubique habes, quod ſuper cœlos cœlorum Dominus ſit, quaſi non in cœlis & angeli, quaſi non in cœlis & dominationes, ſed in cœlis illis de quibus dictum eſt, cœli gloriam Dei. Cœlum eſt, ubi culpa ceſſavit. Cœlum eſt, ubi flagitia non ſunt. Cœlum eſt, ubi nullum mortis vulnus eſt.

Cœlo empyræo) *De quo multa Scholaſtici; quod volunt omnium ſupremum & immobile.*

Vbi ſit divina præſentia) *Quæ ubiq; eſt, nec locorum ſpatiis includitur.* Nam Deum non recipiunt cœli cœlorum. 1. Reg. 8. v. 27. *Hinc Auguſtinus* in Pſalmum 122. Si cœlum, *inquit*, iſtud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus eſſe habitationem Dei, tranſitura eſt habitatio Dei, quia cœlum & terra tranſeunt. Deinde antequam faceret Deus cœlum & terram, ubi habitabat? Sed dicit aliquis: & antequam faceret Deus ſanctos ubi habitabat? In ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus. Et quando dignatur habitare in Sanctis, non ſic ſunt Sancti domus Dei, ut ipſa ſubtracta cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in Sanctis. Tu habitas in domo, ſi ſubtracta fuerit, cadis; Deus autem ſic habitat in ſanctis, ut ſi ipſe diſceſſerit, ipſi cadant.

Moſes) *Vid.* Exod. 3. v. 4. & 5. & ſeq.

Qui ex parabola illa) Luc. 16. v. 19.

Oculi Sole perſpicaciores) Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris. Matth. 13. v. 43.

Nihilominus perfecta) *Quæ erit viſio ſupernaturalis.*

Sect. XLIX.

IGnem † eſſe inferni eſſentiam non poſſum ſtatuere; quid tandem rei ſit † Purgato-

num eiusdem institutum æmulatus, omnem de cœlo & inferno cogitationem ex animo seponebam, si forte sic etiam bonus esse piusque studere possem: Comperi sane me ex liberali quodam & ingenito virtutis amore eidem etiam gratis serviturum esse, non tamen ea animi constantia eandem revereri & colere posse, quin aut ex naturæ imbecillitate, aut tentatione aliqua graviuscula oblivisci eius contingeret. Cineris itaque nostri resurrectionem assidue cogitare, eorumque omnium, † quæ hic pie recteque conati sumus, accipienda præmia, hoc solum actionum nostrarum vita, & animus est. Hoc si demas, religio sophisma est, † Luciani, † Euripidis, † & Juliani impietas, non blasphemia, sed subtilis veritas; & cordate tantum philosophantur Athei.

ANNOTATA
Ad Sect. XLVI.

Iustitiam vindicabit] *Verum tunc illud erit, quod Tyndarus Philocratis servus captivus apud Plautum* in Captiv. Act. 3. Sc. 3. *dicit:*

Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.
Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est
Neq; deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est.
Nec confidentiæ usquam hospitium est, nec diverticulum dolis.

Operta

Operta quæ fuere aperta sunt: patent præstigiæ:
Omnis res palam est:

Ipsa sui pretium virtus sibi] *De quo Vid. Cic.* l. 2. & libr. 5. Tuscul. quæst. *Unde Sil. Ital.* l. 13. de Bello Punico;

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.
& Claud. in Cons. Manl.

Ipsa quidem virtus pretium sibi.

Quod tamen axioma frigidius est] *Lactant.* l. 3. c. 27. Quid, *inquit*, dicitis Stoici? quid tu Epicure (ille enim dicebat, sapientem esse semper beatum & vel inclusum in Phalaridis tauro hanc vocem emissurum; suave est, nihil curo?) beatus est sapiens etiam cum torquetur: Si propter gloriam patientia non fruatur: In tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriam: aut non sentiet, si occidunt animæ: aut si sentiet, nihil ex ea consequetur. Quis ergò alius fructus est in virtute? Quæ beatitudo vitæ? ut æquo animo moriantur? Bonum mihi affertis unius horæ aut fortasse momenti. Propter quod non expediat in tota vita miseriis & laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat? quæ cum venit utrum æquo animo an iniquo eam subieris, jam nihil refert. Ita fit ut nihil aliud ex virtute captetur, nisi gloria. Sed hæc aut supervacua, aut brevis est, aut pravis horum judiciis non sequetur. *Pergit paulo post.* Hæc causa est, *inquit*, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt: aut si virtutem asserunt, neque peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis, neque virtuti ullum præmium pollicentur, nisi solius honestatis & laudis, cum dicant non propter aliud, sed propter seipsam expetendam esse virtutem.

Quæ hic pie recteq; conati sumus, accipienda præmia] *Lactant.* l. 3. c. 27, *ita:* Est enim Deus qui

qui solus potest honorare virtutem: cuius merces immortalitas sola est: quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna subiacet vita, profectò neque virtutis vim sciunt, cujus præmium ignorant. *Paulo post idem.* Quisquis enim aut Deum colendum esse intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet: mens eius in cœlo est. Et licet id non aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit.

Luciani] *Ille, ut supra dixi, etiam Athcis adiungitur, ipse se excusat* in libr. de calumniis.

Euripidis] *Hunc fuisse atheum Plutarchus* l. 1. c. 6. de Placit. Philosoph. *tradit.* Hæc, *inquit*, pro ea opinione, quæ esse negat Deos, dicta sint. Euripides tragicus id in apertum efferre Areopagi metu noluit. Significavit autem hunc in modum. Sisyphum introduxit huius sententiæ principem, atque huic eius sententiæ est suffragatus. inquit,

Nam tempus erat, cum vita humana incondi-
Et belluina esset ministra injuriæ, (ta
Postea exlex vita latis antiquata est legibus. Vbi enim manifesta scelera arcere lex voluit, sed clam multi jus violabant: tunc sapiens quidam veritatem animadvertit semper commento esse præstringendam probandamque mortalibus,

Quod sit Deus, cui etiam perennis vita sit,
Hæc qui audiat, cernatque, & multum sapiat.

Valeant enim, inquit, poetarum ineptiæ cum Callimacho, qui ait:

Si esse Deum nosti, simul & facere omnia no-
Posse Deum. (ris

Hæc Plutarchus. Vide & Agellium c. 20. l. 15. *Sed Clemens Alexand.* in Orat. adhortat. ad Gentes *laudat eum.* Socratica, *inquit*, schola verè dignus est Euripides, respiciens ad veritatem & spectatores despiciens, aliquando quidem Apollinem, qui medius habitat, in os apertissime respondens hominibus arguens:

Parens

Parens ei, suam parentem cecidit.
Eum putate vos impium & occidite.
Peccavit ille, non ego, minus sciens
Eram qui honesti & ipsius justitiæ.

Aliquando autem Herculem inducens furiosum, & alicubi ebrium & insatiabilem. *Paulo post pergit:* Iam vero, inquit, in actu cui nomen est Ion, capite nudo Deos theatro aperit.

Aequum esse qui potest, dedistis qui homini-
Leges, rei ut vos sitis injustitiæ? (bus
Quod si (nam erit nunquam id & absq; te lo-
Supplicium ob castas luatis fœminas (quor)
Neptune tu, & cœlum tenet qui Iupiter
Scelera luendo, templa exinanibitis.

Et Iuliani impietas] *De quo Vid. Ruffin.* l. 10. c. 32. Hist. Eccles. *&* *Nazianzeni* duas orationes contra eum. *Ille ex doctrina Iamblichi, Maximi Byzantii &* *aliorum, cœpit doctrinam Ecclesiæ fastidire. Laudat tamen eum Ammianus Marcellinus, & Christianus Scriptor Eutropius (qui illi æqualis erat)* l. 10: *excepto, quod nimius religionis Christianæ insectator: perinde tamen ut cruore abstineret. Sunt Verba Eutropii.*

Sect. XLVII.

MOrtui † quo pacto resurrecturi sint, nullus quæro. Possibilia tantum credere non fidei est, sed Philosophiæ. † Multa sunt in Theologia verissima, quæ nec ratione probari, nec sensu confirmari possunt: multa itidem in Philosophia ex sensu constant, quæ ratione demonstrari nequeunt. Quæ enim † unquam rationes cuiquam persuaserint stylum nauticum ad septentriones converti, cum tamen hoc & possi-

possibile & verum sit, & si unicum sensus experimentum accesserit, non difficulter credibile. Credo cineres nostros dispersos passim & dissipatos † recollectum iri; credo post tam varias tam longas peregrinationes, post tot tantasque per mineralia, per plantas, per animantia & elementa transmigrationes ad proprias iterum formas † divinæ vocis imperio reducendos, iterum † ad primævam & prædestinatam sui corporis figuram instaurandam olim coituros. Cum jam mundus crearetur in species suas digesta est indigesta illa moles; idem cum peribit, in singula individua digerenda erit. Sicut autem in creatione distinctæ rerum omnium species in eadem massa confusæ latuere, donec tandem congeriem illam in alias atque alias formas secrevisset divinæ vocis fœcunditas: sic olim putres istas reliquias, ita per innumera formarum genera dispersas, ut cui jam corpori debeantur oblitæ videri possint, ad quasque suum individuum ad suam quamque figuram Deus omnipotente voce die novissimo evocabit. Tunc demum Adami fœcunditas, tunc seminis eius apparebit contagio, in tot myriadas dilatata. Admirari sæpe soleo artificialem illam † Mercurii resurrectionem, qui postquam in mille formas mortificatus fuerit, suam tamen iterum emergens recipit, fitque idem

ipsum

ipſum quod ante fuerat. Si enim Phyſico-rum more philoſophandum eſt, inſenſibilibus id genus corruptionibus non intereunt illæ corporum alterabilium formæ, nec à ſedibus ſuis faceſſunt, ut vulgò credimus; † ſed in partes penitiores tantum & inaccesſas ſe recipiunt, & colligunt, in quibus ab adverſariorum impetu proteguntur. Plantam in cineres redactam videns contemplativus à ſcholis Philoſophus, hinc formam protinus perire & in æternum valedicere credit. Cum támen hic formas non perire artifici ſenſibili conſtet; ſed tantum in partes incombuſtibiles abſcondiſſe ſe, ibique à voracis eius elementi actione tutas latitare. † Hoc experientia compertum eſt; Artis enim opera ex plantæ cineribus plantam ipſam revocari, & ex favillis in folia & caulem redire vidimus. Quod ergo † in inferioribus iſtis ars humana poteſt, quæ blaſphemia eſt negare id ipſum in præſtantioribus poſſe omnipotentis dextram? Hæc eſt myſtica illa Philoſophia, à qua nemo revera doctus atheus diſcedit, quin potius viſibilibus hisce experimentis indies proficiens, tandem verò nomine Theologus exit: nec per ſomnium tantum ut † Ezechiel, ſed manifeſtos & viſibiles reſurrectionis typos vigilans intuetur.

& ipsi quoque pisces comesti sunt. Eos qui cum bestiis pugnarunt, Ursi & Leones una cum ossibus comminuerunt &c. *Respondet Cyrillus:* Cogita diversa germinum semina misceri & tuo pugillo contineri: estne tibi homini facilis an magna res pugillum aperire, unumquodque semen ad suam speciem congregare, & ad germen restaurare? Et tu quidem in tuo pugillo poteris: Deus vero quæ suo pugillo continentur, discernere, congregare & restaurare non poterit? *Idem propter easdem causas negat Theophrastus apud Aeneam Gazæum* in dialogo cui nomen Theophrasti dedit. *Sed optimè ibidem respondetur illi:* Annon humanum corpus & piscis & fera & avis in elementa recurrunt, & unumquodque in id, unde confectum resolvitur? omnino si igitur Elementa conservantur, & una corporis nostri causa conservatur; & quum superennis opifex vocaverit, cuncta undecunque colligentur. *Pulchra ac lectu dignissima sunt, quæ Minutius Felix* in suo octav. habet: Difficilius est, *inquit*, quod non est, incipere; quam id, quod fuerit iterare. Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahetur? Corpus enim sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subtrahitur nobis: sed Deo elementorum custodi reservatur. *Similia & apud alios patres passim exstant, & teste Augustino, in nulla re Christiana ab Ethnicis tam pertinaciter contradictum fuit, quam in hoc.*

Ad primævam corporis sui figuram instaurandam] *Hinc Damascenus* l. 4. de Fid. Orth. c.28. Idem, *inquit*, corpus quod corrumpitur & dissolvitur, idem resurget incorruptibile.

Mercurii resurrectionem] *Sed summi Chymici ita Mercurium mortificare norunt, ut nunquam in pristinum statum reduci possit, Vide Helmont*, in libro de Febribus c.15.n.6.

Sed in partes penitiores tantum se recipiunt] *Hinc Gregorius Nyssenus putat, si Deus permittat, corporum nostrorum particulas propter mutuum amorem sponte iterum coituras; probat id exemplo argenti vivi. Hinc Tertull.* in libro de resurrect. Non solum anima deponitur: habet & caro suos sinus interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis, quum in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint; quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repræsentetur. *Vide & August.* de Civ. Dei l.22. c.20.

Hoc experientia compertum est] *De quo tamen dubito; nam haud levibus argumentis* in suo Pharmacopolio *contra hoc disputat Helmontius, statuens*, quod Archeus figurator sit rei generandæ, qui per ignem conflagratur dudum, antequam carbo vel cinis fiat. *Vidi Romæ apud P. Athanasium Kircherum eiusmodi plantam (ut ille referebat, si benè memini) è cineribus resuscitatam. Puto herbas, ex quibus illa fuit, non fuisse combustas, aut in cineres redactas, sed solum exsiccatas, & in pulverem redactas. Eiusmodi aliquid fieri posse ex urticis & aliis non est dubium. Percepi postea dictum Patrem Adiantos sive capillos Veneris, partim in cineres redegisse, partim è cineribus sal fecisse, partim è capillis illis aquam destillasse; & postea omnia illa in phiala longa ac ventrem habente miscuisse, collum vitri hermetice clausisse, & collocasse in loco temperato: exindeq; novam resurrexisse plantam, lubenter id experientia explorassem, sed satis capillorum invenire hic haud potui. Amicus quidem meus voluit id ex urticis comperire, sed nihil exinde resurrexit. Habeo adhuc alia secreta quæ docent quomodo ex contusis & putrefactis seminibus nova possit resuscitari planta,*

sed

sed an præstent ea quæ promittunt, nondum hactenus probavi.

In inferioribus istis ars humana potest] *Ars humana potest hic metalla transmutare. Vid. Helmont.* in libr. de vita ætern. & de arbore vitæ. *Nostra humana arte potest figulus, vas fictile confringere, & minutissimè confractum, inq; pristinam materiam redactum, iterum in integrum restituere. Hac arte, ex arena aut cinere vitrum conficere, & alia multa arcana quæ ignoranti impossibilia apparent, præstare possumus. Si hæc nobis possibilia, cur non credendum Deo magis adhuc possibile mortuos resuscitare.*

Ezechiel] *Vid.* Ezech. c.37.

Sect. XLIX.

Renatos autem † duæ nos sedes protinus excepturæ sunt, eæq; inter se omnino contrariæ, cœlum & infernum. † Hæc quid, aut ubi sint, determinare, meam sane Theologiam superat. † Apostolorum ille eloquentissimus, cui cœli crepuscula videre datum est, negativam tantum descriptionem reliquit: † *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venerunt.* Seipso exutus est, ut ea videret, quæ, cum ad se redierat, eloqui non poterat. † S. Johannis descriptio per Chrysolithos, Smaragdos, & id genus gemmas facta, crassum hoc cœlum, quod intuemur, non satis pro dignitate exprimit. Ut ergo rem brevi expediam, ubicunque locorum ita omni genere fælicitatis abundet anima, ubi-

cunque immensus spiritus eius appetitus ita saturatus requiescat, ut nihil amplius, nihil aliud cupiat, hic cœlum revera futurum arbitror. Hoc autem solummodo ex eius essentiæ fruitione accidere potest, cuius infinita bonitas, non suis ipsius tantum desideriis, sed etiam votis nostris inexplebilibus satiandis sufficit. †Ubicunque se nobis Deus intuendum præbet, ibi cœlum est, etiamsi intra aspectabilis huius mundi fines. In cœlo itaque versari potest humana anima ubicunq; fuerit; etiam † corporis sui parietibus adhuc inclusa: cumque in corpore suo habitare desinet, in anima sua, hoc est, in creatore suo, habitare poterit. Sic dici potest Paulus, sive in corpore, sive extra corpus, † in cœlis fuisse, Qui in † cœlo empyræo cœlum statuunt, excidii mundani immemores sunt: Pereunte enim hoc mundo aspectabili, cœlum empyræum, aut aliquid vacui simile, omnia fient. Qui tunc ubi cœlum sit quæsiverit, quærat idem † ubi sit divina præsentia, aut beatificæ visionis gloria. Turpiter in Philosophiam peccavit † Moses, utcunque omni Ægyptiorum sapientia eruditus, cum Deum hisce carnis oculis vidisse vellet, & à Creatore suo, hoc est, ab ipsa veritate contradictionem peteret. † Qui ex parabola illa, in qua Dives ex inferno Lazarum in Abrahami sinu alloquitur,

duo

duo hæc loca non procul inter se distare arguunt, adeoque extrema illa in eadem prope vicinia habitare, de glorificatis creaturis crasse nimis judicant, quarum † oculi Sole ipso perspicatiores, ad extremum quodque sine specillis facilè pertingent. Si enim visionis facultate usuri sunt glorificati oculi, non angustiores fore tunc visus limites arbitror, quam in quibus hodie spatiatur intellectus. Corpora duo supra sphæram decimam, aut in vacuo collocata, quemadmodum philosophatur Aristoteles, se mutuo visura non esse assentior, deest enim eiusmodi corpus, & medium quod species sensibiles ab obiecto ad sensum trajiciat; ubi vero nec medium eiusmodi futurum est, nec lumen quod medium rite attemperet, & † nihilominus perfecta visio, obmutescere sane oportebit Philosophorum placita, & opticam magis exquisitam adhiberi.

ANNOTATA
Ad Sect. XLIIX.

Duæ nos sedes excepturæ sunt) *Hinc August.* l.21. de Civ. Dei. c.25. Si in regni Dei possessione nunquam erunt, æterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus medius ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno. *Idem* in sermone 232. Nemo, *inquit*, se decipiat, fratres; duo enim loca sunt, & tertius non est ullis. Qui cum Christo regnare non meruerit, cum Diabolo absque dubitatione ulla peribit.

Hæc quid, aut ubi ſint] *Chryſoſt.*Homil. 31. ad Romanos. Et ubi, *inquiens*, & in quo loco erit gehenna? tu quid iſtud curas? quæſtio ſiquidem eſt, ut oſtendatur quod ſit, non ubi recondita ſit, & quo in loco. *Hinc Auguſt.* de Civit. Dei l. 20. c. 16. qui ignis, *inquit*, cuiusmodi & in qua mundi parte futurus ſit, hominem arbitror ſcire neminem. *Vid. & Ludov. Vivis annotata ibidem.*

Apoſtolorum ille eloquentiſſimus] *S. Paulus, quem S. Auguſtinus audire, optaſſe dicitur.*

Quæ oculus non vidit] *Vid.* 1. Cor. 2. v. 9.

S. Ioannis deſcriptio) *In Apocal.* 21. *Ineffabilia enim huius myſteria modo vulgari & exegetico in ſcripturis traduntur; cumq; hominibus ſcribantur non quemadmodum revera ſe habent, ſed quemadmodum intelligi poſſunt exponi ſolent: Sunt verba Auctoris* in Sect. 44.

Vbicunque Deus ſe intuendum præbet) *Deus ſe intuendum prebet, cum alicui manifeſtat ſuam manſuetudinem, ac perfectum gaudium, quod in illo eſt. Nam Deum nemo unquam vidit.* Ioh. 1. v. 18. & Ioh. 4. v. 12. *neq; videre poteſt.* 1. Tim. 6. v. 16.

Corporis ſui parietibus adhuc incluſa) *Deus rarò ita ſe manifeſtat alicui, ut per hanc contemplationem, animam adhuc corporis vinculis detentam, in cælo verſari dici poſſit, quod tamen ſemel Paulo contigit,* 2. Cor. 12. *nam alioquin* hic per ſpeculum in ænigmate Deum videmus, 1. Corinth. 13. v. 12. *Poſtea in alia vita de facie ad faciem, hoc eſt ſpiritualibus, non carnalibus oculis: nam cognoſcere & contemplari appellatur à ſcriptura videre de quo Vid. Auguſt.* l. 22. de Civ. Dei c. 29. *ibidem dicit, ſe neſcire, quale illud otium in futura vita futurum ſit.* Si autem, *inquit*, mente, id eſt, intelligentia hoc vidiſſe me dicam, quantum eſt, aut quod eſt noſtra intelligentia ad illam excellentiam.

In cœ-

In cœlis fuisse) *August.* Sermone 28. Quid, *inquit*, est in cœlis? Audi scripturam dicentem, Excelsus super omnes cœlos Dominus. Et ubique habes, quod super cœlos cœlorum Dominus sit, quasi non in cœlis & angeli, quasi non in cœlis & dominationes, sed in cœlis illis de quibus dictum est, cœli gloriam Dei. Cœlum est, ubi culpa cessavit. Cœlum est, ubi flagitia non sunt. Cœlum est, ubi nullum mortis vulnus est.

Cœlo empyræo) *De quo multa Scholastici; quod volunt omnium supremum & immobile.*

Vbi sit divina præsentia) *Quæ ubiq; est, nec locorum spatiis includitur.* Nam Deum non recipiunt cœli cœlorum. 1. Reg. 8. v. 27. *Hinc Augustinus* in Psalmum 122. Si cœlum, *inquit*, istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia cœlum & terra transeunt. Deinde antequam faceret Deus cœlum & terram, ubi habitabat? Sed dicit aliquis: & antequam faceret Deus sanctos ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in Sanctis, non sic sunt Sancti domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in Sanctis. Tu habitas in domo, si subtracta fuerit, cadis; Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, ipsi cadant.

Moses) *Vid.* Exod. 3. v. 4. & 5. & seq.

Qui ex parabola illa) Luc. 16. v. 19.

Oculi Sole perspicaciores) Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris. Matth. 13. v. 43.

Nihilominus perfecta) *Quæ erit visio supernaturalis.*

Sect. XLIX.

IGnem † esse inferni essentiam non possum statuere; quid tandem rei sit † Pur-

gatorius ille ignis non intelligo; nec quo pacto animæ ſubſtantiam, aut depaſci aut purgare valeat. Flammas illas ſulphureas, quas ſcriptura memorat, non de ea † gehenna intelligi opinor, quæ nunc eſt, ſed quæ futura; in qua omnes cruciatuum noſtrorum numeros ignis abſolvet; corpus enim & ſubiectum habiturus eſt, in quo tyrannidem ſuam exerceat. Opinantur nonnulli, iique ordinis textuarii Theologi, ignem hunc eundem ſpecie † cum noſtro futurum. Mirum quidem hoc videri poſſit; demonſtrare tamen potero, quo pacto etiam ignis ille corpora noſtra, deprædari, nec tamen conſumere queat. Reperiuntur & in hoc mundo materiali corpora quædam in flammis potentiſſimis inſuperabilia, quæ quamvis † ignitionem & liquationem patiantur, perire tamen neſciunt. Scire perquam velim, quo pacto Moſes igni actuali vitulum aureum calcinaverit, & † in cineres redegerit: Myſticum enim metallum illud, aurum dico, † cuius ſolarem & cœleſtem naturam admiror, ignis violentiæ ſi obiicias, igneſcit tantum & liquefit, non conſumitur. Sic quando corpora noſtra, partibus volatilibus & caducis ademptis, auream quandam temperiem, firmam nempe, & invictam reformata ſortientur, ut maxime ab ignis impetu patiantur, usque tamen in mediis flammarum

rum

rum amplexibus jacebunt nunquam peritura. Si autem † huius tantum elementi † violentiam subitura est hæc mundi fabrica, multa profecto corpora impune effugient, nec cœlum tantum † in exitium ruiturum non est, sed ne terra quidem, imo magis esse † terra tum demum incipiet: nunc enim terra non est, sed nescio quid ex igne, aëre, aqua, & terra compositum. Tunc vero his omnibus purgata suiipsius similior exibit, nimirum cinis. Qui † inter Philosophos mundum igne periturum opinati sunt, nihil minus intellexerunt † quam annihilationem, † à causis quidem sublunaribus nunquam profecturam. Eius enim elementi propria & suprema actio vitrificatio est: unde Chymici quidam non illepide dictant vitrea omnia & crystallina ex ultima conflagratione evasura. Nec est cur ad istam *annihilationis* vocem horreamus, aut Deum, quæ creavit perditurum, miremur. Cum enim qui ipse Microcosmus est, & tunc revera ita esse apparebit, homo adhuc restet, non dici potest mundus periisse. Oculi divini, & fortasse, cum glorificati fuerint, † nostri etiam, mundum in hac eius epitome, & compendiosa essentia perinde videbunt & contemplabuntur, ac hodie in spatioso hoc & explicato volumine. In ipso plantæ semine jam folia enata, jam flores & fructus perspici-

ſpiciunt & divini oculi, & intellectus humanus, utcunque hæc ſenſus fugiant. Quæ enim adhuc in potentia ſunt, reſpectu ſenſuum, ea quaſi jam exiſtentia intuetur intellectus. Hoc modo Deus omnia intuetur, nec opera ſua in epitome minus plene contemplatus eſt, quam in juſto volumine; non minus totum mundum in brevi illo † diei ſexti enchiridio, quam in ſparſis ſuis, & immenſis operibus quinque præcedentium.

ANNOTATA
Ad Sect. XLIX.

Ignem eſſe inferni eſſentiam] *Hinc Auguſtin.* l. 20. de Civit. Dei c. 16. *dicit ſe neſcire qui eiusmodi ignis futurus ſit. Multi putant, omnia illa, quæ in ſcriptura, nempe* Matth. 3. v. 12. Luc. 3. v. 17. Matth. 13. v. 42. Luc. 13. v. 28. Marc. 9. v. 43. & alibi, *de igne infernali proferuntur, eſſe figuratè intelligenda, & intelligi cruciatum ac ſummum dolorem, quibus condemnatos afficient (1.) Cognitio ſe propria culpa omnium rerum auctorem, nunc implacabilem vindicem habere. (2.) Invidia qua beatos proſequentur. (3.) Odium quo in ſeipſos propter commiſſa peccata flagrabunt. (4.) Cognitio, ſe non poſſe unquam illis ſummis malis liberari.*

Purgatorius ille ignis] *Lactant.* l. 7. c. 21. Scio & juſtos, *inquit*, cum judicaverit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerint, perſtringentur igne atque comburentur: quos autem plena juſtitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. *Sed illud forſan intelli-*

relligendum est de ign: confusionis & seueri examinis in extremo judicio. Certum tamen est, & Origenem & Ambrosium credidisse, omnes homines præter Christum ignem pertransire debere. Origenes Homil. 3. in Psalm. 36. *ita*: Certum est, quia manet nos ignis, qui præparatus est peccatoribus, & veniemus ad illum ignem: etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem. *Sed adhuc alia dogmata de purgatorio igne Ecclesia Romana introduxit, quæ eruditè ex SS. Scriptura & tota veneranda Ecclesia antiquitate refutarunt, primò Iustus Giessenius* in disputatione de igne purgatorio, *& postea D. Georgii Calixti Filius* in vindiciis Mulmanno oppositis; *& egregiè probant, ab antiquissimis Ecclesiæ doctoribus nunquam fuisse creditum, eiusmodi purgatorium dari, multo minus hoc dogma pro articulo fidei fuisse admissum. Quare preces antiqui pro mortuis fecerint vid. apud Chemnit.* in Exam. Concil. Tridentin. *De hoc more scribit Tertullian.* in libro de corona militis *ita*: Harum disciplinarum si leges expostules nullam invenies; traditio tibi prætendetur.

Gehenna] *Gehenna & vallis Himnon idem significant. In illa valle Iudæi infantes suos Ammonitarum idolo Molech sacrificabant. Vide* 4. Reg. 23. v. 10. & 4. Reg. 17. v. 17. Ierem. 8. *Propter hoc exquisitissimum supplicii genus æterna damnatio gehenna dicta est. Vide Georg. Calixt:* Concord. quatuor Evangel. l. 3. c. 5. & in libro de bono perfecto summo p. 55.

Cum nostro futurum] *Bene Lactant.* l. 7. c. 21. Ignis sempiterni natura longè diversa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria utimur, qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum,

sed

sed est purus ac liquidus & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subvolare. Idem igitur divinus ignis una eademque vi atque potentia & cremabit impios, & recreabit; & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibiipse æternum pabulum subministrabit.

Ignitionem] *Vt Asbestus, de cuius lino vid. Plin.* l. 19. c. 1. Inventum, *inquit*, jam est etiam quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesq; in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres, tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ, *Vide plura* ibid. & l. 37. c. 10. *Idem de hoc scribit Strabo* l. 10. *Eiusmodi mappam Neapoli vidi, & habeo adhuc frustulum istius lapidis, illudq; quod de eo scribitur verum esse experientia didici.*

In cineres redegerit] Exod. 32. v. 20. *Facilius est aurum conficere, quam destruere. Nec ignis auro nocet, sed solum liquefacit, probat ac purgat. Vide* Psal. 11. v. 7. Malach. 3. v. 3. *Beneficio quidem Alkahesti in primam sui substantiam resolvi potest. Fit tamen liquor, non pulvis; alio ideò Chymico arcano ad hoc Moysem usum fuisse censendum est, quod & Tostatus* in c. 32. Exod. quæst. 30. *docet. Quomodo aliàs aurum calcinetur, docent Chymici. Vid. Tyrocin. Chym.* Iohan. Beguini *c. 17. & forsan eodem vulgari modo calcinavit Moyses.*

Cuius solarem & cœlestem naturam] *Vid. Plin.* l. 33. c. 3. *Isidor.* l. 16 Etymolog. c. 17. *Chassan.* in catalog. glor. mundi part. 1. consid. 61. part. 5.

confiderat.31. & *Georg. Agric.* de pret. Metallor. ac Monetar.

Huius tantum elementi) *Sed ignem non esse elementum, solidis argumentis nunc multi Philosophi probant. Vid. Helmont.* in libr. de Elementis & *Tasson.* l.1. di diversi Pensieri c. 1.

Violentiam subitura est) *Quod S. Petrus tamen innuit* 2. Epist.3.v.7. Qui nunc sunt cœli ac terrra eodem verbo repositi adservantur igni in diem damnationis.

In exitium ruiturum non est) *S. Scriptura contrarium docet. Vide* 2, Petr.3.v.7. Iesai 51.v.6. Marc.13.v.31. Apocal.20.v 2. & ibidem 21.v.1. *Verum tamen est, inter Patres, Origenem, Augustinum, Hieronymum, Gennadium & Gregorium credidisse, omnia haud peritura, perditionemq; & interitum non significare abolitionem in nihil, sed commutationem in melius. Videantur Origenes.* l.1. περὶ ἀρχῶν c.6. *August.* l.20.de Civ. Dei. c.18. *ubi censet, ut in diluvio, quo totius vel penè totius aëris ventos: spatium submersum fuit, supremi tamen cœli, ubi Sol & Luna & sidera constituta sunt, immunes inundatione fuerunt: ita & nunc supremos cœlos conflagrationem haud passuros.* Vid. eod.lib.c.24. Possunt, *inquit* illi cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reservandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa & turbulenta &c. *Sed* ibid. *paulo post dicit*, Hoc autem, *inquit*, quod de Psalmo (*nimirum Psalm.* 101.) commemoravi, nullum cœlorum videtur relinquere quod periturum esse non dixerit. *Vide* ibid. *plura*, & *Hieronym.* in c.51. *Ies. Gregor. M.* l.17. Moral. c.5. & *Gennad.* de Eccl.dogmat.l.1.c.70.

Sed ne terra quidem) *Origenes* in supra citato libro ac cap. *arbitratur, terram solum magis puram ac purgatam reddi: Certius tamen, qualiter se habitura sit res, scire solum Deum.*

Terra

Terrá tum demum incipiet) *Nunc enim non est terra elementalis, Vid. Helmont.* in libr. de Elementis & in l. de Terra.

Inter Philosophos) *Vid. quæ* supra ad sect. 44. *dixi.*

Quam annihilationem) *Vide Cicer.* l 2. de Nat. Deor. Ex quo, *inquit*, eventurum nostri putant id, de quo Panæsium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto, neque terra ali posset, neq; remaneret ager: cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem: à quo rursum animante ac Deo, renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.

A causis sublunaribus nunquam profectu-ram) *Explicat hoc Auctor* Sect. 44. Supra naturam, *inquit*, erat creatio, supra naturam itidem futura est contraria annihilatio. *Vid. plura* ibid.

Nostri etiam) *Fulgebunt enim justi sicut Sol. Sol splendore suo totum orbem illustrat.*

Diei sexti enchiridio) *Quod est homo.*

Sect. L.

PEr flammas & corporeos cruciatus † à plerisq; describi solet infernum, eadem plane methodo, † qua cœlum à Mahomete: Hæc sane horrore & strepitu vulgi aurem territat. Si vero nihil gravius infernum habeat, non dignum est, quod cœlo † è diametro opponatur; cuius fælicitatis eius nostri partis erit, quæ eam melius & rectius percipere poterit: Dicam autem immortalem illam essentiam, illam à divinitate deductam coloniam, animam scilicet. Verumenimvero ut † sub terra infernum statuà-

ſtatuamus, certè eandem Dæmoni circumeundam permitti negare non poſſumus. Nimis creaſſe loquuntur, qui in † ardentibus illis montibus collocant, qui quidem vulgo infernum repræſentant. Dæmonis domicilium eſt cor humanum. Gehennam ipſam, ipſam Luciferi regiam † intra meipſum aliquando ſentio, & tanquam redivivus Legion, Dæmonum tumultantem turbam in pectore circumfero. † Tot profecto inferna ſunt, † quot olim mundos Anaxagoras credidit: nec cum ſeptem eſſent † in Magdalena Dæmones, † ſimplex erat atque unicum infernum. Suum enim ſibi ipſi infernum eſt unusquisque Dæmon; ſatis pœnarum ſecum circumfert, nec ſpatio ampliori ad ſupplicium opus eſt. Sic & animus peccatorum conſcientia exagitatus, umbra quædam eſt, & præludium inferni. Quis non miſerando iſtorum conſilio ignoſcit, qui ſibi ipſis mortem conciſcunt? Hoc ipſum Dæmon facturus eſt, ſi modo † hoc ipſi in manu eſſet; id quia non eſt, ſine fine miſer eſt, & ideo tantum miſerrimus, quia immortalis.

ANNOTATA
Ad Sect. L.

A pleriſque deſcribi infernum) *Imò a pleriſq; Patribus & non malè. Origenes tamen ſtatuit conſcientiæ horrorem, infernum. Vid. Hieron.* Epiſt. 39.

Qua cœlum à Mahomete] *Qui docet, cœlum ingressis maximè delectabiles cibos proponi; ibiq; ne aliquod oblectamenti genus desit, esse admodum formosas ac venustas fœminas: Vide* nuper editum atque in gallicam linguam ex Arabica à Dno du Royer translatum Alcoranum, au chapitre de la Lignee de Ioachim, au chap. des ordres, au chap. du combat, & au chapitre du jugement. *Sed quomodo hoc Auctor intelligi velit, vid.* Sect. 44. in fine.

E diametro opponatur] Omnia gehennæ supplicia superabit, Deum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti obtinere. *Bernhard.*

Sub terra infernum) *Vid.* quæ supra ad sect. 48. in not. 2. *dixi.*

Ardentibus illis montibus] *Vt sunt Vesuvius in Regno Neapolitano, Aetna in Sicilia, Hecla in Islandia & alii.*

Intra meipsum aliquando sentio) *Sentiunt homines eam, cum de salute dubitant, justitiamque Dei nimis rigidam credunt; aut alia horrenda sibi imprimunt, conscientiamq; totam inquietam continuò habent. Nullum supplicium in hoc mundo tam atrox, sed post hunc vitam adhuc atrocius dari censeo.*

Tot profectò inferna) *Si verum est, malam conscientiam unicuiq; esse infernum, & præter hoc haud aliam gehennam dari, etiam verum est quod Auctor scribit. Sed per ignem inextinguibilem, per ignem æternum ac caminum ignis aliud adhuc Theologi intelligunt, ut supra dictum est.*

Quot olim mundos Anaxagoras) *Vide Cicer.* l.4. Academ. quæst. *Credidit & Democritus innumerabiles mundos, de quo vid. Cicer.* l.1. de fin. bonor. & mal. *Adde ea* quæ supra *dixi.*

In Magdalena Dæmones) Luc. 8. v. 2.

Sim-

Simplex erat atque unicum infernum] *Non erat infernus : Ex inferno enim nulla redemptio, sed preludium aut umbra infernalis miseriæ.*

Hoc ipsi in manu esset] Sed vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Esa. 66. v.24. Apoc.9 v.6.

Sect. LI.

NUnquam equidem ad inferni nomen horrere soleo, quo nomine & DEO gratias ago,& mihi gratulor: nonunquam ad eius descriptionem expallui : ita cœlo plerumque contemplando inhæreo,ut prope inferni ideam ex animo deleverim; sollicitus potius, ne illius gaudia amittam, quã ne huius cruciatus patiar. Satis pœnarum est illis excidere,nec opus est graviori inferno. Nunquam me vox illa terribilis † à peccando deterruit, nec quod aliquid unquam recte fecerim, huic nomini acceptum fero. Deum revereor, non reformido. Efficiunt beneficia eius, ut ante me peccatorum pudeat, quam pœnarum metus occupet. Hac ratione non nisi coactus, & tanquam extremo remedio commotus utitur, idque potius ad deterrendos à peccato impios,quam quo bonos ad se colendum incitaret. Quẽquam unquam in cœlum metu coactum fuisse non arbitror. Ii tandem honestè cœlum petunt, qui Deum † sine gehenna culturi erant. Reliqui omnes qui gehennæ formidine officium faciunt, mercena-

rii sunt; & utcunque se servorum nomine venditent, vernæ tantum & Dei omnipotentis mancipia.

ANNOTATA Ad Sect. LI.

A peccando deterruit] *Hinc Horat.* lib. 1. Epist. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Hinc Aristotel. apud Laërt. l. 5. Hoc ex Philosophia didici, ut injussus ea faciam, quæ cæteri legum metu. *& Agell.* l. 12. c. 11. Virum sapientem, *ait*, non peccaturum esse, etiamsi peccasse eum Dii atque homines ignoraturi forent, idque justi & honesti studio & officio. *Auctor noster putat cogitationem beneficiorum ac misericordiæ Dei, inprimis resurrectionis ac futuræ beatitudinis, non autem condemnationis atque æternæ miseriæ homines ad rectè vivendum impellere debere. (Vid.* Sect. 46. & ea quæ ibi ex Lactantio annotavi) *quamvis potiri illa felicitate solum accidentale sit. Nam promereri illam nemo potest, Vid.* Sect. seq. *Quod amore non timore rectè facere debeamus, pulchre docet Augustin.* in Psal. 32. Implebis, *inquit*, (*nimirum legem*) amore quod timore non poteras: Qui enim timendo non facit malè, male faceret, si liceret. Itaque & si facultas non datur, voluntas tenetur. Non facio, inquis, Quare? quia timeo. Nondum amas justitiam, adhuc servus es. Esto filius. *Vide plura* ibid.

Sine gehenna culturi erant] *Et secundum Augustinum sine ullo premio*, in Homil. 38. *ita:* Cavere, *inquit*, debemus, ne ad præmium diligamus Deum. Quid enim? propter præmium dilecturus es Deum? Quale præmium est, quod tibi

tibi daturus est Deus? Quicquid tibi aliud dederit, minus est quam ipse, colis non gratis, ut aliquid ab ipse accipias; gratis cole & ipsum accipies.

Sect. LII.

VT autem bona fide agam & simpliciter quod res est loquar, quoties vitæ meæ casus & discrimina recens Divini digiti tutelam reputo; nihil est, quocunque aspicio, nisi immensus beneficiorum cumulus, tum in universum genus humanum, tum seorsim in meipsum congestus. Quæq; alii infortunia, supplicia, miserias, & res adversas vocant, mihi, qui rem penitius excutio, non tantum in effectus visibiles defigens oculos, ea omnia, & apparent & revera semper eveniunt, occulta & quasi dissimulata benevolentiæ eius munera: sive hoc mihi ex affectuum præjudicio accidat, sive quod æquius & faventiori animo omnia eius beneficia excipiam. Singularis plane sapientiæ est omnes Dei actiones ita perspicaciter, & sine affectibus judicare posse, ut semper justitiam eius à misericordia distinguentes, duo illa nobilissima attributa ne confundamus. Favente tamen Logica etiam ille dissertaturus est, qui de administratione Divina ita distinxerit, ut vel iudicia eius in beneficiorum numerum asserat. Est enim Deus erga omnes misericors, quippe cuius tanta sit in pessi-

mos facilitas, quantum ne optimi quidem merentur. Etsi eum in hoc mundo neminem punire dixero, ut maxime paradoxum sit, absurdum tamen non est. Homicidii reum si forte judex multa tantum irrogata absolvat, quis demens non potius judicis clementiam admiretur, quam aut hoc supplicium nominet, aut sententiam illam inique ferat? Crimina itaque nostra capitalia cum sint, nec tantum mortis, sed & æternæ damnationis reos agant, hæc nos damno aliquo, aut morbo, aut infortunio si luimus, idque satis habet Divina clementia; quis furor est, hoc supplicium potius quam summam misericordiam nominare, potius sub judicii fascibus queri, quam clementiæ sceptrum admirari? Eum igitur adorare, colere, & admirari gratitudinis officium est, quod ut præstemus & natura nostra, & vitæ conditio obligat; eumque me cogitationibus istis adorare, qui illas optime novit, negaturus non est. † Cœlo, *& eius fælicitate* ut potiar, accidentale est, nec enim hoc agit pietas mea; † fælicitatem illam minime promereri, † vix salva modestia expectare possum. Duo enim novissima omnium communia præmia & pœnæ, ita per summam clementiam statuuntur, ut nec pro merito, nec ex proportione factis respondeant; hæc enim merita nostra infinite superant, illis longe graviora commeriti sumus.

AN-

ANNOTATA
Ad Sect. LII.

Cœlo & eius fælicitate ut potiar) Deus gratis est colendus, & testamenti æterni hæreditas ipse à seipso requirendus. *August.* in Psal. 104.

Fælicitatem illam promereri) Nam Deus salvavit nos non ex operibus nostris, sed ex gratia. 2. Timoth 1. v. 9. Gratis salvati estis per fidem. & hoc non ex vobis, Dei donum est, & non ex operibus. Eph 2. v. 8. Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed per suam misericordiam salvos nos fecit. Tit. 3. v. 5. *Hinc August.* in tract. 3. in Evangel. Ioh. Vnde vocatur gratia, quia gratis datur. Non enim præcedentibus meritis emisti, quod accepisti. *& paulò post.* Quid meruit? Interroget justitiam, inveniet pœnam. Interroget misericordiam, inveniet gratiam. *& iterum* ib. Est gratia, gratis donata, non reddita, si tibi debebatur, merces reddita, non gratia donata.

Vix salva modestia expectare possum) *Illam felicitatem per fidem salva modestia expectare possumus, Deusq; illam quærentibus promittit. Vide* 1. Tim. 2. v. 4. & Matth. 11. v. 28. *Hinc August.* tract. 3. in Ioh. Cum promerueris Deum vivendo, ex fide accipies præmium, immortalitatem & vitam æternam, & illa gratia est. Non pro merito quidem accipies vitam æternam, sed tantum pro gratia. Si enim fides gratia est, & vita æterna, quasi merces fidei, videtur quidem Deus vitam æternam tanquam debitam reddere. Cui debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem. Sed quia ipsa fides gratia, ac vita æterna gratia est pro gratia &c.

Sect. LIII.

IN † Christum non credentibus nulla salus; hoc est, ut quidam interpretantur,

post Christum natum; † at de præcedentibus etiam sæculis intelligi Theologia docet. Unde fit, Philosophorum illorum optimorumq; Heroum exitus, qui ante incarnationem decesserunt, multum diuque in animo versare soleam. Iniquum est horum animas in infernum deturbare, quorum vitæ nobis adhuc virtutis & pietatis exempla præstant. † Cum autem infernum in tot regiones divisum sit, æquum sane fuerat, ut his etiam † limbus aliquis statueretur. Quid tandem dicemus, cum commenta illa poëtica in veritates exire, & † fictas illas furias in non fictos Dæmones mutari videbimus? Quam attonitis illi auribus hanc de Adamo historiam excepturi sunt, propter eum plectendi de quo nil unquam audiverant? Illine, † qui originem suam è Diis deduxerant, se infælicem hominis peccatoris progeniem experientur? Arrogantis plane ingenii est, Dei omnipotentis actiones, & Divinæ administrationis æquitatem in controversiam adducere. Sic ut me docuit, sic & alios doceret animi humilitas, immensam illam creatoris & creaturæ distantiam contemplari, si unam hanc Pauli similitudinem serio perpenderemus, † *Num dicet figmentum fictori, cur me tale fecisti?* Certe insolentibus istis rationis disputationibus rectius occurreretur, nec definitivam Dei sententiam ex cœlo aut

lo aut inferno repeteremus. Qui ad rectam rationis normam, & legem vivunt, vivunt tantum ex generis sui natura, quod & bruta animantia faciunt: nec ullum actionibus suis præmium postulare debent, cum solummodo naturæ suæ dictatis, ut oportet, obtemperent. Patet itaque, quod demum omnibus necessario patebit, nullam omninò salutem † nisi per Christum dari. Quam veritatem vereor ne magna illa virtutis exempla olim confirmatura sint, adeoque in seipsis experiantur, nullam in terris actionem ita omnibus numeris absolutam & perfectam esse, ut cœlum sibi jure vendicare queat.

ANNOTATA
Ad Sect. LIII.

In Christum non credentibus nulla salus) *Vid.* Act.4.v.12. & 1.Thess.5.v 9. & Hebr.2.v.10.

- At de præcedentibus etiam seculis Theologia docet) *Vid. August.* Epist. 99. ad Evodium. *Non omnes Theologi id simpliciter & absolutè docent. Vide ea, quæ supra* ad Sect.25 *de Socrate dixi. Vid & August.*l.8.de Civ.Dei c.9.

Cum autem infernum in tot regiones divisum sit) *Gradus enim cruciatuum gehennæ sunt; nam Deus reddet unicuiq; secundum opera sua.* Rom.2.v.6.*Servus qui scivit voluntatem Domini, nec fecit secundum eam cadetur multis; qui autem non novit, & fecit digna plagis, cadetur paucis.* Luc.12.v.48.

Limbus aliquis statueretur) *De limbo multa Pontificii fingunt, putantes eum esse par-*

tem inferni. Vide Tostat. in Gen. 37. c. ad v. 35. & *Strabum* auctorem glossæ ordinariæ.

Fictas illas furias) *Quæ Deæ sunt speculatrices & vindices facinorum ac scelerum. Cic.* l. 3. de nat. Deor.

Qui originem suam à Diis deduxerant) *Vid. Diodor. Sicul.* l. 1. *Sic Alexander M. Jovem generis sui auctorem credebat esse, aut credi volebat. Vid. Curt.* l. 4. *Referebat & suam originem ad Herculem, vid.* in suppl. *Curt.* l. 2. *Galba referebat paternam originem ad Jovem. vid. Sueton.* in vita Galbæ. *Idem Aeneas apud Virg.* l. 6. Aeneid.

Quid memorem Alciden, & mî genus ab Iove summo.

Et Achilles apud Homer. l. 21. Iliad.

At ego generationem magni Iovis glorior esse,
Genuit me vir multis imperans Myrmidonibus
Peleus Aeacides, hic autem Aeacus ex Iove fuit.

Num dicet figmentum fictori) Rom. 9. v. 20.

Nisi per Christum dari) *Vid.* quæ supra ad Sect. 25. *annotavi.*

Sect. LIV.

NEc sane aut horum, aut aliorum ullorum vitas cum ipsorum doctrina per omnia congruisse arbitror. In suæ ipsius Ethicæ præcepta peccasse † Aristotelem satis constat: nephritidis paroxismum sine gemitu non pertulere Stoici, qui tamen † affectus omnes strenue damnantes, † in medio Phalaridis tauro ridere jubent. Sibi ipsis non constant † Sceptici, prædicantes se ni-

ſe nihil ſcire, nam etiam cum hoc dicunt, ſibi cæteris omnibus plus ſcire videntur. †Diogenem aio hominem ſui ſæculi arrogantiſſimum fuiſſe, quiq; honores omnes †maiore animi ambitione repudiaret, quá Alexander quæreret. † Inſigniter hic nobis impoſuere vitium, & Diabolus: quo ſtudioſius vitavimus eo penitius illaqueati ſumus. † Ducem Venetum, qui iniecto in undas annulo Tethyn uxorem ducit, prodigum non voco; ritus enim ſolennis eſt, & Reipublicæ utilis. Philoſophum vero illum, qui nummos ſuos ad vitandam avaritiam in mare proiecit, inſignem profecto nepotem † dixiſſe non dubito. † Non via trita & publica ad virtutem itur, non è nexibus iſtis & ænigmatibus peccati facile expedimur. Religioni juxta ac virtuti panoplia quadam ad perfectionem opus; qua ab hoc vitio muniti cum illo progrediamur. Et ſane prudentiores iſti, qui rationis ductu & filo utuntur, citra veniam peccant; rudiores identidem ſine dedecore impingunt. Ad unicam actionem juſta bonitate abſolvendam tanta circumſtantiarum turba requiritur, ut ſine præceptoribus & libris bonos & probos eſſe non liceat. Uſu autem venire ſolet, ut † hominum praxis non pari greſſu cum theoria procedat, immo ſæpius in contrarium ambulet. Rectum bonumq; natura agnoſcimus, natura de-

ra deteriora sequimur. Facundia illa, qua apud alium valui, nullum pondus apud meipsum habitura est. Vitiosus nobis appetitus inest, qui docta quidem rationis præcepta patienter audiet, non alia facturus, quam quæ libuerit. Omnes denique † monstra sumus, partim ex bruto, partim ex homine composita: opera danda est, ut sapientem illum † Chironem, qualem Poëtæ fingunt, imitati, hominem bestia superiorem statuamus, sensusque ad rationis pedes sedeat. Postremo omnes cum Deo servari velim, paucos servandos esse cum hominibus statuo; tenui adeo ponticulo, † viaq; angusta ad vitam transiri. Hi tamen angustiori limite, quam Christus unquam voluit, ecclesiam Dei includunt, quicunque † intra particulares aliquot nationes, ecclesias, aut familias coërcent.

ANNOTATA
Ad Sect. LIV.

Aristotelem] Qui mortuo Platone ad Hermiam Atarnei Tyrannum profectus triennio ferè apud illum desedit. Hanc eius moram vehementer eius obtrectatores carpsere, quasi parum Philosopho congruentem: lacerantq; hoc in loco maximè pro ancillæ cuiusdam amoribus penè insanis, quorum gratia illum desedisse apud Hermiam quidam scripsere. Extatque in eum Epigramma nobile Theocriti Chii amarissimis sanè verbis obscænitatem & desidiam illi exprobrantis. *Plutarch.* in vita Aristot. *Creditur & conju-*

ratio-

rationis Callisthenis in Alexandrum conscius fuisse, Vide eund. ibid. & in vita Alex. *ut & Plin.* l. 30. c. 16. *Xiphil.* in vita Caracall. *Laërt.* l. 5.

Affectus omnes damnantes] *Vid. Senec.* in Epist. 116. & Epist. 85.

In medio Phalaridis tauro] *Vid. Lactant.* l. 3. c. 27.

Sceptici] *Vid. Agell.* l. 11. c. 5.

Diogenem] *Huius vitam vide apud Laërtium* l. 6. Calcans ipse aliquando Platonis stratum, præsentibus Dionysii amicis, dixit, calco Platonis inane studium: ad quem Plato; Quanto, inquit, ô Diognes fastu tumes, dum superbiam te calcare putas. *Laërt.* ibid.

Maiore animi ambitione repudiaret] *Vid. Senec.* l. 5. de benef. c. 6. *& supplem. Curt.* l. 2. *& Laert.* l. 6.

Insigniter hi nobis imposuere vitium] *Hi enim affectarunt laudem hoc ipso, & hoc vitium est. Vid. August.* de C. D. l. 5. c. 13. 14. & 18.

Ducem Venetum qui iniecto in undas annulo] *Fit illud singulis annis in festo ascensionis Christi. Ego bis illis solennibus adfui. Putant Sansoverinus & Iohannes Henricus à Phlaumern.* in itiner. Italiæ, *originem harum ceremoniarum extitisse Alexandri II. exilium; qui (ut illi & Brianus* l. 8. Hist. Ital. *testantur) à Friderico Barbarossa Roma fugatus Venetias se recepit; ubi cognitus à Sebastiano Ciano, Venetorum Duce, defendendus susceptus. Victa Imperatoris classe a Ciano, & capto filio Ottone, Pontifex redeuntem Cianum complexus est, atque annulum aureum, tanquam pignus semper subiecti maris Adriatici dedit. Postea, ut proderet illi, Duces in memoriam eiusmodi dati dominii singulis annis paululum in nave longa in stagnum Adriaticum provecti, ac magno Senatorum numero stipati annulum in mare proiecerunt. Id quidem ita fit: sed an eiusmodi Dominium ab Alex-*

Alexandro III. Venetiis datum,& an Otto à Venetis captus sit, parum constat. Platina,qui vitam huius Pontificis descripsit, nullam harum rerum mentionem facit. Otto Frisingensis,Radevicus Canonicus Frisingensis in historiis, quas Ottoni Frisingensi adiunxit, quamvis tempore Friderici vixerint, silent. Responderi quidem posset; non potuisse illos hoc prodere, quia uterq́;ante Fridericum mortuus est: sed Abbas Vrspergensis, qui floruit circa annum M. CC. XXX. idem silet, quamvis tradit, hunc Pontificem Roma aufugisse.

Nepos] *Boni,ac quidem aureæ linguæ latinæ ætatis, scriptores hac voce utuntur pro prodigo ac perdito homine, qui Græcis ἄσωτος dicitur.* Nepotes luxuriosæ vitæ homines appellati, quod non magis his rei suæ familiaris cura est, quam iis, quibus pater avusque vivunt. *Paulus* in epitom. *Festi.*

Non via tuta ac publica] *Hinc Sil. Italic.* l.2. de Bello Pun.

Ardua virtutem profert via.

Claudian. de IV. consul. Honor.

Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
Semet, & incertos animi placaverit æstus,
Inveniet. longis illuc ambagibus itur.

Stat. l.10. Thebaid.

Rara dari, terrisque solet contingere virtus.

Et Synesius: Maximo sine labore consequi, proprium divinitatis est, bonum, à nobis autem nedum virtutes, verum cætera quoque præclara sudore quæruntur. *& Hesiodus, citatus à Xenoph.* l.2. de dict. & fact. Socratis:

At virtutis iter sudore Dii obvallarunt.

Hinc Maximus Tyrius: Nihil quod pulchrum, quod honestum sit, ab ignavia producitur.

Quæ rationis ductu utuntur] *Stoici secundum*

dum naturam vivere, finem statuerunt. Vide Clem. Alexand. Strom.2. *& Chrysippus apud Laert.* l.7. in Zenon *finem esse putat*, consentaneæ naturæ vivere, nihil eorum faciendo, quibus interdicere consuevit lex illa communis.

Citra veniam peccant] *Quia ea faciunt, quæ digna morte sunt: nam illi freti suis operibus leges Christi spernunt. Vid. Augustin.* in præfat. enarrat. Psalm. 31. *Vid. & modestissimam Epistolam Longiniani Ethnici, Philosophi Platonici*, quæ extat inter Augustinianas & est 21. Vide & Rom. 1. v. 19. & seq.

Ad actionem unicam] *Habet unaquæq; virtus sua extrema, in quæ si impingitur, a virtute receditur. Via autem media valde angusta est.*

Hominum praxis cum theoria] *Seneca passim divitias contemnit, ac contra eas non semel vehementer disputat.* Vid. Epist. 115. & in libro de constant. Sapient. c.13. *Ipse tamen usq; ad invidiam dives. Vid. Tacit.* l.13. annal. c. 42. *Hinc Suilius illum ibidem increpat dicens:* Qua sapientia, quibus Philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies sestertium paravisset? Romæ testamenta & orbos velut indagine eius capi. *Idem Seneca in adulteria valde invehitur. Vid.* de benef. l.3. c.16. *Sed idem Suilius* eod. lib. *apud Tacit. dicit, illum domus Germanici adulterum fuisse.* An gravius existimandum, *inquit*, sponte litigatoris præmium honestæ operæ assequi, quam corrumpere cubicula principum fœminarum. *Suos mores ipse describit* in Epist. 108. In Epistola 5. *hoc refellere & sibi contradicere videtur. De Lucano* supra *dixi.*

Monstra sumus] *Ratione corporis & sensuum animalia, ratione mentis aliquid excellentius.*

Chiro-

Chironem) *Vid. Servium* 3. in Georg. Virg. *cum Saturnus coiret cum amica Phillyra, Ops eius uxor superVenit, eapropter ille se mutabat in equum exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus. Hic postea in sylVas abiit, herbarumq; Vires reperiit. Vid. Plin.* l. 7. c. 56.

Via angusta) Matt. 7. v. 14.

Quicunque intra particulares nationes) *Vt Pontificii & alii faciunt.*

Sect. L V.

QUi Dei ecclesiam Strabonis tunica involventes † intra solos Europæ fines cohibent, non minus Geographiæ periti videntur, quam olim Alexander, † qui se universum terrarum orbem perdomuisse credidit, † cum nondum dimidium eius subiugasset. Esse enim tum † in Asia, tum in Africa ecclesiam Dei, inficiari non licet, nisi Apostolorum peregrinationes, martyrum obitus, conciliorumque complurium sessiones in iis locis habitas † oblivisci velimus; quæ ut judicio etiam reformato approbamus, ita tum habita fuisse fatendum est, cum adhuc ecclesia nostra in cunis vagiret. Nec æquum est, ut quoniam † pauca sunt, de quibus nobis cum illis non convenit, eaq; forsan † humano judicio graviora, quam divino, à cœlo nos invicem excommunicemus; nedum Christianos illos, qui omnes † quodammodo martyres sunt; qui quod nobilius est, fidem sua persecutione

pro-

propugnantes, cultum illum Deo in flammis præstant, quem nos in aprico. Numerum quendam esse electorum, & multos servandos fatemur omnes; at si quis universas nostras omnium sententias collectim inspiciat, nec ulla jam salus erit, nec ulli servandi. † Damnat nos ecclesia Romana, nos illam; nostræ ecclesiæ doctrinam † subreformati & sectarii damnationi adiudicant, hos omnes † Atomistæ, & Familistæ, reprobant, & hi illos; sic cœlum, quod nobis pollicita est divina benignitas, opinionibus nostris & dogmatibus ipsi nobismet ipsis certatim præcludimus. Sanctum Petrum non unicum esse oportet. A sectis & ecclesiis particularibus occupantur portæ cœlestes; aliique vicissim ab aliis introitu prohibentur. Cœlum omnes petimus invitis & indignantibus aliis; vereorque, ne ex minore, dubium charitate an maiore ignorantia, non tantum in nostræ, verum etiam alienæ salutis fundamentalibus erretur.

ANNOTATA
Ad Sect. LV.

Intra solos Europæ fines cohibent] *Hieronymus* dial. adverſ. Luceferianos: Si ecclesiam per totum orbem non habet Christus, aut si in Sardiniâ tantum habet, nimis pauper factus est.

Qui se universum] *Se illum perdomiturum credebat. Qld. Curt.* lib. 9. in pr. *respondet Darii legatis*

gatis l. 4 Mundum duobus Solibus non posse regi, nec duos summa regna, salvo statu terrarum posse habere.

Cum nondum dimidium] *Imò ne quinquagesimam partem. America enim, & terra Magellanica, & aliæ in Asia & Africa Insulæ ac Provinciæ nondum cognitæ erant.*

In Asia & Africa] *Per totam Asiam reperiuntur Christiani Græcæ Ecclesiæ addicti, ut & Nestorianismo ac Dioscorianismo Vid.Boter.* rel. part.3. l.2. *Armenios tamen ab Eutychianismo liberos esse testatur ex propria illorum confessione, Clariss.Calixtus* in introduct.ad stud. Theolog. sub Tit. de statu relig.Christ. *Vide de his etiam Olearii* itinerar. Persicum. *De omnibus Provinciis Asiæ, ubi adhuc Christiani sunt, scripsit* supr. citat libr. *Boterus ac Calixtus* in suo apparatu, *& Bernh.Varenius* in lib.de div.gent.Reliog. *qui videri possunt. Accusat Boterus & Christianos Assyrios, Chaldæos, Mesopotamios, Parthos, Medos, Nestorianismi; sed Calixtus noster dicit, illos aperta confessione Nestoris dogma haud laudare, sed potius illi anathema dicere. In Africa sunt Abyssini, quorum fines latissimi sunt, de his vid.* itinerarium Aethiopiæ *Fr. Alvarez. arguuntur & hi Eutychianismi, sed illos ab eo errore esse immunes probat Calixtus, ex propria illorum confessione. Sunt & in Aegypto Christiani qui appellantur Cophti, sed sunt Euthychianismo inquinati.*

Oblivisci velimus] *Hoc parum probare videtur adhuc ibi Ecclesiam Dei esse. In plurimis Africæ locis, ubi antea religio Christiana viguit, nunc illam extirpatam esse constat. Ex ipsis etiam Catholicis sæpe hæretici, fundamenta fidei evertentes, Ecclesiamq; Dei desolantes exeunt.*

Pauca sunt] *Hæc tamen non omninò tollunt consonantiam fidei, quam nobiscum habent. Optimè*

ptimè August. l. 1. contra Iulian. c. 2. Multa sunt, *inquit*, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi viri non consonant, sed salva fidei compage.

Humano judicio graviora] *Notatu digna sunt, quæ Ammianus Marcellinus* l. 22. c. 7. *de Iuliano tradit*: Dissidentes Christianorum antistites, cum plebe discissa, in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat ideò obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ, non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.

Quodammodo Martyres] *Christiani enim in Asia, ut & in finibus Abyssinorum, gravissima a Mahometanis patiuntur.*

Damnat nos Ecclesia Romana nos illam] *Vide quæ supra* ad Sect. 3. & 4. *dixi. Adde omninò quæ doctè ac piè Erasmus monet*, in libro de amicabili Ecclesiæ concordia. *Vide & Georg. Wicelii* viam Regiam, *quam ante annum cum ultima parte edidi. Erasmi libri, Conringius noster denuo imprimi curavit.*

Subreformati] *Braunistæ, Anabaptistæ, & aliæ pessimæ novæ sectæ.*

Atomistæ & Familistæ] *Novæ (ut puto in Anglia sectæ. Proprium est sectis orthodoxos damnare, quod testatur de Donatistis Optat. Milevitanus* l. 4. Auditorum, *inquit*, animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis. *Hæ pessimæ sectæ ortæ sunt ex caussis, quæ olim Græciam turbarunt, de quibus Gregoras* l. 10. Histor. Byzant. *ita*: Apud nos etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ, omnesque ratiocinatiunculis & sermonibus syllogisticis sic inhiant, ut herbis & gramini pecudes. Et illi, qui de verâ fide ambigui

bigui sunt, qui nec quomodo credendum sit, sciunt: nec quid sit illud, quod credere se dicunt: illi, inquam, & fora, & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleverunt. *Idem* l.8. *laudans dictum Lysidæ Pythagorici optimè ita:* Apud populum subtiliter philosophari causa hominibus fuit magni contemptus rerum divinarum.

Certatim præcludimus] *Ad quod tamen non ita faciles esse deberemus: nam non omnis error facit hæreticum. Vid.*cauf.24. quæst.3.c.28.29.

Sect. LVI.

MUltos humana sententia damnatos servari arbitror, & multos vicissim damnari, quos illa electis annumerat. Miranda certè, & inopinata, tum misericordiæ, tum justitiæ exempla in judicio extremo spectaturi sumus: ideoque aut hos, aut illos definiri, † non tantum in homine stultitia est, verum etiam in ipsis Dæmonibus insolentia. Spiritus enim illi, utcunque sagacissimi, haud facile de servandis divinare possunt. Id enim si possent, laboribus suis jamdudum supersedissent, non amplius peragratis terris devorandos quæsituri. Qui legem severè interpretantes, Solomonem damnationis reum agunt, eadem quidem opera non seipsos tantum, sed & universum genus humanum damnant; per literam enim, & scriptum Dei verbum nemo mortalium † à mortis pote-

state

ſtate eximitur. Eſt autem prærogativa quædam Divina,† & voluntas arbitraria, legis litera ſuperior, & à cuius ſolo beneficio ſalutem ſperamus. Hæc via Solomoni in cœlum patuit, nec ipſi minus, quam ipſius judicibus.

ANNOTATA
Ad Sect. LVI.

Non tantum in homine ſtultitia eſt, verum etiam in ipſis Dæmonibus inſolentia] *Vide* cauſ.23.quæſt.4.c.14.

A mortis poteſtate eximitur] *Nemo enim ea facit, quæ facere deberet ſecundum mandatum Dei.*

Et voluntas arbitraria] *Quæ eſt gratia, qua Deus nos per fidem, quam ex auditu & lectione divini Verbi ex gratia largitur, ſalvos facit.*

Sect. LVII.

INnumeram iſtam multitudinem, & immenſa eorum agmina, qui ſalutem ambiunt, qui † acus iſtius foramen tranſire cogitant, attonitus ſæpe admirari ſoleo: nomen illud & compellatio, *Grex parve*, pietatem mihi deiecit non conſolatur, præſertim cum meam ad meipſum reverſus vilitatem meditor, quam præ cæteris omnibus longe humillimam judico. Anarchiam in cœlo futuram non arbitror; ſed †ut inter Angelos hierarchiæ ſunt, ita † inter Sanctos, gradus quoſdam fore & ordines dignitatis. Equidem non ordines illos

supremos affecto, non ea est animis ambitio; illud tantum in votis est, quod & abunde fælicitatis fuerit, ut in extremis cœli agminibus extremus subsequar.

ANNOTATA Ad Sect. LVII.

Acus istius foramen] *Vid.* Matth. 19. *Loquitur ibi Christus de divitibus; qui, ut Camelus sine virtute divinâ foramen acus transire non potest, ita illi (nisi singulari Dei virtute aut gratia prohibeantur) adhærent ita bonis ac divitiis, ut Dei oblivis cantur, ac vitam æternam amittant.*

Vt inter Angelos hierarchiæ sunt] *Vide Dionys. Areopag.* in libro de cœlest. hierarchia. c.6 7.8. & seq. *& esse inter illos ordinem patet ex SS. Scriptura. Sunt Archangeli. Vid.* 1. Thess. 4. v. 16. *de Seraphim, vid.* Es. 6. v. 2. *Sunt & Throni & dominationes. Vid.* Rom. 8. v. 38. *Hinc Augustin.* in libro de Priscellian. cap. 11. Esse, *inquit*, sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. *Sed postea dicit.* Quid inter se differant, nescio.

Inter Sanctos, gradus] *Vide* 1. Corinth. 3. v. 8. & 1. Cor. 15. v. 41. *Nulli tamen superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri. Vid. August.* l. ult. de Civ. Dei c. ult.

Sect. LIIX.

ME in numero servandorum esse pro certo quidem † persuasum habeo, nec tamen sic ut ita esse deierare ausim. Constare mihi videtur, & citra omnem dubitatio-

tionem credo, urbem quandam esse quam Constantinopolim nominant: hoc vero jureiurando affirmasse † periurii genus est; cum eius rei certitudinem nullo sensuum testimonio exploratam habeam. Sunt fateor non pauci, qui indubitatam certitudinem jactant; attamen si quis serio & submisso judicio animæ suæ vilitatem reputaverit, † multis profecto dubitationibus continuo occurret, adeoque minime sibi opus esse illud Pauli præceptum competiet, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficite.* † Salutis meæ eandem esse causam statuo, quæ electionis fuerat, Dei nimirum clementiam & beneplacitum, † antequam aut ipse essem, aut orbis fundamina jacerentur. Christi olim oratio fuit, † *antequam Abrahamus* esset, ego sum. Quod tamen aliquo modo de meipso dicere possim; non enim ante meipsum tantum, sed & ante Adamum fueram, nempe † in idea divina, in synodi eius Decreto, quæ per omnem usque æternitatem habita est; quo sensu mundum hunc ante creationem fuisse aio, finemque habuisse, antequam inciperet; sic ipse mortuus sum priusquam viverem, mortuus in paradiso, utcunque sepeliendus in Anglia, ante Cainum natum ex Eva abortivus.

ANNOTATA
Ad Sect. LIIX.

Persuasum habeo] *Iustificatus id sibi persuasum habere, imò certus de hoc esse debet: nam* Roman. 5. *dicit Apostolus quod* iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum. *Vid.* & 1. Ioh. 5.

Periurii genus est] *Si urbs Constantinopolis est, tunc jureiurando affirmare eam esse, non est periurii genus. Multa sunt, quæ non solum credimus, sed etiam scimus, quanquam oculis illa videre non possumus. Optimè August.* c. 1. de Fid. rerum invisibil. dic mihi, *inquit,* amici tui erga te fidelitatem quibus oculis vides. *Multa ex demonstrationibus Mathematicis verissima sunt, quamvis nullo sensuum testimonio probentur.*

Multis dubitationibus occurret] *Qui ex auditu aut lectione verbi Dei peccata sua agnoscentes, cum peccatorum detestatione, ac firmo proposito peccatis abstinendi, pœnitentiam agunt, illisq;, quæ Deus in SS. Scriptura promisit, assensum præbent, firmiterq; credunt, Christum pro illorum peccatis satisfecisse, & propter eius gloriosa merita, peccata sibi esse remissa; illos de salute non quidem sensuum, sed SS. Scripturæ infallibili testimonio certitudinem habere optime docet nostra ecclesia. Hæc tamen certitudo neminem debet securum, negligentem aut superbum reddere: nam non est certitudo, nisi sub illa conditione, si perstemus, si bonis operibus studeamus. Paulus ideò* Philipp. 2. v. 12. *vult,* ut cum timore ac tremore salutem conficiamus. Et 1. Cor. 10. v. 12. ut qui se existimat stare, videat ne cadat. *Hinc August.* de corrept. & grat. c. 13. Quis ex numero fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, præsumat, se esse

in

in numero prædestinatorum, quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.

Salutis meæ eandem causam statuo, quæ electionis fuerat] *Deus in ipsa æternitate cognovit, quænam media illa, per quæ Deus secundum clementiam ac beneplacitum suum homines salvos facere vult, adhibituri sint, & secundum præscientiam alios elegit, alios abiecit. Hinc Paul.*Rom. 8.v.29. *Quos præscivit eos etiam prædestinavit.* & 1.Petr.1.v 2. *Electi sumus* secundum præscientiam Dei Patris. *Qui postea in tempore illis mediis, per quæ Deus ab omni æternitate nos salvos facere constituit, utuntur & observant, servantur.*

Antequam orbis fundamina jacerentur) *Vide* Ephes.1 v.4.

Antequam Abraham esset) *Vid.*Ioh.8.v.58.

In idea divina) *In qua nec præteritum, nec futurum est.*

Sect. LIX.

ZEli insolentes, qui fide tantum freti † opera damnant, merita non tollunt; † fidei enim efficacia confisi Deum quodammodo ad conditionem adigunt, & arte quadam sophistica cœlum vindicant. Decreverat Deus illos tantum, qui canum more † aquam lamberent, cladis Medianiticæ gloriam reportaturos, nec tamen ideo poterat quisquam eorum hanc gloriam, aut jure vendicare, aut se hoc nomine promeruisse, credere. Fidem veram, & qua-

lem Deus exigit, non tantum signum & judicium, verum etiam medium salutis esse, non nego: hæc vero ubi invenienda sit, prorsus ignoro. Si autem Discipuli ipsi, familiares illi Servatoris nostri, † fidem, quantum est sinapis granum, non habuere, quod adeo ipsis obiectavit; quantula tamen movendis montibus suffecisset; illam certe, quam nos jactamus, aut nullam † aut per exiguam esse oportet. Hic fidei meæ tenor est, multa quidem singularia, multa ad abnormem affectum meum accommodata complectens; quæ nisi maturiori aliorum judicio arrideant, omnia repudio, iis tantum patrocinaturus, quæ doctissimorum calculus approbaverit.

ANNOTATA
Ad Sect. LIX.

Opera damnant] *Nostra Ecclesia opera non damnat, ut quæ nec damnari debent. Vide* 1. Corinth. 7. v. 19. *illa enim justificatum sequi debent. Vid.* 1. Ioh. 4. *& reddet Deus unicuique tunc secundum opera ipsius. Vid* Roman. 2. v. 6. & Coloss. 3. v. 23. & Ephes. 6. v. 7. Vid. omninò Rom. 8. v 13. & 2. Petr. 2. & Iacob. 2. v. 14. *Hinc Clemens, Apostolorum auditor, cuius mentionem supra feci,* in prior. Ep. ad Corinth. *cum jam docuisset nos per solam fidem salvari, dicit,* quid igitur faciemus, fratres: cessabimus à bonis operibus, & caritatem derelinquemus? Nullatenus hoc é nobis fieri permittat Dominus, sed cum diligentia & animi alacritate omne opus bonum peragere festinemus. *Hinc Clemens Alexan-*

lexand. Strom. 6. Quando, *inquit*, audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus eum dicere absolutè eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi & opera fuerint consecuta. *& Augustin.* in libr. de fide & operibus, *passim in eos qui opera damnant, invehitur*, & cap 14. ibid. *ita:* Cum ergò dicit Apostolus arbitrari se, justificari hominem sine operibus legis per fidem: non hoc agit, ut præcepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum; *& iterum.* eod. cap. Quoniam hæc opinio tum fuerat exorta (*nimirum homines sine bonis operibus post justificationem posse salvari*) aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè diriguntur intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse, sicut ipse Paulus non quantumlibet fidem, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt. *Vide* totum cap. ut & cap. sequent. præsertim 22.

Fidei efficacia] *Illi nostram salutem per gratiam Dei debemus; & per hanc non arte Sophistica, sed gratia Dei cœlum vendicamus. Vide quæ ad* Sect. 52. *dixi.*

Aquam lamberent] Iudic. 7. v. 5.

Fidem, quantum est sinapis granum, non habuere] *Vide* Matth 17. v. 20. Luc. 17. v. 6. *Sed fides hic accipitur pro fiducia, qua à Deo donum miraculorum obtinetur. Si nunc solum eiusmodi fide conspicui salvandi essent, nulli aut pauci æternæ beatitudinis participes fierent: nam dona miraculorum desierunt. Nec aliquem eiusmodi fide justificari docet Paulus* 1. Corinth 13. v. 2. *Quod ergò Auctor hic profert, non tangit fidem justificam aut salvificam.*

Quan-

Quantula tamen movendis montibus sufficisset] *Vid.* Matth. 21. v. 21.

Aut perexiguam esse] *Ipsa Apostolorum fuit perexigua. Si accipias fidem pro fiducia, qua miracula ab illis edita sunt, comparat Servator noster eam,* Matth. 17. v. 20. & Luc. 17. *cum grano sinapis. Si accipias eam pro notitia in intellectu, ipsi non credebant mortem & resurrectionem Christi sæpius ab ipso Servatore nostro prædicatam. Vid.* Ioann. 20. v. 25. & seq. Luc. 24. v. 11. 12 Marc. 16. v. 11. 12. Matth. 28. v. 18. *Fatendum etiam est, fidem illam, qua coram Deo justificamur: quæ est fiducia, qua apprehendimus promissa de gratia & remissione peccatorum, in iisq; acquiescimus, esse sæpè adeò exiguam apud nos, ut opus habeamus exclamare ac flere cum Patre illo* apud Marc. 9. v. 24. Credo Domine adiuva incredulitatem meam. *& nullum est dubium, misericordem Deum, eiusmodi exiguam fidem habentibus opem laturum.*

PARS

PARS ALTERA.

Sect. I.

QUod autem ad *charitatem*, alteram illam virtutem attinet; † ſine qua fides nihil aliud quam notio eſt nullius exiſtentiæ: † ingenium illud miſericors, & humanum, quod à parentibus accepi, fovere ſemper, & ad ſcriptas præceptasque charitatis leges formare conatus ſum. Et ſi meipſius anatomiam recte calleo, ad virtutem hanc formatus, & fictus à natura videor. Is enim ſum, qui omnis hominum generis ſocietatem amplector, nec ab ullius conſuetudine abhorreo. In diæta, affectibus, aëre, & ſimilibus, antipathia, ſeu potius ἰδιοσυγκρασία mihi nulla eſt, † ranas, teſtudines, & fungos, gallorum dapes non miror, † non Iudæorum locuſtas; eadem etiam quoties adeſſe contigit una pranſurus; nec meus hæc magis, quam illorum ſtomachus averſatur. Olera è cœmeterio non minus libenter edo, quam ex horto lecta. † Non ſerpente, † ſcorpio, lacerto, & † ſalamandra viſis territus reſilio, non † bufone, aut vipera conſpectis lapidem quæro. Vulgares antipathias, quas in aliis ſentio, in memetipſo non reperio;

† non

† non innatas illas Gentium inimicitias; non Gallum, Italum, Hispanum, aut Belgam ex præjudicio intueor: Sed in quibuscunque ingenium, aut mores æque probatos reperio, hos omnes aliquatenus amplector & colo. † In climate quidem octavo natus sum: ita tamen ut ad unumquodque æque natus, & constellatus videar. Non eius fortis planta sum, quæ non nisi in hortis vigeat. † Quodlibet cœlum, quælibet regio mihi patria est; & quicunque me locus, aut meridianus habeat, in Anglia sum. † Naufragus fui, nec tamen aut ventos aut fluctus odi. † Sæviente tempestate, aut meditari, aut ludere, aut dormire possum. Omnino † denique rem nullam aversor. Mendacii me argueret conscientia, si præter Dæmonem unum, me ullam essentiam ita detestari aut audisse dixero, ut in gratiam nequeamus redigi. E vulgaribus odii obiectis si quod sit, quod contemno & rideo, non aliud est, quam † prodigiosum illud & multiceps monstrum, † omni religioni, † virtuti, & rationi inimicum, vulgum dico, quem si disjunctim & seorsim contempleris, homines quidem vides, & Dei creaturas ratione præditas, idem ingens bellua est, † Hydra ipsa monstrosior in unum confusus. † Hos stultos vocare charitas non vetat, nec enim eos alio nomine † dignati sunt Scriptores divini:

ni : Hoc Solomon in canonica ſcriptura prodidit, quod adeo nos inter fidei articulos recipere tenemur. Vulgum autem cum dico, non plebeculam tantum, & infimæ ſortis homunciones intelligo: † Eſt & inter Patricios plebeia quædam & ignobilis turba, ex eodem prorſus luto fictam diceres; hominum quidem genus ipſis mechanicis contribule, ut cunque animi tenuitatem deauret † cenſus, & crumena pro ſtultitia tranſigat. Sicut autem in ſupputandis rationibus nonnunquam accidit, ut aliquis inferioris notæ in ſolo loco poſitus, reliquos ſuperet: † Sic pluris ſæpe æſtimandus eſt ſpretus aliquis, & contemptus homuncio, quam univerſa illa deauratorum ſtipitum turba, utcunque huius conditionem iſtorum pedibus fortuna ſubiecerit. Eſt quædam, ut politice fabulemur, † ſine Faſtis nobilitas, dignitas à natura unicuique tributa, qua ſuum quisq; ordinem ſortitur, meritis & pretio reſpondentem. Quamvis autem ſæculi iſtius improbitate, & iniquiſſimæ conſuetudinis tyrannide factum ſit, ut diverſa plane hodie ſit rerum facies, tamen † in primis, & præcipuis Rebuspubl. hoc ſemper obtinuit, & adhuc etiam in civitatum bene inſtitutarum integritate, & cunabulis tandiu obtinet, dum morum nequitia molleſcat, & divitiis, quas vulgus congerit, & prudentiores quiq; negligunt, omnia tandem venalia ſint. AN-

gatis l. 4 Mundum duobus Solibus non posse regi, nec duos summa regna, salvo statu terrarum posse habere.

Cum nondum dimidium] *Imò ne quinquagesimam partem. America enim, & terra Magellanica, & aliæ in* Asia *& Africa Insulæ ac Provinciæ nondum cognitæ erant.*

In Asia & Africa] *Per totam Asiam reperiuntur Christiani Græcæ Ecclesiæ addicti, ut & Nestorianismo ac Dioscorianismo Vid. Boter.* rel. part. 3. l. 2. *Armenios tamen ab Eutychianismo liberos esse testatur ex propria illorum confessione. Clariss. Calixtus* in introduct. ad stud. Theolog. sub Tit. de statu relig. Christ. *Vide de his etiam Olearii* itinerar. Persicum. *De omnibus Provinciis Asiæ, ubi adhuc Christiani sunt, scripsit* supr. citat libr. *Boterus ac Calixtus* in suo apparatu, *& Bernh. Varenius* in lib. de div. gent. Reliog. *qui videri possunt. Accusat Boterus & Christianos Assyrios, Chaldæos, Mesopotamios, Parthos, Medos, Nestorianismi; sed Calixtus noster dicit, illos aperta confessione Nestoris dogma haud laudare, sed potius illi anathema dicere. In Africa sunt Abyssini, quorum fines latissimi sunt, de his vid.* itinerarium Aethiopiæ *Fr. Alvarez. arguuntur & hi Eutychianismi, sed illos ab eo errore esse immunes probat Calixtus, ex propria illorum confessione. Sunt & in Aegypto Christiani qui appellantur Cophti, sed sunt Euthychianismo inquinati.*

Oblivisci velimus] *Hoc parum probare videtur adhuc ibi Ecclesiam Dei esse. In plurimis Africæ locis, ubi antea religio Christiana vignit, nunc illam extirpatam esse constat. Ex ipsis etiam Catholicis sæpe hæretici, fundamenta fidei evertentes, Ecclesiamq; Dei desolantes exeunt.*

Pauca sunt] *Hæc tamen non omninò tollunt consonantiam fidei, quam nobiscum habent. Optimè*

ptimè August. l. 1. contra Iulian. c. 2. Multa sunt, *inquit*, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi viri non consonant, sed salva fidei compage.

Humano judicio graviora] *Notatu digna sunt, quæ Ammianus Marcellinus* l. 22, c. 7. *de Iuliano tradit*: Dissidentes Christianorum antistites, cum plebe discissa, in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat ideò obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ, non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.

Quodammodo Martyres] *Christiani enim in Asia, ut & in finibus Abyssinorum, gravissima a Mahometanis patiuntur.*

Damnat nos Ecclesia Romana nos illam] *Vide quæ supra* ad Sect. 3. & 4. *dixi. Adde omninò quæ doctè ac piè Erasmus monet*, in libro de amicabili Ecclesiæ concordia. *Vide & Georg. Wicelii* viam Regiam, *quam ante annum cum ultima parte edicti. Erasmi libri, Conringius noster denuo imprimi curavit.*

Subreformati] *Braunistæ, Anabaptistæ, & aliæ pessimæ novæ sectæ.*

Atomistæ & Familistæ] *Novæ (ut puto in Anglia sectæ. Proprium est sectis orthodoxos damnare, quod testatur de Donatistis Optat. Milevitanus* l. 4. Auditorum, *inquit*, animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis. *Hæ pessimæ sectæ ortæ sunt ex causis, quæ olim Græciam turbarunt, de quibus Gregoras* l. 10. Histor. Byzant. *ita*: Apud nos etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ, omnesque ratiocinatiunculis & sermonibus syllogisticis sic inhiant, ut herbis & gramini pecudes. Et illi, qui de verâ fide ambigui

bigui sunt, qui nec quomodo credendum sit, sciunt: nec quid sit illud, quod credere se dicunt: illi, inquam, & fora, & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleverunt. *Idem* l.8. *laudans dictum Lysidæ Pythagorici optimè ita:* Apud populum subtiliter philosophari causa hominibus fuit magni contemptus rerum divinarum.

Certatim præcludimus] *Ad quod tamen non ita faciles esse deberemus: nam non omnis error facit hæreticum. Vid.*caus.24. quæst.3.c.28.29.

Sect. LVI.

MUltos humana sententia damnatos servari arbitror, & multos vicissim damnari, quos illa electis annumerat. Miranda certè, & inopinata, tum misericordiæ, tum justitiæ exempla in judicio extremo spectaturi sumus: ideoque aut hos, aut illos definiri, † non tantum in homine stultitia est, verum etiam in ipsis Dæmonibus insolentia. Spiritus enim illi, utcunque sagacissimi, haud facile de servandis divinare possunt. Id enim si possent, laboribus suis jamdudum supersedissent, non amplius peragratis terris devorandos quæsituri. Qui legem severè interpretantes, Solomonem damnationis reum agunt, eadem quidem opera non seipsos tantum, sed & universum genus humanum damnant; per literam enim, & scriptum Dei verbum nemo mortalium † à mortis potestate

state

ſtate eximitur. Eſt autem prærogativa quædam Divina,† & voluntas arbitraria, legis litera ſuperior, & à cuius ſolo beneficio ſalutem ſperamus. Hæc via Solomoni in cœlum patuit, nec ipſi minus, quam ipſius judicibus.

ANNOTATA Ad Sect. LVI.

Non tantum in homine ſtultitia eſt, verum etiam in ipſis Dæmonibus inſolentia] *Vide* cauſ.23.quæſt.4.c.14.

A mortis poteſtate eximitur] *Nemo enim ea facit, quæ facere deberet ſecundum mandatum Dei.*

Et voluntas arbitraria] *Quæ eſt gratia, qua Deus nos per fidem, quam ex auditu & lectione divini verbi ex gratia largitur, ſalvos facit.*

Sect. LVII.

INnumeram iſtam multitudinem, & immenſa eorum agmina, qui ſalutem ambiunt, qui † acus iſtius foramen tranſire cogitant, attonitus ſæpe admirari ſoleo: nomen illud & compellatio, *Grex parve*, pietatem mihi deiecit non conſolatur, præſertim cum meam ad meipſum reverſus vilitatem meditor, quam præ cæteris omnibus longe humillimam judico. Anarchiam in cœlo futuram non arbitror; ſed †ut inter Angelos hierarchiæ ſunt, ita † inter Sanctos ; gradus quoſdam fore & ordines dignitatis. Equidem non ordines illos

ſupremos affecto, non ea eſt animis ambitio; illud tantum in votis eſt, quod & abunde fælicitatis fuerit, ut in extremis cœli agminibus extremus ſubſequar.

ANNOTATA Ad Sect. LVII.

Acus iſtius foramen] *Vid.* Matth. 19. *Loquitur ibi Chriſtus de divitibus; qui, ut Camelus ſine virtute divinâ foramen acus tranſire non poteſt, ita illi (niſi ſingulari Dei virtute aut gratia prohibeantur) adhærent ita bonis ac divitiis, ut Dei obliviſcantur, ac vitam æternam amittant.*

Vt inter Angelos hierarchiæ ſunt] *Vide Dionyſ. Areopag.* in libro de cœleſt. hierarchia. c.6 7.8. & ſeq. *Et eſſe inter illos ordinem patet ex SS.Scriptura. Sunt Archangeli. Vid.* 1. Theſſ.4. v. 16. *de Seraphim, vid.* Eſ.6.v.2. *Sunt & Throni & dominationes. Vid.* Rom.8. v.38. *Hinc Auguſtin.* in libro de Priſcellian. cap.11. Eſſe, *inquit*, ſedes, dominationes, principatus, poteſtates in cœleſtibus apparatibus, firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo. *Sed poſtea dicit.* Quid inter ſe differant, neſcio.

Inter Sanctos, gradus] *Vide* 1. Corinth. 3. v.8. & 1.Cor. 15. v. 41. *Nulli tamen ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri. Vid. Auguſt.* l.ult. de Civ. Dei c. ult.

Sect. LIIX.

ME in numero ſervandorum eſſe pro certo quidem † perſuaſum habeo, nec tamen ſic ut ita eſſe deierare auſim. Conſtare mihi videtur, & citra omnem dubitatio-

tionem credo, urbem quandam esse quam Constantinopolim nominant: hoc vero jureiurando affirmasse † periurii genus est; cum eius rei certitudinem nullo sensuum testimonio exploratam habeam. Sunt fateor non pauci, qui indubitatam certitudinem jactant; attamen si quis serio & submisso judicio animæ suæ vilitatem reputaverit, † multis profecto dubitationibus continuo occurret, adeoque minime sibi opus esse illud Pauli præceptum comperiet, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficite.* † Salutis meæ eandem esse causam statuo, quæ electionis fuerat, Dei nimirum clementiam & beneplacitum, † antequam aut ipse essem, aut orbis fundamina jacerentur. Christi olim oratio fuit, † *antequam Abrahamus* esset, ego sum. Quod tamen aliquo modo de meipso dicere possum; non enim ante meipsum tantum, sed & ante Adamum fueram, nempe † in idea divina, in synodi eius Decreto, quæ per omnem usque æternitatem habita est; quo sensu mundum hunc ante creationem fuisse aio, finemque habuisse, antequam inciperet; sic ipse mortuus sum priusquam viverem, mortuus in paradiso, utcunque sepeliendus in Anglia, ante Cainum natum ex Eva abortivus.

in numero prædestinatorum, quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.

Salutis meæ eandem causam statuo, quæ electionis fuerat] *Deus in ipsa æternitate cognovit, quænam media illa, per quæ Deus secundum clementiam ac beneplacitum suum homines salvos facere vult, adhibitari sint, & secundum præscientiam alios elegit, alios abiecit. Hinc Paul.* Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit eos etiam prædestinavit.* & 1. Petr. 1. v. 2. *Electi sumus* secundum præscientiam Dei Patris. *Qui postea in tempore illis mediis, per quæ Deus ab omni æternitate nos salvos facere constituit, utuntur & observant, servantur.*

Antequam orbis fundamina jacerentur) *Vide* Ephes. 1 v. 4.

Antequam Abraham esset) *Vid.* Ioh. 8. v. 58.

In idea divina) *In qua nec præteritum, nec futurum est.*

Sect. LIX.

ZEli insolentes, qui fide tantum freti † opera damnant, merita non tollunt; † fidei enim efficacia confisi Deum quodammodo ad conditionem adigunt, & arte quadam sophistica cœlum vindicant. Decreverat Deus illos tantum, qui canum more † aquam lamberent, cladis Medianiticæ gloriam reportaturos, nec tamen ideo poterat quisquam eorum hanc gloriam, aut jure vendicare, aut se hoc nomine promeruisse, credere. Fidem veram, & qua-

lem Deus exigit, non tantum signum & judicium, verum etiam medium salutis esse, non nego: hæc vero ubi invenienda sit, prorsus ignoro. Si autem Discipuli ipsi, familiares illi Servatoris nostri, † fidem, quantum est sinapis granum, non habuere, quod adeo ipsis obiectavit; quantula tamen movendis montibus sufficisset; illam certe, quam nos jactamus, aut nullam † aut per exiguam esse oportet. Hic fidei meæ tenor est, multa quidem singularia, multa ad abnormem affectum meum accommodata complectens; quæ nisi maturiori aliorum judicio arrideant, omnia repudio, iis tantum patrocinaturus, quæ doctissimorum calculus approbaverit.

ANNOTATA Ad Sect. LIX.

Opera damnant] *Nostra Ecclesia opera non damnat, ut quæ nec damnari debent. Vide* 1. Corinth. 7. v. 19. *illa enim justificatum sequi debent. Vid.* 1. Ioh. 4. *& reddet Deus unicuique tunc secundum opera ipsius. Vid* Roman. 2. v. 6. & Coloss. 3. v. 23. & Ephes. 6. v. 7. Vid. omninò Rom. 8. v 13. & 2. Petr. 2. & Iacob. 2. v. 14. *Hinc Clemens, Apostolorum auditor, cuius mentionem supra feci*, in prior. Ep. ad Corinth. *cum jam docuisset nos per solam fidem salvari, dicit*, quid igitur faciemus, fratres: cessabimus à bonis operibus, & caritatem derelinquemus? Nullatenus hoc è nobis fieri permittat Dominus, sed cum diligentia & animi alacritate omne opus bonum peragere festinemus. *Hinc Clemens Alexan-*

lexand. Strom. 6. Quando, *inquit*, audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus eum dicere absolutè eos salvos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi & opera fuerint consecuta. *& Augustin.* in libr. de fide & operibus, *passim in eos qui opera damnant, invehitur*, & cap 14. ibid. *ita:* Cum ergò dicit Apostolus arbitrari se, justificari hominem sine operibus legis per fidem: non hoc agit, ut præcepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum; *& iterum.* eod. cap. Quoniam hæc opinio tum fuerat exorta (*nimirum homines sine bonis operibus post justificationem posse salvari*) aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè diriguntur intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse, sicut ipse Paulus non quantumlibet fidem, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt. *Vide* totum cap. ut & cap. sequent. præsertim 22.

Fidei efficacia] *Illi nostram salutem per gratiam Dei debemus; & per hanc non arte Sophistica, sed gratia Dei cœlum vendicamus. Vide quæ ad* Sect. 52. *dixi.*

Aquam lamberent] Iudic. 7. v. 5.

Fidem, quantum est sinapis granum, non habuere] *Vide* Matth 17. v. 20. Luc. 17. v. 6. *Sed fides hic accipitur pro fiducia, qua à Deo donum miraculorum obtinetur. Si nunc solum eiusmodi fide conspicui salvandi essent, nulli aut pauci æternæ beatitudinis participes fierent: nam dona miraculorum desierunt. Nec aliquem eiusmodi fide justificari docet Paulus* 1. Corinth 13. v. 2. *Quod ergo Auctor hic profert, non tangit fidem justificam aut salvificam.*

Quan-

Quantula tamen movendis montibus suffecisset] *Vid.* Matth. 21. v. 21.

Aut perexiguam esse] *Ipsa Apostolorum fuit perexigua. Si accipias fidem pro fiducia, qua miracula ab illis edita sunt, comparat Servator noster eam,* Matth. 17. v. 20. & Luc. 17. *cum grano sinapis. Si accipias eam pro notitia in intellectu, ipsi non credebant mortem & resurrectionem Christi sæpius ab ipso Servatore nostro prædicatam. Vid.* Ioann. 20. v. 25. & seq. Luc. 24. v. 11. 12 Marc. 16. v. 11. 12. Matth. 28. v. 18. *Fatendum etiam est, fidem illam, qua coram Deo justificamur: quæ est fiducia, qua apprehendimus promissa de gratia & remissione peccatorum, in iisq; acquiescimus, esse sæpè adeò exiguam apud nos, ut opus habeamus exclamare ac flere cum Patre illo* apud Marc. 9. v. 24. Credo Domine adiuva incredulitatem meam. *& nullum est dubium, misericordem Deum, eiusmodi exiguam fidem habentibus opem laturum.*

PARS

PARS ALTERA.

Sect. I.

QUod autem ad *charitatem*, alteram illam virtutem attinet; † sine qua fides nihil aliud quam notio est nullius existentiæ: † ingenium illud misericors, & humanum, quod à parentibus accepi, fovere semper, & ad scriptas præceptasque charitatis leges formare conatus sum. Et si meipsius anatomiam recte calleo, ad virtutem hanc formatus, & fictus à natura videor. Is enim sum, qui omnis hominum generis societatem amplector, nec ab ullius consuetudine abhorreo. In diæta, affectibus, aëre, & similibus, antipathia, seu potius ἰδιοσυγκρασία mihi nulla est, † ranas, testudines, & fungos, gallorum dapes non miror, † non Iudæorum locustas; eadem etiam quoties adesse contigit una pransurus; nec meus hæc magis, quam illorum stomachus aversatur. Olera è cœmeterio non minus libenter edo, quam ex horto lecta. † Non serpente, † scorpio, lacerto, & † salamandra visis territus resilio, non † bufone, aut vipera conspectis lapidem quæro. Vulgares antipathias, quas in aliis sentio, in memetipso non reperio;

† non

† non innatas illas Gentium inimicicias; non Gallum, Italum, Hispanum, aut Belgam ex præjudicio intueor: Sed in quibuscunque ingenium, aut mores æque probatos reperio, hos omnes aliquatenus amplector & colo. † In climate quidem octavo natus sum: ita tamen ut ad unumquodque æque natus, & constellatus videar. Non eius fortis planta sum, quæ non nisi in hortis vigeat. † Quodlibet cœlum, quælibet regio mihi patria est; & quicunque me locus, aut meridianus habeat, in Anglia sum. † Naufragus fui, nec tamen aut ventos aut fluctus odi. † Sæviente tempestate, aut meditari, aut ludere, aut dormire possum. Omnino † denique rem nullam aversor. Mendacii me argueret conscientia, si præter Dæmonem unum, me ullam essentiam ita detestari aut audisse dixero, ut in gratiam nequeamus redigi. E vulgaribus odii obiectis si quod sit, quod contemno & rideo, non aliud est, quam † prodigiosum illud & multiceps monstrum, † omni religioni, † virtuti, & rationi inimicum, vulgum dico, quem si disjunctim & seorsim contempleris, homines quidem vides, & Dei creaturas ratione præditas, idem ingens bellua est, † Hydra ipsa monstrosior in unum confusus. † Hos stultos vocare charitas non vetat, nec enim eos alio nomine † dignati sunt Scriptores divi-

ni:

ni : Hoc Solomon in canonica ſcriptura prodidit, quod adeo nos inter fidei articulos recipere tenemur. Vulgum autem cum dico, non plebeculam tantum, & infimæ ſortis homunciones intelligo : † Eſt & inter Patricios plebeia quædam & ignobilis turba, ex eodem prorſus luto fictam diceres ; hominum quidem genus ipſis mechanicis contribule, ut cunque animi tenuitatem deauret † cenſus, & crumena pro ſtultitia tranſigat. Sicut autem in ſupputandis rationibus nonnunquam accidit, ut aliquis inferioris notæ in ſolo loco poſitus, reliquos ſuperet : † Sic pluris ſæpe æſtimandus eſt ſpretus aliquis, & contemptus homuncio, quam univerſa illa deauratorum ſtipitum turba, utcunque huius conditionem iſtorum pedibus fortuna ſubiecerit. Eſt quædam, ut politice fabulemur, † ſine Faſtis nobilitas, dignitas à natura unicuique tributa, qua ſuum quiſq; ordinem ſortitur, meritis & pretio reſpondentem. Quamvis autem ſæculi iſtius improbitate, & iniquiſſimæ conſuetudinis tyrannide factum ſit, ut diverſa plane hodie ſit rerum facies, tamen † in primis, & præcipuis Rebuspubl. hoc ſemper obtinuit, & adhuc etiam in civitatum bene inſtitutarum integritate, & cunabulis tandiu obtinet, dum morum nequitia molleſcat, & divitiis, quas vulgus congerit, & prudentiores quiq; negligunt, omnia tandem venalia ſint.

ANNOTATA
Ad Sect. I.

Sine qua fides nihil aliud quam notio est nullius existentiæ] *Vid.* 1. Corinth. 13.v.2. 1. Ioh. 4.v.8. *Vide & August.* in libro de fide & oper. cap.13.

Ingenium misericors, quod à parentibus accepi, ad scriptas charitatis leges formare conatus sum] *Magna felicitas est natura ipsa instructum esse ad bona: illam tamen non solum sufficere agnoverunt & Ethnici. Laërt.*l.5.c.1. *Prodit Aristotelem Stagiritam dixisse, tria ad solidam sapientiam parandam esse necessaria: naturam, doctrinam & exercitationem. Idem testatur Plutarchus* in libro de instit.libr. *Tamen bona accreta institutio & consuetudo innatis vitiis mederi potest. Hinc Plutarch.* d. libro. Si existimes, *inquit*, minus feliciter natos institutionem tamen & exercitationem sortitos ad virtutem rectam non posse vitium naturæ corrigere: Scito magnoperè tè aut potius omninò falli: Siquidem naturæ dotem labefactat socordia; Pravitatem doctrina emendat.

Ranas, testudines, & fungos] *A multis comeduntur, & pro magnis delitiis habentur. vide apud Aldrovand.* l.2.de quadrup. digit. Ovid.c.1. *Testudines esse sanas prodit. Plin.* l.32.c.4. *Fungis etiam Romani vesci assueverant. Vid.Plin.*l. 22. cap.23.

Non Iudæorum locustas] *Quibus Ioannes in deserto vescebatur. vid.* Matt.3. v.4. *Eduntur illæ à multis orientalibus populis. vid.* Lev. 11. v.22. *Parthis hæ in cibo gratæ. Plin.*lib.11. cap.29. Pars quædam Aethiopum tantum vivit locustis, fumo & sale duratis in annua alimenta. *Plin.* l.6.c.30. *Vid. & Diodor. Sicul.* l.3. *& adhuc Incolæ Madagascar illis vescuntur, ut testatur oculatus*

latus testis Wilhelm Isbrand Bontekuche, Navarchus Hollandus, in relatione, quam scripsit de India Orientali.

Non serpente] *Qui, quia vermis nocuus est, terrorem, raro videntibus illum affert. De odio illo, quod inter homines & serpentes est, Vid.* Genes. 3. v. 15. & *Augustin.* l. 2. de Genes. contra Monichæos c. 18.

Scorpio] *Qui parum in Italia, quæ nunc is abundat, terret. Habent Itali contra illorum venenum præsentissimum remedium: Ipsos Scorpiones in oleo putrefaciunt, & eo vulnera perungunt. Cum Scorpio etiam subito post ictum supra vulneris manu conteratur, innocuus est ictus. Prodit Plin.* l. 11. c. 25. Psyllos sæpe conatos fuisse in Italiam importare Scorpiones, sed vivere intra Siculi cœli regionem haud potuisse. *Nunc sane magna ibi est copia. Tradit idem*, quod videantur interdum in Italia, sed innocui; *quod nunc etiam falsum est: adeo tempora omnia mutant.*

Salamandra] Huic, *teste Plinio* l. 10. c. 67. tantus est rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quam glacies. Ejusdem saniє quacunque parte corporis humani contacta toti defluunt pili. *Sed Matthiolus tradit, se hanc in igne positam brevi tempore combustam vidisse. Propterea multi putant, hanc principio quidem igni resistere, sed temporis tractu flammis consumi. Vid. Aldrovand.* de quadr. digitat. Ovipar. l. 1. c. 9 *Idem scribit, esse animal horrendum aspectu, & quod intuentibus nauseam pariat. Prodit & ex Matthiolo, in nostra Germania sylvis Salamandram terrestrem inveniri.*

Bufone] *De natura Bufonis, ejus veneno, generatione &c. vid. Aldrovand.* l. 1. de quadruped. digit. Ovipar, c. 2. *est animal venenosum ac difforme.*

Non innatas gentium inimicitias] *Nam plerumque vicinæ gentes se invicem odio prosequuntur. Sic Angli in publicis plateis Londini non abstinent prætereuntem more gallico vestitum appellare* Frenche Dogge. *Odium inter Hispanos ac Gallos, inter Schotos atq; Anglos, inter Danos ac Suecos, inter Turcas atq; Ungaros notum est.*

In climate octavo] *Clima est terræ spatium duobus parallelis comprehensum. Hæc climata à Geographis excogitata sunt, ut eo facilius variationem dierum exhibeant. Anglia sub climate octavo sita est.*

Quilibet cœlum, quælibet regio] *Prodit Cicero* l. 5. Tusculan. quæst. *de Socrate*, quum rogaretur cujatem se esse diceret? mundanum se esse pronunciasse. Totius enim mundi se incolam ac civem arbitrabatur. *Sic Diogenes Cynicus* interrogatus à quodam cujas esset, respondit civis mundi, significans forti viro omne solum esse patriam. *Vid. Laërt.* l. 6. *Hinc Zeno Stoicorum princeps voluit, ut omnes mortales dicamus populares nostros. Vid. Plutarch.* in orat. 1. de Alexandr. fortit. atq; virt.

Naufragus fui nec ventos ac fluctus odi] *Plerumq; tamen semel naufragium passi infidum mare timent, ideoq; non sine horrore se ei committunt. Ad id respexit Cato major, qui teste Plutarcho* in ejus vita, *dixit:* se tria in vita sua commisisse, quorum pœniteret: Primum si mulieri arcanum commisisset: alterum si eo navigasset, quo pedestri licuisset itinere venire: tertium si qua die nihil seriæ rei egisset.

Sæviente tempestate aut meditati aut ludere] *Omnis Philosophus modo nausea marina non impediat, id præstare debet. Omnia enim quæ agimus, in aliquem finem fieri debent: sed in quem finem timor, horror &c? Possumus ne ita*

seda-

sedare Neptuni furorem aut Aeoli turbas? Quicquid emendari non potest infracto ferendum est animo.

Deniquerem nullam averſor] *Placet mihi quod Pater Senau* in libro, *quem gallica lingua ſcripſit,* de uſu affectuum, in 2. part.1.tract.disc. 3. *ita*: Les creatures peuuent eſtre conſiderées en trois eſtats: ou comme des voyes qui nous conduiſent à noſtre dernier fin, & elles doibvent eſtre aimees; ou comme des ſilets; qui nous arreſtent en la terre, & elles doivent eſtre evitees, ou commes des inſtruments dont la iuſtice divine ſe ſert pour nous punir, & elles doivent eſtre reverees. *Hoc eſt creaturæ triplici modo conſiderari poſſunt, vel ut via, quæ nos ad ultimum finem ducit, & tunc amari debent: aut ut retia, quæ nos in terra detinent, & debent evitari; aut ut inſtrumenta, quibus divina juſtitia ad puniendum nos utitur, & illas tunc revereri debemus.*

Prodigioſum & multiceps monſtrum] *Hinc Cicero,* in orat. pro Muræna: Quod fretum, *inquit*, quem Euripum, tot motus, tantas tam varias habere putatis agitationes fluctuum &c. nihil eſt incertius vulgo. & in orat. pro T. Annio Milone Nihil, *inquit*, eſt tam molle tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas (*ſc. vulgi*) erga nos. *Hinc Curt.* l. 10. Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus: quantos multitudo motus habet. *Hinc apud Senec.* in Herc. furent. chor. act. 1.

Illum populi favor attonitum
Fluctuq; magis mobile vulgus,
Aura tumidum tollit inani.

Et Virgil. l. 2. Aeneid.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Omni religioni) *Lystrenses Barnabæ ut Jovi, & Paulo ut Mercurio, sacrificare primo die volebant, altero Paulum lapidare non dubitabant. Vid.* Actor. 14. *Et quam deditum vulgus superstitionibus sit, ex omnium seculorum historia discimus.*

Virtuti & rationi) *Nam affectibus non ratione ducitur. Hinc Phocion, ut Plutarch.* in apophtheg. græc. *scribit, putabat nihil vulgo posse placere, quod à recta ratione proficisceretur. Pythagoras inter symbola posuit* : popularibus viis ne incedito. *Quod secundum Athenæum significat, à vulgi sententia procul sis, & Petrarcha eleganter :*

Mentre al volgo dietro vai,
E la sua opinione cicca dura :
Esser felice non tu puo giamai.

Nam secundum Senecam in Hippolyto act. 3. in fine,

Tradere turpi fasces populus
Gaudet : eosdem colit atque odit.

Idem in Octavia Act. 5. in chor.

O funestus multis populi
Dirusque favor ! qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit,
Vexitque procul ; languidus idem
Deserit alto sævoque mari.

& Juvenal. satyr. 10.

——idem populus si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.

Ejusmodi laudibus vehunt illum omnes Poëtæ atq; Historici. Eadem pravitate insectabatur interfectum Vitellium, qua viventem foverat. Vid. Tacit. l. 3. Hist. c. 85.

Hydra] *Poëtæ fingunt Hydram esse serpentem multorum capitum in Lernæa Palude, cui capi-*

capite uno exciso, aliud mox recrescit. Vt enim ille serpens propter capitum multitudinem valde monstrosius est: ita & vulgus propter multitudinem ac varietatem opinionum. Hinc Cicero pro domo: In multitudine, *inquit*, est varietas, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum mutatio.

Hos stultos vocare charitas non vetat] *Alioquin scriptum est*, Matth.5.v.22. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. *S. August.* in libr. de sermone Domini in monte c.19. Duo, *inquit*, subaudiuntur; & fratri suo, & sine causa: Hoc est, unde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat, non enim id fecit sine causa.

Dignati sunt Scriptores divini] *Vt Salomo* in proverb. passim.

Est inter Patricios plebeia quædam & ignobilis turba] *Optimè Socrates dixit:* Neque frumentum optimum judicamus, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commodè nutrit, neque virum bonum & studiosum, aut amicum benevolum, qui genere clarus, sed qui moribus egregiis fuerit. *Vid. Stobæum* serm. 84. ex vers. Gesner.

Census & crumena pro stultitia transigant] *Hinc Horat.* in lib.1.epist.6.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Hinc Euripides apud Stobæum sermon.89. ex vers. Conradi Gesneri.

Qui verò prius nihil erant, nunc divites facti
Gloriam assequuntur propter nummos.

Et Ovid. l.1. Fastor.

In pretio pretium nunc est, dat census honores;
Census amicitias; pauper ubique jacet.

Idem l.3. Amor. eleg. 7.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores
Inde gravis judex: inde severus Eques.

Sic pluris sæpe æstimandus est spretus aliquis homuncio] *Nam nobilis sine virtute non est nobilis. Hinc Auctor* Panegyr. ad Pisonem :

Nam quid imaginibus, quid avitis vulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat ? Perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine sola,

Et juvenal. sat. 8. in pr,

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo,
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Aemilianos:
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur,

Et iterum in eadem satyr. in fin.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Imo majori vituperio dignus. Nam secundum eundem Juven. d. sat. 8. v. 140.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Vide & Horat. lib. 1. sat. 6. *ubi Romanorum de nobilitate judicium increpat, quod eam antiquitate non virtute metirentur. Idem* libr. 4. od. 4.

Doctrina sed vim promovet insitam:
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Ut illi minimi æstimandi sunt, qui solum imaginibus aut stemmatibus freti virtutum osores se præbent: & illi, qui nulla alia re quam opulentia clari sunt. Hinc Lactant. lib. 5. c. 15. Divitiæ non

non faciunt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. *Hinc Euripides apud Stobaeum* serm. 84. ex versione Gesner.

—— Una generis eademque origo
Nobiles ac ignobiles produxit.
Tempus autem legibus arbitrariis nobilitatem efficit magis gloriosam.
Sed in prudentia nobilitas sita est: ac intellectus
Non à divitiis, sed divinitus datur.

Et Horat. Epod. 4.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.

Sine fastis nobilitas] *Seneca* in Epist. 44. *eleganter*: Bona mens, *inquit*, omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec rejicit quenquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem Philosophia sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem, si hoc protinus tibi persuaseris à nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. Nullius non origo ultra memoriam jacet. Plato ait: Neminem regē non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus. *Iterum*: Quis ergo generosus? Ad virtutem benè à natura compositus. Hoc unum est intuendum. Alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. *Paulò post pergit*: Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. *Hinc Auctor declamationis in Sallustium, quæ falsò Ciceroni tribuitur*: numquid ii, *inquit*, quos protulit, (*nimirum Sallustius*) Scipiones & Metelli

ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res gestæ suæ & vita innocentissimè acta commendavit? Quod si hoc fuit illis initium nominis & dignitatis: cur non æque de nobis existimetur? cuius & res gestæ illustres sunt & vita integerrime acta.

Ex his & præcedentibus patet multa contra nobilitatem civilem proferri posse; & secundum multorum opinionem, Nobiles non majori numero habendi videntur, quam plebeij; modo & hi virtute conspicui sint. Fateor multa ejusmodi speciosè produci.

Nam (1) *quod ad naturam attinet; omnes idem vivendi principium à lachrymis capimus, omnesq; eodem modo miseriis obnoxij sumus; nec* (2) *Natura corpori nobilis aliquid singulare tribuit, quo alijs præferri mereatur: non viribus non valetudine, non forma ab aliis natura pollet. Nec* (3) *in bonis animi ab aliis aliquid diversi & melioris habere videtur. Hinc Boëtius* Metro 6. l. 3.

Quid genus & proavos strepitis?
Si primordia vestra
Authoremq; Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Et Euripides apud Stobæum serm. 84.

Olim enim cum primum nati sumus
Et mater tellus homines formavit
Omnibus consimilem largita est faciem
Peculiare nihil habemus, &c.

Vide plura in illo sermone ut & serm. 85. & 86. *Aditus ad virtutes omnibus peræque patet. Sæpe qui magno genere prognati sunt, ad turpissima delabuntur flagitia: contra obscuro genere orti, propriis virtutibus ad maxima emergunt dignitatum fastigia. Quot Imperatores, quot Reges, quot*

quos Pontifices, infimo loco natos ad summa hæc dignitatum ac gloriæ cacumina ascendisse legamus. & (4) *ipse Deus elegit ignobilia. Vid.* 1. Cor. 1. *Habent* & (5) *insuper Nobiles innata quædam vitia, quibus Christiani alieni esse debent: Sunt enim plerumq; superbi & ambitiosi. Eapropter SS. Patres docent solum illos esse apud Deum nobiles, qui vitiis dedignantur servire.*

Non tamen iniquissimæ consuetudinis tyrannide nobiles ignobilibus præferendos censeo: Quia videmus plerasq; gentes, apud quas feritas non planè bonos mores extinxit, dum animi perturbationibus libera, nec tyrannide, ut Turcæ, oppressæ sunt, idem facere: quod autem maxima humani generis pars introduxit, non tyrannide, non casu, non temerè factum dici potest. Antiquissimis mortalibus persuasum fuit, posteritatem illis virtutibus inprimis operam daturam, ex quibus majores gloriam consecuti essent: judicabant illam paterna exempla ad rectè vivendum continuò ante oculos habituram, ac sedulo prospecturam ne vitiis maculam infamiæ familiis suis inureret; & *reverâ, nisi se degeneres præstare, omnibusq; ludibrio exponere velint posteri, majorum vestigia calcare opus habent. Hinc videmus, plurimos heroes apud Græcos in amplissimis familiis natos fuisse. De Miltiade, Cimone, Aristide, Pericle,* & *aliis vide Cornel. Nepotem,* & *Plutarchum. Majori etiam cura ad virtutes educantur nobiles, quam ignobiles. Quam vim autem habeat recta educatio, docet Plutarchus* in libro de instituend. lib. & *quotidiana experientia. Romæ unaquæq; familia habebat innatas virtutes* & *vitia; Manlij erant duri atq; obstinati: Publicolæ benefici,* & *plebis amici: Appij ambitiosi* & *plebis osores: cujus solum educatio, non sanguis, qui propter matrimonia in diversis familiis contracta, idem manere non*

X 5 *potuit,*

potuit, causa existit. Vid. Machiav. l. 3. supr. Liv. c. 45. *Remora etiam in Nobilitatis favorem adducere possem. In tota enim natura ordinem videmus. Cum animum ad cœlum convertimus, miram astrorum varietatem, unumq; sidus altero splendidius animadvertimus: In his inferioribus, non in plantis, non arboribus, eandem facultatem invenimus. Inter ipsos etiam Angelos Ordo atq; Hierarchia est. Vid. Dionys. Areopag.* in l. de cœl. Hierarch. *Plurimi etiam interesse putamus, è quo genere equus aut canis sit generatus, sed quare homini non etiam singulare & eminens quid genus posse imprimere crederemus? Hinc Horat.* l. 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Idem docet Aristoteles l. 3. Polit. c. 13.

Aptiores etiam Nobiles sunt ad Magistratum gerendum, & alia ejusmodi munia obeunda; quia (1.) *plus auctoritatis propter diuturnas dignitatum possessiones habent quam alij. Subditi sunt vel nobiles vel ignobiles; Ignobiles malunt à nobiliori quam à pari regi: Nobiles autem pro summa injuria reputarent Magistratum habere qui ipsis inferior sit. Quia* (2.) *plebes etiam potentia atq; honoribus haud assuefacti plerumque illis abutuntur, & ventosos atque inscientes post acceptas dignitates se prabent: quod satis docet quotidiana experientia. Hinc Aristotel.* l. 3. politic. 12. *dicit, rationaliter sibi arrogare honorem nobiles, & ingenuos, & opulentos. Alcæus Poëta increpat Mitylenæos, quod hominem obscuri generis laboranti civitati præfecissent. Vid. Aristotel.* l. 3. polit. c. 14. *Plato* l. 3. de legibus *suadet, ut ignobilibus generosi imperent: Eapropter & prærogativam leges nostra illis tri-*

tribuunt. Vid. Nov. 15. c. 6. & die Erklärung des Landfriedens zu Nürenberg de anno 1522. §. 11. Und sol darauff. *Ipsa etiam S. Scriptura nobilitatem passim laudat, illiq; fermè primas defert. Vid.* 1. Maccabæor. 2. v. 17. & c. 3. v. 32. *Vide &* Actor. 17. v. 11. *Clarius adhuc videmus* Numer. 2. v. 3. & c. 7. v. 12. *in SS. Scriptura Nobilitatis rationem haberi; ubi docemur, quod Deus à Iuda procreatos præ aliis Hebræis splendore excellere voluerit. Hi primi agmen duxerunt, immolarunt, cæteriq; illorum auctoritatem secuti sunt: & post obitum Iosuæ tribui Iudæ cura belli à Deo commissa fuit. Vid.* Jud. 1. *Ex qua etiam tribu David ortus est. Hæc & plurima alia plurimas nationes impulerunt, ut nobilibus præ aliis honores detulerint. De his honoribus vid. Lymn.* l. 6. de jur. public. c. 4. numer. 20. 21. 22. & seqq. *Creidemann* von der freyen Ritterschafft in Schwaben. *Tiraquell. & Nolden.* de Nobilitate. *Iam paucis respondebo, ad illa, quæ contra nobilitatem supra prolata sunt. I. Si propter illam rationem, quod omnes idem vivendi principium faciamus, Nobiles non alio honore quam plebeii digni essent, sequeretur etiam (1.) Reges, Principes, Magistratus, judices, non majori honore esse dignos, quam infimi subsellii homines. Sequeretur (2.) Nullum omninò discrimen inter homines esse admittendum: servos habere, esse delictum,* nam servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur §. 3. Institut. de jur. personar. *Contrarium tamen ipsæ leges divinæ docent. Vid.* Genes. 16. v. 6. & c. 39. v. 1. Exod. 21. vers. 20. & omninò 1. Timoth. 6. v. 1. & 2. *Omnes homines secundum illam rationem in eadem libertate ac potestate esse deberent: quod omnem honestatem atq; ordinem funditus tolleret. Multa sunt quæ primævo natura statu libera sunt, sed hominis facto ci-*

&hocitra justitiæ naturalis violationem immutari possunt. *Sic Florentinus* in l. 4. libertas, §. 1. ff de statu Hom. Servitutem contra naturam esse *dicit, & tamen juxta eundem* in d. l. ea est constitutio jurisgentium; *quod jus contra naturales rationes minimè pugnat: Sed illud solum hominem à brutis animalibus distinguit; non vero jus naturæ primævum. Vid.* l. 1. §. ult. ff. de I. & I. *illa perpetua obligatio compensatur conservatione vitæ. Vid.* l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. *alimentorum subministratione & aliis id genus. Sic & jure naturæ primævo plurimæ res hominibus sunt communes, quæ post dominiorum distinctionem unicuiq; propriæ factæ sunt. Illud tamen jus gentium æquissimè illam introduxit. Vid.* l. ex hoc jure ff. de I. & I. *Vid. & Selden.* l. 1. de Mari clauso c. 4. & 5. *Grotium* de jure pacis & belli l. 2. c. 8. *Donell.* in Commentar. jur Civil. l. 1. c. 6. *Duaren.* in libr. 1. Dig. tit. de Just. & Jur. *Eodem modo quanquam jus naturæ primævum nullam inter homines posuerit differentiam, tamen jus gentium, quod magis homini proprium est, illud æquissimis naturalibus rationibus fretum fecit. Vid. Aristot.* l. 1. Pol. c. 7.

II. Si illa ratio, quod nobilibus, quia nec corporis viribus, nec valetudine plebeios superant, haud major honor debeatur, vinceret, sequeretur reverentiam magnam ipsis brutis animalibus deberi; quorum multa in multis hujus generis multis parasangis nos omnes superant.

III. Præsumendum est generaliter, nobiles in bonis animi aliquid melioris ignobilibus habere. Quia (1.) *majorum reverentia plerumq; stimulus illis ad rectè vivendum est. Quia* (2.) *malè vivendo longè majorem, quam ignobiles jacturam famæ faciunt, & non solum sibi, sed toti familiæ dedecori sunt; quod sanè fibulam vitiosis illorum conatibus imponere potest. Quia* (3.)

non raró paterna virtutes ipsa seminis virtute posteritati ingenerantur: nam plurimi interesse putamus, è quali arbore surculum consequamur, & è quali genere canem: non video cur minus hominibus tribuamus. Hinc Euripides apud Stobæum sermon. 86. ex verſ. Geſneri:

Papenobili patre naſci
Quantam vim habet ac authoritatem,
Quamvis enim pauper ſit, qui honeſto loco natus eſt:
Honore tamen afficitur: & animo ſuo revolvens
Patris nobilitatem, ſuis moribus proficit.

Vide plura ibidem. *Ejusmodi præſumtionem docent & Iurisconſulti. Vid. Limn.* de jur. publ. c. 4. n. 22. & ſeq. de Nobil. mediatis.

Non obſtat quod multi nobiles ad turpiſſima dilapſi ſint flagitia. Si eam ob cauſam Nobilitas eminentiam præ ignobilitate perdere poſſet ſequeretur, quia vinum reddit homines ſæpe ebrios, ex quo multa ſæpe mala oriuntur, vinum non eſſe bibendum. Sequeretur quia jam olim multi Chriſtiani iterum ad idololatriam redierunt, & quia adhuc ſingulis annis in imperio Turcico magnus eorum numerus, à vera noſtra religione deficit, & ſceleratiſſimam Mahometanam ſuſcipit, Chriſtianam religionem non eſſe pluris quam aliorum flagitioſiſſima æſtimandam.

Multos quidem Impp. Reges, Pontifices obſcuro loco natos tam illuſtrem dignitatem conjecutos fuiſſe conſtat: ſed longè plures genus alto à ſanguine, *ut Poeta loquitur, duxiſſe, docet Hiſtoria. Concedo etiam multos humili genere ortos maximis virtutibus eſſe conſpicuos, & contra multos nobiles ſummis vitiis turpiſſimè immerſos: id tamen illi Nobilitati, quæ ſe ejusmodi vitiis haud inquinat præjudicare non poteſt.*

IV. Apo-

IV. Apostolus d. loc. *non solum de nobilibus, sed etiam de sapientibus secundum carnem & de potentibus loquitur : & solum de illis agit, qui mundana sapientia, aut eruditione, aut potentia, aut nobilitate freti Christianam religionem irridebant, aut illam, quia nimis onerosa ac periculosa videbatur, suscipere recusabant. Noluit etiam propter multas causas Servator noster eos singulari gratia dignari. Augustinus* exposit. in Evangel. Joann. tract. 7. cap. 1. *ita :* Si doctus eligeretur, fortasse se ideò diceret electum, quia doctrina ejus meruit eligi : Dominus noster Jesus Christus volens superborum frangere cervices non quæsivit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem &c. *Ignobilia & infirma mundi elegit Deus primò, ut confunderet fortia. Veritatem nostræ religionis probare debuit, quod piscatores, quòd indocti, quod infimæ conditionis homines, doctos, potentes, & nobiles ad Christum adduxerunt, quamvis totus contra Christum orbis fremeret : At postea in prima Ecclesia multi nobiles Christiani facti sunt; bona sua vendiderunt, pauperibus illa dederunt & Christum secuti sunt, ut Augustinus* in Psalm. 149. *testatur. Qui ibidem illud Apostol.* 1. Corinth. 1. (*nimirum non multos sapientes, secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, sed stulta mundi Deum elegisse*) *explicat & accipit pro Nobilibus gentium:* Multi, *inquit,* nobiles fecerunt hoc (*nimirum vendiderunt sua bona ac dederunt pauperibus*) sed cessaverunt nobiles esse gentium, elegerunt paupertatem in seculo, nobilitatem in Christo. *Et in ipsa SS. Scriptura nobilitatis rationem haberi, ex veteri testamento supra probavi. Vide* 1. Samuel 9. v.6 *& in novo testamento* c.1. Matth. & caput 1. Lucæ, & Ambros. *ibi : Fuerunt & multi inter priscos Ecclesiæ Doctores nobili genere.*

De

De Gregorio Nazianzeno & Basilio vide Eusebium in hist. Eccles. l. 11. c. 9. *de Cypriano scribit Greg. Nazianzenus* in orat. 18. quam in laudem Cypriani scripsit, *ita : hic, inquit,* Cyprianus, magnum quoddam Carthaginensium, nunc autem totius orbis nomen, opibus conspicuus, potentia illustris, generc clarus (siquidem maximum nobilitatis argumentum est Senatorem esse, primamque in eo sedem obtinere) flos juventutis &c. *Culpatur Ierobeam* 3. Reg 12. v. 31. *quod ex vilissimis Sacerdotes sumpserit. Tempore Ludovici I. Imperatoris valdè conquerebantur Germaniæ nostræ proceres, quod Imperator Episcopos ignobili genere ortos creari permitteret. Vid. Lehman.* Chron.Spir. l. 2. c. 15.

V. Concedo nobiles habere innata vitia ; sed addo ignobiles plerumq; majoribus laborare, quod apparet cum inopinato ad honoris culmen provehuntur ; tunc enim (ut jam ante tetigi) superbia atq; insolentia est istius honoris pedissequa :

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

ait Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Hac per transcursum in nostri defensionem ordinis ; cui nunc multi admodum male volunt scribere, atque his annotatis inserere volui. Auctor tamen noster non sese prabet nobilitati inimicum, sed solum vitia, & injustitiam, quod pauperibus & ignobilibus ; prudentia & virtute tamen insignibus, nulla honorum porta pateat, increpat : quod sane summa iniquitas est, præsertim cum illis, qui nihil præter divitias boni possident, amplissimæ dignitates & officia deferantur, posthabitis aliis. Hinc Aristoteles l. 2. Polit. c. 11. *vituperat Carthaginensium Rempublicam, quod in ea solum opulentorum habita sit ratio.* Ubi, *inquit,* non maximè honoratur virtus, ibi non est possibile firmum optimorum esse in Republica statum.

In pci-

In primis & præcipuis Rebuspubl. hoc semper obtinuit] *Vellej. Paterculus* l. 2. circa fin. *stat* Neque novus, *inquit*, hic mos Senatus populiq; Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC. Titum Coruncanium, hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam maximò, ad principale extulere fastigium; & equestri loco natum Spurium Carvilium, & mox M. Catonem, novum etiam, Tusculo Vrbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras, & triumphos provexere: Et qui C. Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani-nominis habuere principem, & qui M. Fulvio tantum tribuere, ut penè assentatione sua, quibus vellet principatus conciliaret, quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret, profectò hoc senserunt, in cuiuscunque animo virtus inesset, ei plurimū esse tribuendum. *Hæc Paterculus. Senatorum tamen proganies apud Romanos Patricij sunt appellati*; *Vid. Liv.* l. 1. p. 14. edit. Gronhov. *& hi nondum exactis regibus soli in Senatum allecti sunt, & omnia publica administrarunt. Vide Dionys. Halicarnass.* l. 2. antiquit. Romanar. *post. ea Brutus primores equestris ordinis adscribi in Senatum operam dedit, illos conscriptos Patres appellavit, ut prodit auctor* in libro de Magistratu Romanor. qui falsò Fenestellæ tribuitur. *Et constat ex Livij* l. 2. *Pomponij Læti* libello de Magistrat. Romanor. *& aliis, ante secessum in sacrum montem, & introductionem tribunitiæ potestatis neminem ex plebe, in senatum fuisse lectum, sed solos patricios fuisse Consules, Quæstores, Tribunos militum, censores, dictatores. Postea etiam plebeij ad hanc dignitatem pervenire potue-*

potuerunt. Vide l. 2. §. deinde cum 26. ff. de orig. juris. *& Liv.* l. 6. *quam legem L. Sestius tribunus plebis repugnantibus patribus promulgavit. Postea sub Augustis iterum obtinuit, ut solum à Consulibus & patriciis usque ad omnes illustres viros descendentes in Senatu sententiam dicere potuerint. Vid.* l. ult. ff. de Senator. *Solon multitudinis jus optimatum quidem juri aequavit, ut prodidit Plutarchus* in vita Solonis. *& Aristot.* l. 2. Polit. c. 10. *tamen & censum civium instituit, & secundum illum, locupletiores annuos Magistratus gesserunt, & in administratione Reipublicae plus reliquis potestatis habuerunt. Reliquis mercenariis nullum Magistratum gerere concessit, sed tantum ad conciones & judicia in partem Reipublicae veniret. Plutarchus* ibidem. *Vid. & Vbon. Emm.* in descript. Reip. Athenienf. *& ipse Solon apud Plutarch.* in eius vita:

Quas sat erat vires populo, non protinus aucto,
Sed neque sublato prorsus honore dedi.
Divitibus quanquam potior concessa potestas,
His tamen indignum, vel neque turpe licet.

Sed tandem immodica plebis licentia, crudelitasq; erga nobiles multum incommodi illi Reipublicae attulit, ut manifestum est ex Cornel. Nepote de vit. excellent. Impp. *Idem testatur Aristoteles* l. 2. Polit. c. 12. *& Machiavell.* l. 1. discurs. in Liv. c. 2. *Theseus longè aliter Atheniensium Rempublicam ordinavit.* Primus ipse (*inquit Plutarchus* in vita Thesei) Patricios, agricolas atque opifices intet se distinxit. Patriciis tribuit cognitionem rerum divinarum, utque Magistratus ex iis crearentur, de jure ipsi responderent, sacra & ceremonias exponerent, aequata dignatione cum reliquis civibus: quippe Patricii existimatione, agricolae usu, nu-

Omni religioni) *Lystrenses Barnabæ ut Iovi, & Paulo ut Mercurio, sacrificare primo die volebant, altero Paulum lapidare non dubitabant. Vid.* Actor. 14. *Et quam deditum vulgus superstitionibus sit, ex omnium seculorum historia discimus.*

Virtuti & rationi) *Nam affectibus non ratione ducitur. Hinc Phocion, ut Plutarch.* in apophtheg. græc. *scribit, putabat nihil vulgo posse placere, quod à recta ratione proficisceretur. Pythagoras inter symbola posuit* : popularibus vias ne incedito. *Quod secundum Athenæum significat, à vulgi sententia procul sis, & Petrarcha eleganter :*

Mentre al volgo dietro vai,
E la sua opinione cieca dura :
Esser felice non tu può giamai.

Nam secundum Senecam in Hippolyto act. 3. in fine,

Tradere turpi fasces populus
Gaudet : eosdem colit atque odit.

Idem in Octavia Act. 5. in chor.

O funestus multis populi
Dirusque favor! qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit,
Vexitque procul; languidus idem
Deserit alto sævoque mari.

& Iuvenal. satyr. 10.

——idem populus si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.

Ejusmodi laudibus vehuntillum omnes Poëtæ atq; Historici. Eadem pravitate insectabatur interfectum Vitellium, qua viventem foverat. Vid. Tacit. l. 3. Hist. c. 85.

Hydra] *Poëtæ fingunt Hydram esse serpentem multorum capitum in Lernaa Palude, cui capi-*

capite uno exciso, aliud mox recrescit. Ut enim ille serpens propter capitum multitudinem valde monstrosius est: ita & vulgus propter multitudinem ac varietatem opinionum. Hinc Cicero pro domo: In multitudine, *inquit*, est varietas, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum mutatio.

Hos stultos vocare charitas non vetat] *Alioquin scriptum est*, Matth. 5. v. 22. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. *S. August.* in libr. de sermone Domini in monte c. 19. Duo, *inquit*, subaudiuntur; & fratri suo, & sine causa: Hoc est, unde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat, non enim id fecit sine causa.

Dignati sunt Scriptores divini] *Ut Salomo* in proverb. passim.

Est inter Patricios plebeia quædam & ignobilis turba] *Optimè Socrates dixit:* Neque frumentum optimum judicamus, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commodè nutrit, neque virum bonum & studiosum, aut amicum benevolum, qui genere clarus, sed qui moribus egregiis fuerit. *Vid. Stobæum* serm. 84. ex vers. Gesner.

Census & crumena pro stultitia transigant] *Hinc Horat.* in lib. 1. epist. 6.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Hinc Euripides apud Stobæum sermon. 89. ex vers. Conradi Gesneri.

Qui verò prius nihil erant, nunc divites facti
Gloriam assequuntur propter nummos.

Et Ovid. l. 1. Fastor.

In pretio pretium nunc est, dat census honores;
Census amicitias; pauper ubique jacet.

Idem l. 3. Amor. eleg. 7.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores
Inde gravis judex: inde severus Eques.

Sic pluris ſæpe æſtimandus eſt ſpretus aliquis homuncio] *Nam nobilis ſine Virtute non eſt nobilis. Hinc Auctor* Panegyr. ad Piſonem :

Nam quid imaginibus, quid avitis vulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo conſule faſti,
Profuerint, ſi vita labat ? Perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus eſt in origine ſola,

Et juVenal. ſat. 8. in pr,

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo,
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Aemilianos:
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male vivitur,

Et iterum in eadem ſatyr. in fin.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Imo majori Vituperio dignus. Nam ſecundum eundem IuVen. d. ſat. 8. v. 140.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Vide & Horat. lib. 1. ſat. 6. *ubi Romanorum de nobilitate judicium increpat, quod eam antiquitate non Virtute metirentur. Idem* libr. 4. od. 4.

Doctrina ſed vim promovet inſitam:
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Vt illi minimi æſtimandi ſunt, qui ſolum imaginibus aut ſtemmatibus freti Virtutum oſores ſe prabent: & illi, qui nulla alia re quam opulentia clari ſunt. Hinc Lactant. lib. 5. c. 15. Divitiæ non

non faciunt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. *Hinc Euripides apud Stobaeum* serm. 84. ex versione Gesner.

—— Vna generis eademque origo
Nobiles ac ignobiles produxit.
Tempus autem legibus arbitrariis nobilitatem efficit magis gloriosam.
Sed in prudentia nobilitas sita est: ac intellectus
Non à divitiis, sed divinitus datur.

Et Horat. Epod. 4.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.

Sine fastis nobilitas] *Seneca* in Epist. 44. *elegamter*: Bona mens, *inquit*, omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec rejicit quenquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem Philosophia sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem, si hoc protinus tibi persuaseris à nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. Nullius non origo ultra memoriam jacet. Plato ait: Neminem regẽ non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus. *Iterum:* Quis ergo generosus? Ad virtutem benè à natura compositus. Hoc unum est intuendum. Alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. *Paulò post pergit:* Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. *Hinc Auctor declamationis in Sallustium, quae falsò Ciceroni tribuitur:* numquid ii, *inquit*, quos protulit, (*nimirum Sallustius*) Scipiones & Metelli

quos Pontifices, infimo loco natos ad summa hac dignitatum ac gloriæ cacumina ascendisse legamus. & (4) *ipse Deus elegit ignobilia. Vid.* 1. Cor. 1. *Habent* & (5) *insuper Nobiles innata quadam vitia, quibus Christiani alieni esse debent: Sunt enim plerumq; superbi & ambitiosi. Eapropter SS. Patres docent solum illos esse apud Deum nobiles, qui vitiis dedignantur servire.*

Non tamen iniquissimæ consuetudinis tyrannide nobiles ignobilibus præferendos censeo: Quia videmus plerasq; gentes, apud quas feritas non planè bonos mores extinxit, dum animi perturbationibus liberæ, nec tyrannide, ut Turcæ, oppressæ sunt, idem facere: quod autem maxima humani generis pars introduxit, non tyrannide, non casu, non temerè factum dici potest. Antiquissimis mortalibus persuasum fuit, posteritatem illis virtutibus inprimis operam daturam, ex quibus majores gloriam consecuti essent: judicabant illam paterna exempla ad rectè vivendum continuò ante oculos habituram, ac sedulo prospecturam ne vitiis maculam infamiæ familiis suis inureret: & revera, nisi se degeneres præstare, omnibusq; ludibrio exponere velint posteri, majorum vestigia calcare opus habent. Hinc videmus, plurimos heroes apud Græcos in amplissimis familiis natos fuisse. De Miltiade, Cimone, Aristide, Pericle, & aliis vide Cornel. Nepotem, & Plutarchum. Majori etiam cura ad virtutes educantur nobiles, quam ignobiles. Quam vim autem habeat recta educatio, docet Plutarchus in libro de instituend. lib. & *quotidiana experientia. Romæ unaquaq; familia habebat innatas virtutes & vitia: Manlij erant duri atq; obstinati: Publicolæ benefici, & plebis amici: Appij ambitiosi & plebis osores: cujus solum educatio, non sanguis, qui propter matrimonia in diversis familiis contracta, idem manere non*

X 5 *potuit,*

potuit, causa existit. Vid. Machiav. l. 3. supr. Liv. c. 45. *Remota etiam in Nobilitatis favorem adducere possem. In tota enim natura ordinem videmus. Cum animum ad cœlum convertimus, miram astrorum varietatem, unumq; sidus altero splendidius animadvertimus: In his inferioribus, non in plantis, non arboribus, eandem facultatem invenimus. Inter ipsos etiam Angelos Ordo atq; Hierarchia est. Vid. Dionys. Areopag.* in l. de cœl. Hierarch. *Plurimi etiam interesse putamus, è quo genere equus aut canis sit generatus, sed quare homini non etiam singulare & eminens quid genus posse imprimere crederemus? Hinc Horat.* l. 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Idem docet Aristoteles l. 3. Polit. c. 13.

Aptiores etiam Nobiles sunt ad Magistratum gerendum, & alia ejusmodi munia obeunda; quia (1.) *plus auctoritatis propter diuturnas dignitatum possessiones habent quam alij. Subditi sunt vel nobiles vel ignobiles; Ignobiles malunt à nobiliori quam à pari regi: Nobiles autem pro summa injuria reputarent Magistratum habere qui ipsis inferior sit. Quia* (2.) *plebes etiam potentia atq; honoribus haud assuefacti plerumque illis abutuntur, & ventosos atque inscientes post acceptas dignitates se prabent: quod satis docet quotidiana experientia. Hinc Aristotel.* l. 3. politic. 12. *dicit, rationaliter sibi arrogare honorem nobiles, & ingenuos, & opulentos. Alceus Poeta increpat Mitylenaos, quod hominem obscuri generis laboranti civitati praefecissent. Vid. Aristotel.* l. 3. polit. c. 14. *Plato* l. 3. de legibus *suadet, ut ignobilibus generosi imperent: Eapropter & prærogativam leges nostræ illis*
tri-

tribuunt. Vid. Nov. 15. c. 6. & die Erklärung des Landfriedens zu Nürenberg de anno 1522. §. 11. Und sol darauff. *Ipsa etiam S. Scriptura nobilitatem passim laudat, illiq; fermè primas defert. Vid.* 1. Maccabæor. 2. v. 17. & c. 3. v. 32. *Vide &* Actor. 17. v. 11. *Clarius adhuc videmus* Numer. 2. v. 3. & c. 7. v. 12. *in SS. Scriptura Nobilitatis rationem haberi; ubi docemur, quod Deus à Iuda procreatos præ aliis Hebræis splendore excellere voluerit. Hi primi agmen duxerunt, immolarunt, cæteriq; illorum auctoritatem secuti sunt: & post obitum Iosuæ tribus Iudæ cura belli à Deo commissa fuit. Vid.* Jud. 1. *Ex qua etiam tribu David ortus est. Hæc & plurima alia plurimas nationes impulerunt, ut nobilibus præ aliis honores detulerint. De his honoribus vid. Lymn.* l. 6. de jur. public. c. 4. numer. 20. 21. 22. & seqq. *Creidemann* von der freyen Ritterschafft in Schwaben. *Tiraquell.* & *Nolden.* de Nobilitate. *Iam paucis respondebo, ad illa, quæ contra nobilitatem supra prolata sunt. I. Si propter illam rationem, quod omnes idem vivendi principium faciamus, Nobiles non alio honore quam plebeii digni essent, sequeretur etiam* (1.) *Reges, Principes, Magistratus, judices, non majori honore esse dignos, quam infimi subsellij homines. Sequeretur* (2.) *Nullum omninò discrimen inter homines esse admittendum: servos habere, esse delictum,* nam servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur §. 3. Institut. de jur. personar. *Contrarium tamen ipsæ leges divinæ docent. Vid.* Genes. 16. v. 6. & c. 39. v. 1. Exod. 21. vers. 20. & omninò 1. Timoth. 6. v. 1. & 2. *Omnes homines secundum illam rationem in eadem libertate ac potestate esse deberent: quod omnem honestatem atq; ordinem funditus tolleret. Multa sunt quæ primævo natura statu libera sunt, sed hominis facto ci-*

ἐδοcitra justitiæ naturalis violationem immutari possunt. *Sic Florentinus* in l. 4. libertas, §. 1. ff. de statu Hom. Servitutem contra naturam esse *dicit, & tamen juxta eundem* in d. l. ea est constitutio juris gentium; *quod jus contra naturales rationes minimè pugnat: Sed illud solum hominem à brutis animalibus distinguit; non vero jus naturæ primævum. Vid.* l. 1. §. ult. ff. de I. & I. *illa perpetua obligatio compensatur conservatione vitæ. Vid.* l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. *alimentorum subministratione & aliis id genus. Sic & jure naturæ primævo plurimæ res hominibus sunt communes, quæ post dominiorum distinctionem unicuiq; propriæ factæ sunt. Illud tamen jus gentium æquissimè illam introduxit. Vid.* l. ex hoc jure ff. de I. & I. *Vid. & Selden.* l. 1. de Mari clauso c. 4. & 5. *Grotium* de jure pacis & belli l. 2. c. 8. *Donell.* in Commentar. jur. Civil. l. 1. c. 6. *Duaren.* in libr. 1. Dig. tit. de Just. & Jur. *Eodem modo quanquam jus naturæ primævum nullam inter homines posuerit differentiam, tamen jus gentium, quod magis homini proprium est, illud æquissimis naturalibus rationibus fretum fecit. Vid. Aristot.* l 1. Pol. c. 7.

II. Si illa ratio, quod nobilibus, quia nec corporis viribus, nec valetudine plebeios superant, haud major honor debeatur, vinceret, sequeretur reverentiam magnam ipsis brutis animalibus deberi; quorum multa in multis hujus generis multis parasangis nos omnes superant.

III. Præsumendum est generaliter, nobiles in bonis animi aliquid melioris ignobilibus habere. Quia (1.) *majorum reverentia plerumq; stimulus illis ad rectè vivendum est. Quia* (2.) *malè vivendo longè majorem, quam ignobiles jacturam famæ faciunt, & non solum sibi, sed toti familiæ dedecori sunt; quod sanè fibulam vitiosis illorum conatibus imponere potest. Quia* (3.)

non rarò paterna virtutes ipsa seminis virtute posteritati ingenerantur: nam plurimi interesse putamus, è quali arbore surculum consequamur, & è quali genere canem: non video cur minus hominibus tribuamus. Hinc Euripides apud Stobaeum sermon. 86. ex vers. Gesneri:

Pape nobili patre nasci
Quantam vim habet ac authoritatem,
Quamvis enim pauper sit, qui honesto loco natus est:
Honore tamen afficitur: & animo suo revolvens
Patris nobilitatem, suis moribus proficit.

Vide plura ibidem. *Ejusmodi praesumtionem docent & Iurisconsulti. Vid. Limn.* de jur. publ. c. 4. n. 22. & seq. de Nobil. mediatis.

Non obstat quod multi nobiles ad turpissima dilapsi sint flagitia. Si eam ob causam Nobilitas eminentiam prae ignobilitate perdere posset sequeretur, quia vinum reddit homines saepe ebrios, ex quo multa saepe mala oriuntur, vinum non esse bibendum. Sequeretur quia jam olim multi Christiani iterum ad idololatriam redierunt, & quia adhuc singulis annis in imperio Turcico magnus eorum numerus, à vera nostra religione deficit, & scelratissimam Mahometanam suscipit, Christianam religionem non esse pluris quam aliorum flagitiosissima aestimandam.

Multos quidem Impp. Reges, Pontifices obscuro loco natos tam illustrem dignitatem consecutos fuisse constat: sed longe plures genus alto à sanguine, *ut Poeta loquitur, duxisse, docet Historia. Concedo etiam multos humili genere ortos maximis virtutibus esse conspicuos, & contra multos nobiles summis vitiis turpissime immersos: id tamen illi Nobilitati, quae se ejusmodi vitiis haud inquinat praejudicare non potest.*

IV. Apo-

IV. Apostolus d. loc. *non solum de nobilibus, sed etiam de sapientibus secundum carnem & de potentibus loquitur : & solum de illis agit, qui mundana sapientia, aut eruditione, aut potentia, aut nobilitate freti Christianam religionem irridebant, aut illam, quia nimis onerosa ac periculosa videbatur, suscipere recusabant. Noluit etiam propter multas causas Servator noster eos singulari gratia dignari. Augustinus* exposit. in Evangel. Joann. tract. 7. cap. 1. *ita :* Si doctus eligeretur, fortasse se ideò diceret electum, quia doctrina ejus meruit eligi : Dominus noster Jesus Christus volens superborum frangere cervices non quæsivit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem &c. *Ignobilia & infirma mundi elegit Deus primo, ut confunderet fortia. Veritatem nostræ religionis probare debuit, quod piscatores, quod indocti, quod infimæ conditionis homines ; doctos, potentes, & nobiles ad Christum adduxerunt, quamvis totus contra Christum orbis fremeret : At postea in prima Ecclesia multi nobiles Christiani facti sunt ; bona sua vendiderunt, pauperibus illa dederunt & Christum secuti sunt, ut Augustinus* in Psalm. 149. *testatur. Qui ibidem illud Apostol.* 1. Corinth. 1. (*nimirum non multos sapientes, secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, sed stulta mundi Deum elegisse*) *explicat & accipit pro Nobilibus gentium :* Multi, *inquit*, nobiles fecerunt hoc (*nimirum vendiderunt sua bona ac dederunt pauperibus*) sed cessaverunt nobiles esse gentium, elegerunt paupertatem in seculo, nobilitatem in Christo. *Et in ipsa SS. Scriptura nobilitatis rationem haberi, ex veteri testamento supraprobavi. Vide* 1. Samuel 9. v. 6 *& in novo testamento* c. 1. Matth. & caput 1. Lucæ, & Ambros. *ibi : Fuerunt & multi inter priscos Ecclesiæ Doctores nobili genere.*

De Gregorio Nazianzeno & Basilio vide Eusebium in hist. Eccles. l. 11. c. 9. *de Cypriano scribit Greg. Nazianzenus* in orat. 18. quam in laudem Cypriani scripsit, *ita:* hic, *inquit*, Cyprianus, magnum quoddam Carthaginensium, nunc autem totius orbis nomen, opibus conspicuus, potentia illustris, genere clarus (siquidem maximum nobilitatis argumentum est Senatorem esse, primamque in eo sedem obtinere) flos juventutis &c. *Culpatur Ierobeam* 3. Reg 12. v. 31. *quod ex vilissimis Sacerdotes sumpserit. Tempore Ludovici I. Imperatoris valdè conquerebantur Germaniæ nostræ proceres, quod Imperator Episcopos ignobili genere ortos creari permitteret. Vid. Lehman.* Chron. Spir. l. 2. c. 15.

V. Concedo nobiles habere innata vitia; sed addo ignobiles plerumq; majoribus laborare, quod apparet cum inopinato ad honoris culmen provehuntur; tunc enim (ut jam ante tetigi) superbia atq; insolentia est istius honoris pedissequa:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

ait Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Hæc per transcursum in nostri defensionem ordinis; cui nunc multi admodum male volunt scribere, atque his annotatis inserere volui. Auctor tamen noster non sese præbet nobilitati inimicum, sed solum vitia, & injustitiam, quod pauperibus & ignobilibus; prudentia & virtute tamen insignibus, nulla honorum porta pateat, increpat: quod sane summa iniquitas est, præsertim cum illis, qui nihil præter divitias boni possident, amplissimæ dignitates & officia deferantur, posthabitis aliis. Hinc Aristoteles l. 2. Polit. c. 11. *vituperat Carthaginensium Rempublicam, quod in ea solum opulentorum habita sit ratio.* Ubi, *inquit*, non maximè honoratur virtus, ibi non est possibile firmum optimorum esse in Republica statum.

In pri-

In primis & præcipuis Rebuspubl. hoc semper obtinuit] *Vellej. Paterculus* l.2. circa fin. *sta:* Neque novus, *inquit*, hic mos Senatus populiq; Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC. Titum Coruncanium, hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam maximo, ad principale extulere fastigium; & equestri loco natum Spurium Carvilium, & mox M. Catonem, novum etiam, Tusculo Vrbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras, & triumphos provexere: Et qui C. Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani-nominis habuere principem, & qui M. Fulvio tantum tribuere, ut penè assentatione sua, quibus vellet principatus conciliaret, quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret, profectò hoc senserunt, in cuiuscunque animo virtus inesset, ei plurimũ esse tribuendum. *Hæc Paterculus. Senatorum tamen progenies apud Romanos Patricij sunt appellati*; *Vid. Liv.* l.1. p. 14. edit. Gronhov. *& hi nondum exactis regibus soli in Senatum allecti sunt, & omnia publica administrarunt. Vide Dionys. Halicarnass.* l.2. antiquit. Romanar. *postea Brutus primores equestris ordinis adscribi in Senatum operam dedit, illos conscriptos Patres appellavit, ut prodit auctor* in libro de Magistratu Romanor. qui falsò Fenestellæ tribuitur. *Et constat ex Livij* l.2. *Pomponij Læti* libello de Magistrat. Romanor. *& aliis, ante secessum in sacrum montem, & introductionem tribunitiæ potestatis neminem ex plebe, in senatum fuisse lectum, sed solos patricios fuisse Consules, Quæstores, Tribunos militum, censores, dictatores. Postea etiam plebeij ad hanc dignitatem pervenire potue-*

potuerunt. Vide l.2. §. deinde cum 26. ff. de orig. juris. *& Liv.* l.6. *quam legem L. Sestius tribunus plebis repugnantibus patribus promulgavit. Postea sub Augustis iterum obtinuit, ut solum à Consulibus & patriciis usque ad omnes illustres viros descendentes in Senatu sententiam dicere potuerint. Vid.* l.ult. ff. de Senator. *Solon multitudinis jus optimatum quidem juri aequavit, ut prodidit Plutarchus* in vita Solonis. *& Aristot.* l.2. Polit. c.10. *tamen & censum civium instituit, & secundum illum, locupletiores annuos Magistratus gesserunt, & in administratione Reipublicae plus reliquis potestatis habuerunt. Reliquis mercenariis nullum Magistratum gerere concessit, sed tantum ad conciones & judicia in partem Reipublicae veniret. Plutarchus* ibidem. *Vid. & Ubbon. Emm.* in descript. Reip. Athenienſ. *& ipse Solon apud Plutarch.* in eius vita:

Quas sat erat vires populo, non protinus aucto,
 Sed neque sublato prorsus honore dedi.
Divitibus quanquam potior concessa potestas,
 His tamen indignum, vel neque turpe licet.

Sed tandem immodica plebis licentia, crudelitasq; erga nobiles multum incommodi illi Respublicae attulit, ut manifestum est ex Cornel. Nepote de vit. excellent. Impp. *Idem testatur Aristoteles* l.2. Polit. c.12. *& Machiavell.* l.1. discurſ. in Liv. c.2. *Theseus longè aliter Atheniensium Rempublicam ordinavit.* Primus ipse (*inquit Plutarchus* in vita Thesei) Patricios, agricolas atque opifices inter se distinxit. Patriciis tribuit cognitionem rerum divinarum, utque Magistratus ex iis crearentur, de jure ipsi responderent, sacra & ceremonias exponerent, æquata dignatione cum reliquis civibus: quippe Patricii existimatione, agricolæ usu, nu-

mero opifices anteire credebantur. *Ephori quidem apud Lacones sumpti fuere omnes ex plebe nulla generis aut opum habita ratione, suffragiis populi. Vid. Aristot.* l. 2. Polit. c. 6. *illum tamen morem reprehendit Aristoteles* l. 2. Polit. c. 9 *quia propter paupertatem venales fuere. De æqualitate divitiarum, quam Lycurgus in illam Rempubl. introduxit. Vid. Plutarch.* in Lycurgo. *quod tamen æqualitas & agrorum divisio multum incommodi secum ducat, docet Aristoteles* in Polit. l. 2. c. 7. *ubi refellit Phaleam Chalcedonium, docentem civium bona debere esse æqualia. Apud Indos, Senatores nobilitate generis præ aliis fuerunt conspicui. Vid. Diod. Siculum* l. 2. Bibl.

Quid in aliis antiquis & claris Rebuspublicis observatum fuerit, modo non attingam. Venetorum Respublica, à principio suo, nimirum ab anno Christi CCCC LII. ad hoc usque tempus, libertatem suam salvam servavit, regna multasque provincias sibi subjecit. Nisi optimè fundata ac constituta esset; admirandam tot seculorum ætatem ferre non potuisset. Acutissimus Politicorum l. 1. discurs. supr. Liv. c. 4. *dum probare nititur, mixtum Resp. statum esse optimum, laudat formam antiquæ Respublicæ Romanæ; quis spatio CCC annorum, nempe a Tarquiniis usque ad Gracchos, plerique tumultus sine multorum exilio ac sanguine sopiti fuerunt. Sed Venetorum Respublica non CCC annos, sed jam fermè MCC. sine magni momenti civilibus motibus, excepta conjuratione Bajamontis & Tiepolani, (quæ etiam non citius erupit, quam extincta fuit) libera, salva, incolumis, florens stetit. Dicendum igitur ejus formam egregiè esse bonam: Illa tamen ad Senatum, ad Magistratum, ad alios summas dignitates, præter suos nobiles neminem admittit: & cives, quos præclaros habet*

bet ac potentes, solum honore episcopali, advocaturæ, atque officij Secretarij in Senatu contenti esse coguntur. Apud Genuenses ferè idem observatur. Sic & olim necesse erat omnes Consiliarij Imperatorum Germaniæ Nobiles essent. Vide Lehemann. l. 2. Chron. Spir. c. 12.

Sect. II.

ÆQua hæc, & indifferens animi temperies ad divinam hanc virtutem † me aptius attemperavit. Non mediocris fælicitatis est ad virtutem formatum nasci, adeoq; ex seminibus à natura inditis, potius quam operosa educationis insitione adolescere. † Quod si solum naturæ nostræ ductum sequamur, affectuumque nostrorum studium ad rationis tantum normam dirigamus, † morales tantū sumus, & judice Theologia, in Ethnicorum numero. Et proinde nobile illud charitatis opus alio tendere, † aliunde moveri & impelli oportet. Non eo animo fratrem eleemosyna sublevo, ut famem ejus & inopiam consoler, sed ut Dei mei præceptū & voluntatem exequar: non ejus causa qui rogat, sed † ejus causa qui jussit, beneficus sum. Nō ideò quenquam sublevo, quod miseria ejus id mihi persuaserit, vel ut propriæ commiserationi moré geram; hoc moralis tantum charitatis est, hoc facimus † affectibus verius quam ratione adducti. Qui sola † misericordia impul-

ſus egenis dat, non tam † illorum cauſa hoc facit, quam ſua: Cum enim alienam miſeriam commiſeratio noſtram faciat, ſublevatis aliis noſmet ipſos ſublevamus. In eundem errorem impingunt illi, qui propterea aliorũ infortuniis ſubveniunt, † quod ſcilicet fortuna omnium communis ſit, & quæ nota eſt commiſerantium oratio, hæc eadem olim ipſis contingere poſſint. provida quidem hæc eſt, non ſimplex & ſincera charitas: Quid enim hoc aliud eſt, quam ſibi in ſimiles caſus aliorum miſericordiam proſpicere? Et ſanè triviales iſtos & doctos mendicos non quoslibet ſtatim in turba obvios aggredi, ſed certos quoſdam & ſelectos, obſervavi. Enimverò artem quandam phyſiognomicam eſſe arbitror, qua claſſici iſti rogatores uſi miſericordem oris aſpectum continuò internoſcunt; & in quo vultu ſignaturas & indicia humanitatis conſpiciunt, eum è media turba ſibi adoriendum ſeligunt. Habet enim vultus † myſticos quoſdam characteres animã ipſam exprimentes, quorum alphabetũ quicunq; calleat, ingenium ipſum ex fronte legerit. Nec hominum tantum, ſed † plantarum etiã & vegetabilium phytognomiam, ſeu phyſiognomiam quandam eſſe ſtatuo. Et in unoquoque horum figuras quasdam externas apparere, internæ quidẽ formæ ſigna

gna & indicia. In omnibus operibus suis inscriptionem aliquam reliquit digitus Divinus, non graphicam illam & ex literis, sed ex forma tamen & constitutione, ex membris & operationibus compositam, quæ omnia ritè & appositè cõjuncta ipsam rerum naturam non obscurè depingunt. His literis Deus astra nominatim compellat, † his nomina creaturis Adamus indidit, uniuscuiusque naturæ congrua. Præter illos autem in facie characteres. † sunt etiam mysticæ quædam in manibus figuræ, quas otiosas & fortuitas lineas vocare non audeo; ab eo enim penicillo dicuntur, qui nihil fortuito facit: Has ideo diligentius animadverto, quia eas in manu mea figuras cerno, quas in aliena fuisse nunquam, aut vidi, aut legi. Chiromantiæ quidem non meminit Aristoteles in singulari suo & doctissimo de Physiognomia libello: Ægyptios verò arcanæ ejusmodi & mysticæ scientiæ studiosiores, non hujus ignaros fuisse arbitror: cujus etiam hodie peritiam jactitant noti illi † Errones, Ægyptii vulgo appellati, & præceptis forsan aliquot adhuc retentis artis suæ opinionem tuentur.

Tot mille hominũ vultus omnes inter se dissimiles esse plerique mirantur; ego contra † ullum omnino alteri similem reperiri, Quot vocum myriades quasi per

negligentiam, & fortuito ex literis viginti quatuor compositæ fuerunt, si quis cogitaverit; & quot itidem lineas in unius hominis fabrica duci oportet; necessariam esse hanc varietatem facile comperiet; difficulterque ita omnes concurrere posse, ut effigies duæ per omnia similes exeant. Decies mille facies, quas pictor aliquis negligenter descripserit, † universas dissimiles videbis. imò licet exemplar aliquod summa artis diligentia adhibita simulare conetur, † manifestum adhuc discrimen reperies. Est enim rei cujuslibet exemplar in genere suo, perfectissimum, quot licet superemus, non assequimur, quia nondum undiquaque congruitur. Nec tamen aut varietatem naturæ † dehonestat, aut opera divina confundit creaturarum similitudo: Quæcunque enim consimilia sunt, habent aliquid diversi, & quæ inter se convenire videntur, non obscurè discrepant. Hoc modo Deo similis homo est, in quibus enim rebus eum aliquo modo referimus, in iis ipsis ab eodem prorsus discrepamus. Nusquam ita simulavit res altera alteram, ut ex omni parte referret. Aliquid semper discriminis ad prohibendam identitatem intervenit; hoc nisi fieret res duæ diversæ non similes forent, sed idem, quod impossibile est.

AN-

ANNOTATA

Ad Sect. II.

Me aptius attemperavit] *Non sufficit tamen natum esse ad hanc virtutem comparandam.* Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret. Cum ergo sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia posset reparare, quam perdidit. *Est & hoc inter* sententias Augustini, tom.3

Quod si solum naturæ nostræ ductum sequamur] *Ethnici putabant, hoc sibi sufficere. Vide* Longiniani epistolam ad Augustinum, quam supra citavi, exstat inter Augustinianas & est 21. *Hinc Seneca* de vita beata c.8. Natura, *inquit*, duce utendum est: hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est ergo beatè vivere, & secundū naturam.

Morales tantum sumus] Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. *Est una ex illis sententiis, quæ exstant*, in oper. D.August. tom. 3. *& sunt illæ per studiosum aliquem ex operibus Augustini & aliis decerptæ.*

Aliunde moveri & impelli oportet] Nemo habet de suo, nisi peccatum aut mendacium. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo, quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via. *Est hæc sententia* 322. *inter illas*, quæ exstant tom. 3. in oper. Augustini.

Ejus causa qui jussit, beneficus sum] *Nam charitas nobis mandata est. Hinc August.* in libro de mor. Eccles. Cathol. c.23. Sciunt, inquit, hanc ita commendatam esse à Christo & Apostolis, ut si hæc una absit, inania: si adsit, plena sint omnia.

Affectibus verius quam ratione adducti] *Hinc Stoici misericordiam pro vitio habebant, Vide August.* de Civit. Dei l.9. c.5. *& Seneca* l.2. de clement. c.5. *ita:* Clementiam, *inquit*, mansuetudinemque omnes boni præstabunt: misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est. Anus & mulierculæ sunt, quæ lachrymis nocentissimorum moventur; quæ, si liceret, carcerem effringerent. *Sed aliter Cicero* in orat. pro Q. Ligario: Nulla, *inquit*, de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est. *Etprobat August.* d. libro ac cap. *Passiones, quæ Christianos animos afficiunt, non in vitium trahere, sed virtutem exercere.*

Misericordia] Misericordia est, dum si quis videndo aliquem justè damnatum duci ad suspendium, naturaliter movetur, eiq; compatitur, & ita motus à suspendio eum liberat: aut si quis rapuit pauperi aliquid boni, & veniat alius, & raptori eripiat ea, & pauperi reddat. *Augustinus* ad Fratres in eremo serm. 24.

Illorum causa] *Multi faciunt, ut laudentur: quod culpat August.* tract.8. in Epist. D. Ioannis. Redite, *inquit*, intus, Fratres, & in omnibus, quæcunque facitis, intuemini testem Deum. Videte si ille videt, quo animo faciatis. Si cor vestrum non vos accusat, quia non jactantiæ causa facitis benè securi estote. Nolite autem timere, quando facitis benè, nec videat alter: time ne propterea facias, ut tu lauderis.

Quod scilicet fortuna omnium communis sit] *Et propter hoc aliquid facere humanum est, & haud culpandum. Hinc Auctor* de vita Christiana (falsò tribuitur ille liber Augustino, cuius inter opera extat tomo 9.) c.7. *rationem reddens quare Deus Iudaos in Aegyptum induxerit, dicit:*

ei: hanc fuisse puto rationem, quia Deus populum suum, quem elegerat, præceptis misericordiæ, pietatis, justitiæ cæterisq; bonis operibus cupiens erudire, voluit eum in externâ patriâ peregrinum esse, & captivum, ut captivitatis & peregrinationis miseriam disceret & labores, quo facilius postmodum misereri peregrinantibus & laborantibus nosceret. *Pergit.* Nemo tam libẽter peregrino & advenæ miseretur, quam qui peregrinationis exitus novit. Nemo libentius hospitem sine tecto, suo introducit hospitio, nisi qui ante indiguerit alieno. *& paulò post:* Nemo sic misero & laboranti succurrit, quam qui tribulationum & miseriarum casus expertus est & laborum. Meritò ergò Deus misericordiæ & pietatis magister, qui legem postmodum erat editurus, per quam populo suo misericordiæ & pietatis bonorumque operum præcepta erat traditurus, voluit eum prius omnes passiones, pressuras & tribulationes & angustias in terra perpeti aliena, quo facilius postea posset talia patientibus misereri, & sic suis obtemperare mandatis.

Mysticos quosdam characteres animam ipsam exprimentes] *Multa sunt, quæ indicia de inclinatione ac naturâ hominis exhibent. Vide Scipionem Claremontium* in libro de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus. *Robert. Flud.* in Histor. Microcos. *& Ioan. Huart.* in Scrutin. ingenior. *Sed ex nullo tantum, quantum ex vultu conjiciendum esse censeo. Hinc Martialis* l. 12. Epigr.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas. Zoile, si bonus es.

& Syrac. 19. 20. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. *vid. & Prov.* 17. v. 24. Nazianz. *ita Iuliani Apostatæ faciem ac gestus.* orat. 2. cont. Iulian. *describit:* Fecit me, *inquit,* vatem gestuum ipsius deformitas: siquidem optimus est vates; qui ex conjecturis optimè ratiocinatur.

cinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis signa esse videbantur, colli crebræ conversiones, humeri alternis subsaltantes, oculi torvi, vagabundi, & furiosum quiddam contuentes, pedes instabiles, crebræ geniculationes. Nasus contumeliam & contemptum spirans, figura vultus derisionem significans, quomodo variabatur? Risus crebri altum crepantes, nutus renutus sine sermone, sermo interruptus, non complens sententiam &c. *Vid. & Niceph.* l. 10. c. 37. *plura de his vid. apud Agell.* l. 1. N. A. c. 9. *Suet.* in Tiber. c. 57. & 68. in Tit. c. 3. *adde & Origenem* l. 1. contra Cels. *Silent Veteres de frontalibus literis.*

Sed plantarum etiam & vegetabilium] *Plantæ habent certas signaturas & colores, ex quibus aliquid conjici posse multi putant. Vid. Athanas. Kircher.* l. 1. de arte luc. & umbr. part. 3. c. 8.

His nomina creaturis Adamus indidit] *Vid. August.* l. 9. de Genes. ad liter. c. 12. 13. & 14.

Sunt etiam mysticæ in manibus figuræ] *Vid.* Iob. 37. v. 7. *Sed ex illis aliquid certi haud conjici posse, constat ex fallace Magistrorum Chiromantiæ divinatione. de hac arte vid. Mersenn.* in Genes. *Tasnerum & Robert. Flud.*

Errones] *Sed hi originem suam haud ex Aegypto ducunt. Sunt colluvies otiosorum ex variis provinciis ortorum hominum: vitam suam furtis, rapinis, ac fallace manuum inspiciendarum arte utcunque tolerant. Et non solum in Europa, sed & in Asia, & in ipsa Aegypto, ejusmodi errones reperiri docent itineraria. De origine ac nomine eorum vid. Limn.* libr. 9. jur. publ. c. 1. n. 164. & 165.

Vllum omninò alteri similem reperiri] *Vid. Sen.* Ep. 113. *Nam motus animi humani perpetuo vagus est, hinc in ipso coitu diversissimæ imaginationes, quæ hanc dissimilitudinem introducunt. Inveniri tamen vultus similes notum est. Scio in*

Vngaria duos Comites fratres ex familia Golnizzorum esse, habentes vultus ita similes, ut unus ab altero dignosci nequeat. Unum illorum ipse novi Viennæ in aula Cæsarea. Similia leges dans les evenements singuliers de Monsieur de Bellay. *idem ex Cicerone*, l. 4. Academ. quæst. *de Servilis geminis, & de aliis gemellis Mechlinia annotavit Ludovicus Vives* in cap. 8. August. de Civit. Dei, l. 21. *Augustin.* eodem cap. ac libro *ita*: Quos *inquit*, similes confitemur, eosdem dissimiles invenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quoniam similitudinem justius videtur exposcere natura communis. Et tamen, quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira. Multo enim amplius admiramur, quando duos ita similes reperimus, ut in eis discernendis, aut semper, aut frequenter erremus.

Vniversas dissimiles videbit] *Quod illis qui optimè artem pingendi callent, notum est. Hinc sola subitanea picturæ inspectione noverunt auctorne sit Raphael Vrbinus, an Michael Angelus, an Titianus, an alius celebris.*

Manifestum adhuc discrimen reperies] *Quod non semper verum est: tradit Georg. Vasari* part. 3. de la vita de i scultori e Pittori, della vita di Rafael d'Vrbino, *Raphaelem ita potuisse imitari Petrum Perusinum, ut nemo pictorum discrimen reperire potuerit, sed putarint ipsum Petrum fuisse auctorem. Tit. Flav. Vespas. potuit omnia chirographa imitari. Suet.* in ejus vita c. 3.

Dehonestat] *Hinc Itali*; Il mondo è bello, perche è vario.

Sect. III.

VT verò à Philosophia ad charitatem redeã; non sic angustis limitibus virtutẽ hanc definio, quasi solummodo eleemosynam facere charitatis esse existimẽ,

aut universam charitatem à liberalitate comprehendi. Actiones eius Theologia prudenter multifariã divisit, & in via hac angusta multas ad virtutem semitas ostendit. Quot enim modis alteri benefacere licet, tot modis charitatem exercere possumus. † Non corporis tantum, sed fortunæ etiam & animæ infirmitates sunt, quibus omnibus pro modulo nostro succurrendum est. Rudem & indoctum non contemno; imo eadẽ misericordia hunc, qua Lazarum intueor; nec potioris charitatis est huic corpus contegere, quã illius animæ nuditatem amicire. Magnificum verò illud & præclarum est, aliorum animos quasi sumptibus nostris togatos incedere, & ingenio nostro tanquã patrono assurgere; vilius benefacere non poteris. Sic naturali charitate Sol aliis lumen præbet, nec sibi detrahit. Hac in re qui parcus & tenax est, † turpissimè avarus est, & sordidissimo philargyro sordidior. Ad hoc munus me (ut cui in literarũ studiis educari contigit) conditionis officiũ obstringit: & idcirco † non sepulchrum, sed thesaurarium scientiæ, animum facio, nó reipublicæ literariç monopolium affecto, sed in commune laboro. Nec mea tantum, sed eorum etiam causa studeo, qui sua ipsorum causa studere nolunt. Si quis me plura sciat, non invideo;

mise-

misereor, si quis pauciora. Non exercitationis causa alios erudio, nõ ut in memetipso scientiam foveam, sed ut in alios propagem. Hos inter conatus hoc unum mihi animum dejicit, dotes eas, quas studio & labore acquisivi, mecum esse perituras, nec charissimis meis & amicissimis legari posse. Propter † errorem aliquem neminem contemno, aut odi: nec enim æquũ videtur, ut ‡ opinionum discrimen mutuam benevolentiam dirimat. Non semper charitatis leges violant † disputationes & controversiæ, sive Philosophiæ, sive Theologiæ res agatur, modo placidi & tranquilli judicii prudentia accedat. Hic † quantum stomachi est, tantũ nihil ad ré est; & ratio, tanquam naribus sagacibus parum canis, omissa quam prius petiverat præda, alio præcipitatur. Hinc raro de controversiis quicquam decernitur: quãtumvis enim magnificè propositæ, vix attinguntur, ita digressionibus parum necessariis intumescunt, ita partium studiis omnia in transversum aguntur, ut sæpè parergorum parenthesis principale subjectum superet. Rata jamdudum & sancita sunt religionis fundamentalia, & de salutis principiis inter omnes convenit, vix restat controversia satis digna, quæ nobis bilem moveat, & tamen vix unquam † citra hanc, aut in Theologia, aut in inferioribus

ribus scientiis disputatur. Quali autem *Βατραχομυομαχία* ab S. & T. apud Lucianũ concurritur? † Quæ rixæ, quæ prælia Grammaticorum! quoties solummodo, quid * † *Iupiter* in Genitivo gignat, contenditur? Quàm miserè sibi ipsis cerebrum comminuunt, ut Prisciani calvitium tuentur! Si foret in terris † rideret Democritus. Imo de hujusmodi lana caprina etiam † à prudentioribus non raro confligitur: Quot vulnera data & accepta sunt! Quanta nominum strages edita, quoties de ignobili aliqua opinione, aut † vili distinctiuncula prælium instituitur! Doctorum quidem togæ sunt, non arma; at linguis utuntur † Actii novacula acutioribus; ut † calami ipsorum ipsis tonitribus longius petunt, longius audiuntur. Archibalistæ furorem excipere malo; quam sævientis calami. Quod artibus plerumque patrocinentur, & eruditis viris faveant prudentiores Principes, non tam ex eo fit, quod ardentiori zelo eruditionem prosequantur, aut musas religiosius colant, quam quod horum opera nomina sui † æternitati commendari velint, † & ultores calamos posteritatis vereantur: Cum illi absolutis, quas sustinuere, partibus exierint, hi tandem totius fabulæ argumentum enarraturi in scenam prodeunt, quæ rectè, quæque male fe-

* *Iovis, an Iupiteris.*

le fecere posteris prodituri. † Hominem profectò fide integerrima esse oportet, quicunque historiam conscribendam suscipit: indelebilis enim labes nomini adhæret, quam historici calamus asperserit: huic † nos apud omnes populos, apud omnem posteritatem traducere licet, idq; adeò jure suo, & authentica quadam mentiendi authoritate.

ANNOTATA
Ad Sect. III.

Non corporis tantum sed fortunæ etiam & animæ infirmitates sunt, quibus pro modulo nostro succurrendum est] *August.* tract. 8. in Epist. Joh. *ita:* Duo sunt, *inquit*, eleemosynam facis: duo esuriunt, unus panem, alter justitiam. inter duos istos famelicos, bonus operator constitutus est: si charitas de illo operatur, ambos miseratur, ambobus vult subvenire: ille enim quærit quid manducet, ille quærit quid imitetur: pascis istum; præbes te isti, ambobus dedisti eleemosynam: illum fecisti gratulatorem de fame interfecta; hunc fecisti imitatorem de exemplo proposito.

Turpissimè avarus est] *Deus nobis ejusmodi dona dedit, ut illis alios adjuvemus, & sine hoc illa nobis non prosunt. Hinc August.* l. 4. confess. c. ult. Quid mihi proderit bona res non utenti bene?

Non sepulchrum] *Communia beneficia omnibus communicanda sunt, singularia non peraque, sed cum delectu. Aesops gallo haud gemma projicienda est. Sunt maxima naturæ secreta, quæ nonnullis summo labore, imò sæpè singulari Dei gratia discere contigit, illa detegere omnibus, quis exinde solum inflare redde-*

rew-

rentur, omnes præ se despicerent, illisq; solum ad divitias comparandas abuterentur, neminem obligari censeo: hominibus tamen illis prodesse unusquisque tenetur. Alioquin optimè Seneca in epist. 6. In hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit, & salutaris, quam mihi, uni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda possessio est.

Errorem] *Seneca* l. 1. de ira c. 14. Non est prudentis, errantes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quam multa contra bonum morem faciat, quam multa ex his, quæ egit, veniam desiderent: jam irascetur etiam sibi. & l. 2. de ira c. 9. Istud cogitabis, non esse irascendum erroribus. Quid enim, si quis irascatur in tenebris, Parum vestigia certa ponentibus? *& iterum.* Num quis irascitur pueris; quorum ætas nondum novit rerum discrimina? Maior est excusatio & justior, hominem esse, quam puerum. Hac conditione nati sumus, animalia obnoxia non paucioribus animi quam corporis morbis: non quidem obtusa, nec tarda, sed acumine nostro malè utentia, alter alteri vitiorum exempla. Quisque sequitur priores, malè iter ingressos. Quidni habeant excusationem, cum publica via erraverint? & c. 10. In singulos severitas Imperatoris distringitur. at necessaria venia est, ubi deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium. *Vid. plura* ibid.

Nam nemo vitiis sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur. —— ——

Horat. lib. 1. satyr. 3. *Ideò Servator noster* Ioh. 8. *ad Pharisæos de muliere in adulterio deprehensa:* Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. *Senec.* l. 1. de ira c. 14. Neq; enim æquus

æquus judex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert. Nemo, inquam, invenitur, qui se possit absolvere: & innocentem quisq; se dicit, respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius, mitem & pacatum animum præstare peccantibus: & illos non persequi, sed revocare?

Opinionum discrimen] *Sed nunc interdum propter levissimum opinionum discrimen, non solum alter alterum contemnit aut odit, sed & hæreseos, aut quod magis abominandum est, atheismi accusat. Admonet Apostolus* Eph.4. v.2. ut cum humilitate & mansuetudine, cum patientia nos invicem supportemus in charitate. *quod nunc adeo inversum est, ut & contra ipsos amicos propter levem suspicionem aut opinionum discrepantiam, verborum aucupium instituere, ilorum famam turpitudinis quadam macula iniquissimè fœdare, atque ingloreas prædas agere, summæ voluptatis loco habeatur. Multi nunc ipsos sanctos supereminere volunt; sed cum propius illos introspicimus, nec volam, nec vestigium Christi institutorum apud illos reperire licet: contra nihil magis in natura sua laudare videntur, quam inverecundam imprudentiam: Et, quod summum nefas est, Dei nomen aut aliud sanctum quid sæpe obtendunt, ut mansuetudinem, modestiam, patientiam, æquitatem, aliasq; Christianas virtutes vilia habere, omniaq; ex libidine eò audacius agere possint.*

Disputationes sive controversiæ] *Vid. quæ supra dixi* p. 29. *Optimè Lipsius* l.4. Prud. Civil. c.3. in not. ad reg. 14. Disputationes, *inquit*, non damno, si in loco, si inter idoneos, si cum modo usurpatæ. Locum censeo, Scholas, Academias, Collegia. Idoneos, rerum sacrarum & Philosophiæ item peritos Modum, ut contentio & nimia subtilitas absint. Nec enim quicquam mi-

nus convenit, quam subdola ista calliditas, animis conantibus magna. Seneca epist. 49. fin. Sed in publico & in populo disputationes omnes valde improbem. Nisi Principi, aut iis qui præsunt, ob causas, aliter videatur. Primum, quia per eas excitantur ad novitates multi, & pruriunt. *Plura vid.* ibid.

Quantum stomachi, tantum nihil ad rem est] *Vide Lips.* Prud. Civil. l. 4. c. 3. n. 14. *& Bernegg.* Tub. Pacis p. 352. *Hinc B. Lutherus:* Non docendo, sed disputando amittitur veritas. Hoc enim malum disputationes secum afferunt, quod animi quasi profanantur, & rixis occupati, quæ præcipua sunt, negligunt. *Vid. D. Luther.* prælect. in Psalm. 130. Tom. 3. Lat. Witeb. *& Berneggeri* pag. 358.

Citra hanc aut in Theologia] *Vid. quæ contra hæc moderatè differit Clarissimus Berneggerus, celeberrimus Academiæ Argentinensis Professor*, in Tuba Pacis p. 352. *usque ad finem. Multis arridet illud quod ille; ut & Lipsius ex Socrate* l. 5. Hist. Eccles. c. 10. de Silinnio, viro prudente, rerum usu perito, in sacris literis erudito, & summo philosopho proferunt. *Hic Theodosio ajebat:* Disceptationes non solum non tollere aut reconciliare schismata, sed hæreticos præterea ad contentionem magis accendere. *Eadem quæ olim in Græcia facta sunt, nunc sæpe multis in locis fiunt. Nota quæ Berneggerus* ibidem *ex Gregor.* l. 6. Histor. Bizant. c. 2. *exscripsit:* Factionum principes inter se digladiabantur, linguas contra sese mutuo, non zelo divino; sed iracundiæ impetu acuentes. Nam qui secundùm Deum est zelus, à superna potentia dependet, & divina quadam ac moderata, concinnaque ratione gubernatur. Qui verò mentis suæ fores ambitioni & ostentationi aperiunt, ii non vident, zelum suum in æmulationem & odium con-

converti, & pro frumento, uvä cæterisque bonis fructibus, spinas & tribulos in hoc agro produci: quæ non aliud sunt nisi lites, ab animo non satis instituto profectæ, & adversariarum orationum certamina. *Felicior esset Europa nostra, si omnes Principes, ac Respublicæ imitarentur Imperatorem Andronicum Nicetam, de quo Nicet. Choniates* l. 2. Annal. *ita*: Tantum, *inquit*, absfuit, ut morem tunc & nunc receptum de divinis dogmatibus disputandi probaret, aut de Deo novum aliquid vel dicere, vel audire vellet, etsi ipse rerum divinarum peritissimus esset, ut novarum Patrarum Episcopum Euthymum, virum eruditione clarum, & Iohannem Cinamum in tabernaculo suo, contra Lopadium differentes super illo: Pater major me est: non solum objurgarit: sed etiam abjecturum se in profluentem amnem seriò minatus sit, ni desisterent talia loqui. *Vid. plura* dict. lib. *Bernegg. & præsertim ea, quæ ex Luthero & Philipp. Melancht. profert. Hanc potestatem Magistratui competere docet Thomas Bilsonus Episcopus Wintoniens.* de perpetua Ecclesiæ Christi gubernat. c. 10. *& Dn. Reinking.* lib. 3. Cl. 1. c. 1. n. 9. de R. S. & Eccl.

Ab S & T. apud Lucianum concurritur] In libro de Iudicio Vocalium, edit. Francof. p. 9. *Lusus est elegans & perquam festivus. Quæritur* Σίγμα *de injuria* Ταῦ, *quod* Ταῦ *tentet nominibus & verbis patriis extrudere* Σίγμα. *Certamen etiam ibi animadvertes* Λάμβδα *cum* Ρῶ, *&* Γάμμα *cum* Κάππα.

Quot rixæ, quot prælia grammaticorum] *Vid. Andream Salernitan.* de bello Grammatic. *Quintil.* in institut. Orator. l. 1. c. 6. & 10. *Agellium* l. 14. c. 5. & l. 15. c. 3. *Alex. ab Alexandro* l. 1. genial. dier. c. 21. & libro 3. c. 19. *Vid. & Vallam & Erasmi* Moriam, & *Cornel. Agripp.* de Vanit. Scient.

Iupiter in Genitivo] *Priscianus putat in Genitivo Iupiteris non Iovis: nam olim, ut Schoppius* in Grammat. Philosoph. p.116. edit. Nediolanens. *docet, dicebatur in Nominativo, hic Iupiter, in genitivo hujus Iupiteris, & hic Iovis in nominativo, in genitivo hujus Iovis.*

Rideret Democritus] *De hoc Seneca* l. 2. de ira c.10. *ita:* Heraclitus, *inquit*, quoties prodierat, & tantum circa se malè viventium, imò malè pereuntium viderat, flebat; miserebatur omniũ qui sibi læti felicesque occurrebant, miti animo, sed nimis imbecillo: & Ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse, adeò nihil illi videbatur serium eorum, quæ seriò gerebantur. *Adde eundem* de Tranquill. anim. c.15. *de utroq. Iuvenalis* satyr. 10. *ita canit:*

Iamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine moverat unum
Protuleratque pedem; flebat contrarius alter.

A prudentioribus non raro confligitur] *Sic Lucilius alios ante se increpat. Asinius Pollio reprehendit Livium, quod stylo usus sit nimis Patavino. Valla omnes Grammaticos, qui ante ipsum vixerunt, aggreditur. Casp. Schoppius non mitior est, nec ipsi Ciceroni ac Varroni parcit. Vid.* in Grammat. Philosoph. & in suis paradoxis literariis. In libro de styli Historici virtutibus ac vitiis, *qui nondum impressus est (mihi ejus lectionem amice Patavij, cum adhuc viveret, concessit) in Clarissimos antecedentis ac hujus seculi criticos invehitur. Vide omnino Iusti Lipsii* Satyram Menipp.

Vili distinctiuncula] Vide Satyr. menipp. Iusti Lipsii.

Actii novacula] *Actius augur novacula cotem dissecuit, cum prohiberet Tarquinium Priscum, senatus majestatem numero ampliare. Vid. Flor.*

l. 1. c. 5. *sed Liv.* l. 1. pag. 48. edit. Gronhov. *aliter illam Historiam describit. Vid. & Valer. Max.* l. 1. c. 4. n. 1.

Calami ipsorum ipsis tonitribus longius petunt] *Tamen si calamum maledicendi studio provecti in aliquem stringant, seipsos perpetuis infamia sordibus misere maculant. Nemo non potest propriæ famæ vibicem ac maculam inurere, qui innotescendi studio, aut ambitionis prurigine, aut aliis affectibus actus, omnium inimicitias deposcit, omnesq; rabiosis latratibus ac pessimis conviciis allatrat, rectam alicujus mentem sycophanticè torquet, aliquid sceleratè affingit, & tandem manifestissimum reddit, se turpissimè doctrinam ac scientiam, imò & conscientiam affectibus addixisse: qui hoc, inquam, facit, nihil aliud verbis operose quæsitis, & magna diligentia ex Plauto & aliis exscriptis efficit, quam procaces mulieres ac contentiosos scurras arte paululum superare.*

Archibalistæ] *Est tormentum militare, qua veteres muros pulsabant, atque urbes oppugnabant. Hinc Ovid.*

Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.

De hoc instrumento vide Veget. l. 4. c. 22. *& Vitruv.* l. 10. c. 16. *& Lips.* de Machinis, tormentis & telis.

Aeternitati commendari velint] *Hinc Alexander optavit Homerum sua ætate vivere. vid. Plutarch.* in vita Alex.

Et ultores calamos posteritatis] Eapropter Cremutius Cordus postulabatur crimine, quod editis annalibus, laudatoq; Marco Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. *Vid. Tac.* l. 4. Annal. c. 34. *Sed idem bene* in fine c. 35. Quo magis, *inquit*, socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra, pu-

nitis ingeniis gliſcit auctoritas. Neque aliud externi reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere. *Optimè Plin.* panegyr. c.53. Nullus locus, nullum eſt tempus, quo funeſtorum Principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcunt. *Ille Principum timor interdum multum boni parit. Hinc Plin.* l.3. epiſt. 2. Multi famam, conſcientiam pauci verentur. *& Cl. Mamertin.* panegyr. c.31. Non poteſt quicquam abjectum & humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper loquendum. *Aegyptij poſtquã Reges ſui deceſſiſſent, antequam ſepulturæ mandarentur, publicabant illorum benè ac malè res geſtas. Vid. Diod. Sic.* l.2. Is timor, *inquit*, coëgit Aegypti Reges juſtè vivere, veritos futuram poſt mortem plebis iras, atque odium ſempiternum.

Hominem profectò fide integerrima eſſe oportet] *Eapropter apud multas nationes optimis & principibus viris hiſtorias ſcribere commiſſum fuit. Apud Iudæos Moyſes, & Prophetæ ſcripſerunt. Apud Aegyptios collegio ſacerdotum hoc demandatum erat. Vid. Diod Sicul.* l.1. Biblioth. *& hoc collegium poſt regem ſecundum honoris dignitatisq; locum tenebat, Ioſeph.* l.2. antiquit. *Quomodo apud Perſas olim Hiſtoriæ ſcripta fuerit, docet lib. Eſther.* c.2. & c.6. *& Ioſephus* l.11. antiquit. c.6. *Sic & nunc apud Venetos, Nobiles hoc munus obeunt, cujus documentum afferunt, Hiſtoriæ Pecutæ, Bembi, Iuſtiniani, MoreZini, &c. Non eſt res levis momenti hiſtoriam ſcribere. Debet Hiſtoriographus* ſine ira & ſtudio res tradere. *Vid. Tac.* l.1. Annal. c.1. nec Inſcitia Reipublicæ ut alienæ, nec libidine aſſentandi, nec odio adverſus dominantes *aliquid ſcribi debet. Tac.* l.1. Hiſt. c.1. *de Hiſtorici requiſitis ſcripſit perfectiſſimum librum Maſcardus linguæ Italica, qui videri poteſt.*

Nos apud omnes populos, apud omnem poſteritatem traducere licet] *Vid. Tac.* l.4. annal. c. 34. & 35.

Sect.

Sect. IV.

ALius etiam modus est, quo in charitatem frequenter peccatur, quem nullus unquam scriptor attigit, & pauci animadvertunt. Dico autem convitia illa, & opprobria † non tantum in universum aliquod vitæ genus, sed † etiam in totas nationes jacta; dum alii alios † contumeliosis epithetis lacessimus, & iniquissima Logica paucorum crimen in omnes diffundimus.

† *Le mutin Anglois, & le bravache Escossois,*
Le bougre Italien, & le fol Francois,
Le poltron Romain, le larron de Gascogne,
L'Espagnol superbe, & L'Alleman yvrogne.

† Cretas quidem mendaces Paulus vocat, non id tamen, nisi † indirectè, & ipsorum poëta allegato. Turpis sanè error, & qui cruentum illud Neronis votum quodammodo refert: unico enim verbulo mille vulneramus, & totius Nationis honorem unico ictu extinguimus. Illi † totis Anticyris digni sunt, qui convitiis † in tempora debacchantes, bile sua, & maledictis ad sanitatem revocare parant. † Democritus, qui risu usque tempora exagitans, hac ratione correxisse voluit, non minus mihi hypochondriacus videtur, quam contrarius alter, eadem † perpetuo deflens. Minimè mihi bilem moveri sentio, quoties vulgum sui similem, hoc est, more suo insa-

nientem cerno. Arcetur enim prophanū vulgus à sapientiæ aditis, & † pauci sunt, quibus bonis esse datur. † Qui vitium omne è medio sublatum cupiunt, virtutem extinguunt: contraria enim, quantumvis se mutuo tollant; mutuo tamen animant etiam; & virtus extinctis vitiis Idea tantum futura est. Adhæc, vitiorum frequentia minimè virtutem dehonestat: nam quo plures contagione sua vitia corripiūt, eo virtus magis magisq; in quibus restat, elucere incipit: quæ ut in his pereat, in aliis tamen bonitatem suā cumulatiorem cernit, adeoque in universali inundatione & integra indelibata perstat. † Vitiis itaque quoties occursum est, corripere, & monere quædam contentus, à satyra facilè temperare possum. Ingenui enim & virtutis capaces animi cōvitiis & maledictis in vitia aguntur, † quos placide monendo ad virtutem facilius perduxeris. Et sic saltem virtutis oratores omnes esse debemus, ut eam à vitiorum vi & injuria defendentes, ipsæ veritatis causæ patrocinemur. † Rectè alterum æstimare & judicare nemo potest, nemo enim alterū satis novit. Hanc adeò ex me ipso conjecturam facio: In tenebris adhuc obscurus latito, nec me familiares mei & amicissimi, nisi multa nube obvolutū intuentur: qui extrinsecus tantum norunt, minoris me æstimant,

quam

quam ego me ipſum; qui familiarius, pluris; Deus qui me ſolus vere exploratum habet, novit me nihil eſſe. ‡ Ille & me & univerſum mundum ſolus intuetur; non enim nos per mutuatitios radios, non per ſpecierum ſenſibilium trajectionem contemplatur; ſed ſubſtantiã ipſam citra accidentium beneficium videt, rerumq; earum formas, quarum nos ſolummodò operationes cernimus. Porrò autem, nemo alium juſtè æſtimare poteſt, † quia nemo ſeipſum novit. ‡ Alios enim reprehẽdimus, quatenus ab eo diſcrepant, quod in nobismet ipſis laudabile judicamus, & laudamus in quantum conſonant. Hæc omnia huc ſcilic. redeunt; nihil hoc aliud eſt, quam quod omnes † ad unũ damnamus φιλαυτία. Communis eſt hujus ſæculi, & fortaſſe etiam præteriti querela, *charitatem frigere*. Quod veriſſimè in iſtos competere video, qui † ardentiſſimas zeli flammas præ ſe ferunt. Huic enim virtuti cum modeſtis & ad humilitatem animi temperatis ingeniis optimè convenit. Nec ſanè fieri poteſt, ut alios charitate proſequamur, † qui ne noſmetipſos quidẽ charos habemus. *A ſe charitatem incipere*, vulgo ajunt, cum tamen nobiſmet ipſis † nemo nobis infeſtior ſit; imo ipſi nobismet ipſis carnifices quodammodo ſimus. *Non occides*, à Deo quidem præceptum eſt,

ab hominibus verò perrarò obſervatum. † Atropos eſt † ſua quisq; ſibi ; nos manu propria vitæ noſtræ ſtamen demetimus. Nec primus homicida Cainus fuerat , ſed ipſe Adamus mortis inducendæ author: Quam in filio ſuo Abele primum expertus eſt, alieno tandem exemplo id illi perſuadente, quod fides in ſeipſo perſuadere non poterat.

ANNOTATA
Ad Sect. IV.

Non tantum in univerſum aliquod vitæ genus] *Multi Principum ſtatum increpant : in quo excellere videtur Georg. Buchananus* , de jure Regni Scotiæ, *nec miror Althuſius* in S. Polit. *Illud nunc valde commune eſt , ut documentum afferunt ea, quæ contra Monarchias in Anglia eduntur. Horum hominum doctrina jam magnam partem refutata eſt, à Guilielm. Barclaio* in lib. contra Monarchom. *Multa falſa odio adverſus dominantes ſcribi, teſtatur jam olim Tac.* l. 1. Hiſt. c. 1. *Alij inſectantur Reſpubl. Sic Ioſeph.* l. 1. contra Appion. *dicit, quod olim* Theopompus Athenienſium, Lacedæmoniorum Policrates , is autem qui Tripoliticum conſcripſit , etiam Thebanorum momorderit Vrbem. *Eodem modo adhuc adverſus multas Reſp. ſævitur. Alij aulicum vitæ genus* (*vid. Saresburienſ.* de nugis curial.) *alij Eccleſiaſticum , alij Nobilitatem, alij alium vitæ ſtatum mordace perſtringunt ſtylo.*

Etiam in totas nationes jacta] *Quod imprimis in hiſtorico valdè reprehendendum eſt. Secundum Polyb.* l. 3. Non tam Hiſtoriæ proprium eſt, ſcelera atque flagitia hominum, quam quæ juſtè honeſteque facta ſunt commemorare, & qui hi-

ſtorias

storias legunt, plus utilitatis ex rebus, studio & æmulatione dignis, quam ex iniquis & fugiendis consequuntur. *Hæc Polyb. Sane si Historici est moderatè delicta reprehendere, ne id maledicentia fecisse videatur; multò magis ejus est, abstinere conviciis, & præsertim in totas nationes. Possunt tamen, si absunt convitia, nationum vitia tangi. Habet enim unaquaq; natio peculiaria vitia.* Omnes (*scribit Salvianus Massiliensis* l. 7. de gubernat. Dei) gentes habent peculiaria vitia aut mala. *& Livius* l. 45. Gentes, *inquit*, aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum, in Venerem procliviores aliæ. *De quo plura vide apud Tholosan.* l. 4 de Rep. c. 4. *Boccalin.* cent. 2. de raguagli di Parnasso, raguagl. 37. *Barclai.* icon. animor. *Alex. ab Alexand.* l. 4. genial. dier. c. 13. *Hinc Vlpianus* in l. 31. §. 21. ff. de ædilit. edict. Qui mancipia, *inquit*, vendunt, nationem cujusque in venditione pronuntiare debent: Plerumque enim natio servi aut provocat, aut deterret emptorem. Idcirco interest nostra scire nationem, præsumptum etenim est, quosdam servos bonos esse, quia natione sunt non infamata: quosdam malos videri, quia ea natione sunt, quæ magis infamis est.

Contumeliosis epithetis] *De his epithetis vide Nathan, Chytræum* in delitiis Europæ itin. *Alex. ab Alexandr.* l. 4. gen. dier. c. 13. *Cornel. Agripp.* de vanit. Scient. c. 54. *Lansi.* in Consult. Europ. *Iul. Cæs. Scaliger.* poëtic. l. 3. c. 16. *Conr. Rittersh.* in comment. Novell. part. 3. c. 4. *Francois de Boyvin, Baron. du Villars*, au livr. 4. de ses memoires, *& ex illo Matthieu Turpin* en l'Histoire de Naple & de Sicile livr. 4. *Germanos appellat* Brodesacs à vin, *quod Horatiano illo* l. 1. Od. 18. *exprimam, qui* modici transiliunt munera Liberi. *aut, ut* l. 3. Od. 17. *habet*, qui solum mero genium curant, *aut, ut alibi*, potores, bibuli media

dia de nocte falerni oderunt porrecta negantem pocula, aut qui *ventrem poculis onerant ac continuo nectare madent. Eodem modo multi alij Galli in nos sæviunt: & notum est illud vulgare quod cuidam Italo tribuitur, sed Hispanis adscribit Dn. Remkingius. Vide* l. 2. cl. 2. cap. 5. n 16. de Regim. Secul. & Ecclesiast.

Germani multos possunt tolerare labores:
O utinam possent tam bene ferre sitim!

Cui hoc responsum datum est:

Vt nos dura sitis sic vos Venus improba vexat:
Lex Veneri lata est Iulia, nulla mero.

Nec nos, Gallos ut leves, atque Italos, ut nimium libidini indulgentes, nimis interdum rigidè traducere omittimus.

Le mutin Anglois] *Hæc ita latinè reddidi. Anglus est factiosus. Scotus thrasonicè agit aut projicit ampullas & sesquipedalia verba, Itali prædicatores sunt. Galli stulti. Romani ignavi. Vascones fures. Hispani superbi. Germani ebrij.*

Cretas mendaces Paulus vocat] *Vid. ad Tit.* c. I. v. 12. Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφήτης· Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί.

Indirectè, & ipsorum Poëta allegato] *Sumpsit id Apostolus ex Epimenide, qui fuit Templi Mithrasive Solis apud Cretenses sacerdos. Vide Epiphan.* contra Marcionitas hær. 42. *illos versus Origenes* l. 3. contra Celsum. c. 12. *Callimacho tribuit. Hunc Epimenidem, cuius mentionem etiam Aristoteles facit* lib. 1. polit. c. 2. *Apostolus secundum veterem Cretum opinionem Prophetam appellat; & quanquam alia falsa protulerit, hoc tamen ejus de Cretensibus testimonium verum esse dicit. Ex quo manifestum fit, ipsum Apostolum, à contumeliis atque conviciis inferendis alienissimum, non potuisse tamen prætermittere, quin indicaret, singulis nationibus*

pro-

propria quadam vitia inesse, partim propter pravam ac laxam educationem, malamq; consuetudinem, partim & propter cœli temperiem; illa tamē sedula cura ac recta admonitione extirpari posse.

Totis Anticyris digni] *Anticyra est Insula ad sinum Maleacum & Oetam montem. Vide Strabon.* l. 9. *Optimum Helleborum ibi crescit: Hinc Veteres cum insanum aliquem esse indicare vellent, dixerunt:* es anticyra dignus. *Sic Horat.* l.2. Serm. Sat. 3.

Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

In tempora debacchantes] *Nam illa semper aliquid monstri produxerunt, & quid juvat contra hæc stomachari, cum nulla ira, aut stomachoso clamore, aut clamosis querelis illa emendare possimus.*

Democritus] *Vid. quæ supra* part. 2. ad sect. 3. *dixi.*

Perpetuo deflens] *Heraclitus Vid.* ibid.

Pauci sunt, quibus bonis esse datur] *Juvenal.* Satyr. 13. (quot

Rari quippe boni: numero vix sunt totidem,
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

& Cyprianus in prologo sermon. Omninò, *inquit,* rarum est & difficile fieri bonum, facile & pronum est esse malum, & sine magistro, sine exemplo doctrina statim à pubescentibus annis imbuimur & docemur. *Vide plura* ibid.

Qui vitium omne è medio sublatum cupiunt, virtutem extinguunt] *Oporteret totum humanum genus extinguere.*

Nam vitiis nemo sine nascitur. Optimus ille
Qui minimus urgetur.

Horat. l.1. Serm. Sat. 3.

Vitiis

Vitius quoties occursum est, corripere & monere quædam contentus] *Peccatoquidem irascamur, non fratri peccanti. Vid. August.* in comment. ad cap. 5. Matth. *Senec.* in Epist. 94. *ita:* Nihil, *inquit*, efficient monitiones admotæ gravibus vitiis. Ne medicina quidem morbos insanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum. *Et paulò post.* Sed non ideò, *inquit*, nihil sanat, quia non omnia.

Quos placidè monendo ad virtutem facilius perduxeris] Humanius mitem ac pacatum animum præstare peccantibus: & illos non persequi, sed revocare. Errant per agros ignorantia viæ, melius est ad rectum iter admovere, quam expellere. *Optimè Quintil.* l. 2. instit. orat. c. 9. Sicut, *inquit*, frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus foverit sulcus: ita doctrina coalescere nequit, nisi sociata tradentis, accipientisque concordia. *Epictetus apud Stobæum*: Monitor, *inquit*, illud inprimis curare debet, & eorum, qui monendi erunt pudori consulat & verecundiæ: qui enim pudore non afficiuntur, corrigi nullo modo possunt. *Et iterum:* Melius est monere, quam convitium facere: illud enim lenitatis & amicitiæ plenum: hoc verò acerbum & contumeliosum est: illud item peccantem corrigit, hoc solum redarguit &c. *Sen. in epist.* 94. Omnium, *inquit*, honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat. Erigitur virtus cum tacta est & impulsa.

Rectè alterum æstimare nemo potest] *Hominem novisse longè difficillimum est. Multi ita dextrè vitia tegere norunt, ut vix prudens etiam ex longo consortio illa animadvertere valeat. Et quod S. Scriptura dicit,* Regis cor esse abditum, *non ineptè de magno hominum numero*

mero dici potest: Ideò multos modios salis simul edendos esse puto, antequam aliquem rectè novisse possimus. Quomodo animus hominis cognosci & explorari possit, vide au cinquiesme traitté, le premier discours *du Pere Senau* de l'usage des passions, *& Scipion. Clarement.* de conjectand. animi mor. *& Huart.* in Scrutin. ingen. *Sed rectè Cicero ad Q. Fratr.* Epist. 1. Multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura. Frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur, oratio verò sæpissimè.

Quia nemo seipsum novit] *Eapropter Thales Milesius percunctanti, quid esset difficile, respondit, seipsum nosse.* Aliena, *inquit Erasmus,* in apophth. rectius perspicimus quam nostra, & sibi quisque adulator est, *ideò Plato dicit*, seipsum cognoscere esse sapere. *In propriis enim vitiis plerumq; cæcutimus. Hinc Horat.* lib. 1. Serm. Sat. 3.

Quum tua pervideas oculis malè lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Alios reprehendimus, quatenus ab eo discrepant, quod in nobismet ipsis] *Plerumq; una Natio alteram propter hac reprehendit ac contemnit, putans* nihil esse rectum, nisi suis moribus conveniat. *Vid. Cornelium Nepot.* in præfat. *Rectè Terent.* in Adelph. act. 1. sc. 2.

Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Ad unum damnamus, φιλαυτία] *Quæ est cæcus sui amor, de quo Horat.* Serm. l. 1. Sat. 3.

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

& idem

& *idem* l. 1. Od. 18.

Subſequitur cæcus amor ſui.

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

& *Plato* lib. 5. de leg. Omnium, *inquit*, malorum ſummum nobiſcum naſcitur: cui omnes veniam dant: neque ejus levationem deſiderant: quod videlicet unusquisque ſibi amicus eſt natura: & ſuis opinionibus delectatur. *Modo aliquis ſolum propriis opinionibus delectaretur, tolerabile id eſſet: ſed latius hoc malum præſertim, hoc ſeculo ſerpit: Volumus enim nunc, ut omnes etiam in rebus fidei articulos haud tangentibus, planè nobiſcum conſentiant: in leviſſimè diſſentientes, multi ſtomachoſos, rabioſos, clamoſos, difficiles, aſperos ſe præbent; & hac illorum flagitioſa ira in non brevem, ſed in perpetuam ac Chriſtiano indigniſſimam verborum maledictorum amaritudinem effunditur. Apud hos homines* non ſolum neceſſitas errandi eſt, ſed errorum amor. *Sen.* l. de ira c. 9.

Ardentiſſimas zeli flammas præ ſe ferunt] *De quo ſupra* ad part. 1. ſect. 3. *egi.*

Qui ne noſmetipſos quidem charos habemus] *Nam multi homines non honeſtate, ſed lucro aut ambitione adducti ſe mille periculis, moleſtiis, laboribus objiciunt. Hinc Auguſtin.* ſerm. 30. in Evangel. ſecund. Lucam: Quid eſt, facite miſericordiam, Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim miſericors es alteri, ſi crudelis ſis tibi.

Nemo nobis ipſis infeſtior] *Nam plurima mala plerunq; nobiſmet ipſis acceleramus. Hic ſumma pericula ſubit ut honores aucupetur. Iſte ſe mille moleſtiis ac laboribus fatigat, ut aliquod lucellum capiat atque dives evadat. Hic jam locuples valde ſe cruciat, ut divitias ſuas adhuc ampliores reddat, ac ſuis illas relinquat: iſte propter amiſſas aut deminutas deſpe-*

rat

rat. Alter assuefactus splendide ac cum Principibus familiariter vivere, haud invidendis curis ac continuo metu miserè distorquetur, ne gratiam Principis perdat & quamvis in hoc statu illi vix momentum benè esse possit, tamen miserrima ejusmodi ambitione captus mavult infelicissimam vitam cum scenica pompa agere, ac tandem cum tragico exitu finire, quam ultimos etiam dies curæ corporis ac tranquillitati animi destinare.

Atropos] *Atropos est una ex Parcis, quæ vitæ finem in sua habere potestate fingitur.*

Sua quisque sibi] *Nam intemperanter vivendo, curis, molestiis, sollicitudinibus, quibus nos sponte ac nostra culpa plerumq; implicamus, vitæ terminum anticipamus.*

Sect. V.

NEminem suæ ipsius miseriæ sensu minus affici, aut alienæ magis me uno credo. † Brachium mihi siccis oculis abscindi, & citra multos gemitus membratim mihi corpus discerpi paterer; idem histrionũ fabulas non sine seriis sæpe fletibus spectare soleo, & fictas illas notissimæ imposturæ querelas vero animi dolore excipio. Ærumnam miseris exaugere, & ægritudinem, cui ferendæ vix jam sufficiunt, acerbare, barbaræ cujusdam inhumanitatis est. Hoc ipsum † Iobus gravissimum expertus est, non enim directæ Diaboli plagæ tam penitus usserunt, quam obliquæ amicorum expostulationes. Ad dolorum gurgites exhauriendos, non no-

ſtri tantum, ſed etiam † amicorum fletus valét. Sic enim in plures alveos ægritudo dilapſa tranquillus & ſedatius fluit, unico & ſolo flumine rapidius fertur. Charitas animi dolores è pectore in pectus transferre poteſt, & ita conciſim & munitim diſcerpere ut pæne nullibi ſentiri queant. Dimenſionum enim mathematicarum more dividi poſſunt afflictiones, donec quidem inſenſibiles ſint, utcumq; adhuc diviſibiles. Amicorum autem dolores non meos ex parte fieri, ſed in totum proprios reddi cupio, qua ſcilicet, & commodius diſcutere & moderari queam: nobis enim facile imperamus, quod ab alieno ingenio impetrare non poſſum9. Nobilia illa † amicorum paria † fabuloſis potius, quam veris hiſtoriis diu annumeraveram, non tam quid factum fuiſſet, quam quid fieri deberet, oſtendere arbitratus; quæ tamen omnia facile poſſibilia eſſe tandem ſentio, nec quicquam in heroicis illis exemplis † Damonis, & Pythiæ, Achillis, & Patrocli eſſe, quod non ipſe in nonnullis caſibus amicorum cauſa præſtiturus ſim. Vitam alterius cauſa à quoquam deponi, apud vulgus hominum vix fidem obtinet; adeo tritum illud & vulgare axioma violare neſciunt, *charitas à ſe ipſa incipit.* Ad me ſane quod attinet, privati ſemper comodi, rationisq; ejus, quam meiipſius habendam

dam esse natura præcipit; protinus obliviscor, quotes quid Deo, quid patriæ, & quid amicis debeam, animum subeat, secundum hæc tria meipsum amplector. Quamvis hic methodum à Scholis præscriptam violare me fateor, quæ † primo loco parentes, uxorem & liberos, secundo amicos diligendos præcipit. Exceptis enim quæ religio exigit, nullam indissolubilem & necessariam sanguinis sympathiam in me ipso reperio. Non in præceptum quintum peccari opinor, si forte amicum aliquem chariorē habeam, quam qui proxima cōsanguinitate ajuncti sunt, † etiam quibus vitam ipsam acceptam fero. † Mulierem nullam vero unquam & sincero affectu amavi; † amicum non aliter charum habeo, quam virtutem, animam, † aut Deum meum. Hinc conjecturam mihi facere posse videor, quantopere Deus † hominem diligat, & quantum fælicitatis habeat amor divinus. Cæteris omnibus omissis tres tantum mysticæ, sunt uniones; † Naturæ duæ in persona una, † tres personæ in una natura, & anima una in duobus corporibus. Quamvis enim duæ revera sint, ea tamen unione inter se connectuntur, ut † dualitatem potius, quam duas distinctas animas constituere videantur.

ANNOTATA
Ad Sect. V.

Brachium mihi siccis oculis abscindi] *Ejusmodi duros ac dolorum patientissimos jam olim fuisse testantur Historia.* *De Mutio*, qui dextram accenso ad sacrificium suipsius foculo, sine gemitu injecit, *vide Livium* l. 2. Celebratur bello Punico servi illius patientia, qui ultus Dominum inter tormenta risu exultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentem vicit. *Justin.* l. 44. Marius varices habebat in utroque crure, quos præbuit medico exsecandos non alligatus ac sine gemitu ullo, & vultu non contracto sectionem pertulit. *Plutarchus* in apophtegmat. Roman. *Apud Lacedamonios pueri quotannis stato die flagellis graviter cadebantur, quod illi sine gemitu ad mortem usq; hilares ac lati ferebant.* *Vid. Ubbon. Emm.* in descript. Reipubl. Lacon. *Sic apud Pontificios sunt plagigera hominum genera, qui magna crudeli ac gravi patientia misere flagellis duplici aut triplici funiculo intortis se operiunt, ac tax tax tergo suo sine gemitu faciunt.* *Prodit Tacitus* l. 15. annal. c. 57. Neronem jussisse Epicharim attineri, atillam non verbera non ignes, non iram eo acrius torquentium ne à femina spernerentur, pervicisse, quin objecta denegaret.

Jobus expertus est] *Vid.* Iob. 18. & 19. 20. 21. & seq.

Amicorum fletus valent] *Amicus lata amici, cum secum communicentur, auget, & contra tristia deminuit.* *Hinc Seneca* in Epist. 78. Nihil æque, *inquit*, Lucili, virorum optime, ægrum reficit atque adjuvat, quam amicorum affectus, & *Ovid.* l. 1. de Ponto, Eleg. 4.

Reddita confusæ nuper solatia menti,
Auxilium nostris spemque tulere malis:

Utque

Utque Machaoniis Pæantius artibus heros,
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ergo mente jacens, & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero.

& Euripides apud Stobaeum sermon. c.11. ex vers. Gesneri:

Nullum est aliud hominibus remedium doloris
Quam boni & amici viri adhortatio.

Vid. plura ibid.

Amicorum paria] *Vide Valer. Maxim.* libro 4. *c.* 7. *describit ibi amicitiam Ti. Sempronij Gracchi cum C. Blesio: Sempronij Grachi cum Pomponio & Laterio: L. Phagini cum Q. Servilio Cepione: T. Volumnij cum M. Lucullo; L. Petronij cum P. Cælio: Ser. Terentij cum Bruto: C. Lælij cum Scipione, & M. Agrippa cum Augusto. Damonis cum Pythia: Alexandri M. cum Ephestione. De Pylade & Oreste Ovidius.* l.3. de Ponto Eleg. 2. *ita:*

Ire jubet Pylades carum periturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat uterq; mori,
Extitit hoc unum, quod non convenerit illis:
Cætera pars concors & sine lite fuit.

Vid. & Ciceron. de amicitia. *& Manilium* l. 2. edit. Parisiens. p.49. *& Lucian.* in Toxar. *De Niso & Euryalo vide Virgil.* Aeneid. lib.9. *ubi Nisus ad hostes ita:*

Me me, adsum feci: in me convertite ferrum.
O Rutuli, mea fraus omnis; nil iste nec ausus,
Nec potuit.

Fabulosis annumeravam] *Cicero de amicitia:* Ex omnibus, *inquit*, seculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.

Damonis & Pythiæ] *De quo Cic.* l. 3. offic.

ita: Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dionysius Tyrannus diem necis destinasset, & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset: vas factus est alter ejus sistendi: ut, si ille non revertisset ad diem, moriendum esset ipsi, qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se in amicitiam tertium adscriberent. *Idem vide apud Valer. Maxim. l. 4. c. 7.*

Primo loco parentes, uxorem & liberos] *Sed hanc methodum natura præscribere videtur. Vid. §.* 1. Instit. de jure naturali, Gentium & Civ. *& Cicero* 1. Offic. *ita:* Natura ingenerat inprimis præcipuum quendam amorem, in eos, qui procreati sunt. *Seneca* in Hippolyt. act. 4.

——————— ô nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium, amissum fleo.

De parentum in liberos amore vid. Valer. Maxim. l. 5. c. 7 *Hoc jus naturale etiam jus civile confirmavit: pater enim ad filios alendos & illis benefaciendos cogi potest. Vid.* Leg. si quis à liberis in pr. ff. de lib. agnosc. & t. tit. C. de alend. lib. *Natura etiam liberos ad amandum præcipuè parentes impellit, ut & jus divinum.* Vid. Deuter. 26. v. 16. *Tenentur & jure Civili liberi benefacere parentibus. Vid.* l. 1. C. de al. lib. & dict. Si quis §. Si impubes. *De amore uxoris, vid.* Genes. 2. v. 24. *Vir patrem & matrem relinquet & adhærebit uxori, duoq; erunt in carne una. Rectè Cic.* l. 1. Offic. Si contentio, *inquit,* quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, Principes sunt, patria & parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus; proximi, liberi, totaque domus quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium. Deinceps benè

con-

convenientes propinqui, quibuscum communis etiam plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria præsidia vitæ debentur iis maximè, quos antedixi: vita autem, victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes, in amicitiis vigent maximè.

Etiam quibus vitam ipsam acceptam fero) *August.* in Homilia XXXIIX. *ita:* Incipit, *inquit,* licitus amor à conjugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia communis est cum pecoribus, & passeres illi qui personant, habent conjugia, & nidos faciunt, simul ova consovent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iste in hominibus, sed videtis quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc iste carnalis est. Non enim est laudandus, qui amat filios; sed detestandus, qui non amat. Pro magno enim laudaturus sum in homine, quod video in tigride: *Perget paulò post:* Alius amor, qui est propinquorum: Jam iste videtur proprius hominum, si non sit consuetudinis. Qui amat propinquos suos, adhuc sanguinem suum amat. Amet alios, qui non sunt propinqui, suscipiat peregrinum jam multum dilatus est amor iste. *Majorem tamen illis, quibus vitam acceptam fero, amorem, quam amicis debeo: debeo illis vitam, bonam educationem & alia, & porrò obligat nos ad hoc mandatum Dei.*

Mulierem nullam vero unquam & sincero affectu amavi) *Forsan quia illas amare periculosum putat. Hinc August.* in l. de singular. Cleric. Fœminæ, *inquit,* societas infesta est, fœdere suo magnas molestias præstat, & cui adhæserit contra fas insanabilem ingerit plagam. de carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ malum. *Chrysostom.* in Homil. 32. supra

verba Matth non expedit nubere. Mulier, *inquit*, est amicitiæ inimica, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum. *Aut timuit forsan ex illarum amore conjugium, quod multi pro magno incommodo habent. Hinc juvenal.* Satyr. 6.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet; minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lachrymis semperq; paratis.

Aut putavit sexum fœmineum plurimis vitiis scatere. Homerus jam olim. 2. Iliad.

Nihil fœmina gravius, nihil pejus.

Et Menander:

Ubi sunt mulieres, ibi mala sunt omnia.

Plautus in Milite act. 2. sc.3.

——Quid pejus muliere atque audacius?

Et in Bacchid. act. 1. sc. 1.

Viscus merus est vestra blanditia.

Hinc Propert. l. 2. Eleg. 9.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes,
Hoc unum didicit fœmina semper opus.

Et Senec. Hippol. act. 3. chor.

Decus omne turbat capitis, humectat genas.
Instruitur omnis fraude fœminea dolus.

Propterea Tibull. Eleg. l. 3.

Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen,
Ah pereat didicit fallere si qua virum.

& ipse Clemens Alexandrin. l. 6. stromat. *ex Homero:*

Deterius pejusq; aliud quam fœmina nil est.

Sunt & insuper nimis litigiosæ. Hinc juvenal. Satyr. 6.

Nul-

Nulla ferè causa est, in qua non fœmina litem
Moverit, accusat Manilia, si rea non est,
Componunt ipsæ pro se formantq; libellos.

Et in ead. Sat.

——— Quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur,
Præcipites: ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

Ea propter Plaut. in Pœnulo act. 1. sc. 2.

Negotii sibi qui volet vim parare
Navem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotii habent.

Et in Stycho act. 1. sc. 2.

Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidiè
Pridiè caveat, ne faciat quod pigeat postridiè.

Hæc tamen haud in honestarum fœminarum opprobrium dicta sint: multa enim ab his vitiis non solum alienissima, sed & omni virtutum genere conspicua inveniuntur, quam laudem multis ipsa SS. Scriptura tribuit. Vid. 2. Reg. c. 20. 1. Reg. c. 25. Matth. 27. & 28. *Possident & eaque vel ferreum cor mollire, & ad amorem adducere possent. De illarum virtutibus vide Cassanaum in catalogo Gloriæ mundi*, part. 2 à considerat. 8. usque ad finem istius partis. *Cornel. Agrippa eminentiam quandam supra virilem sexum illis tribuit. Vid.* in libr. de præcellentia fœminei sexus.

Amicum non aliter amo quam virtutem, animam] *August.* l. 4. confess. c. 6. Ego sensi animam meam & animam illius, nimirum (*amici sui*) unam fuisse animam in duobus corporibus. Et ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò fortè mori metuebam ne totus ille moreretur quem multum amaveram. *Vide* ibid. præcedentia.

Aut Deum meum] *Sed Deus super omnia amandus.* Modus, *inquit Bernhardus*, amandi

Deum est sine modo. *Ideò nobis mandatum est, ut Deum amemus ex toto corde, ex totis viribus, proximum verò ut nos ipsos, non autem ut Deum nostrum &c.*

Hominem diligat] *Vid. Cæl. Rhodigin.* l. 9. c.24. antiquar. lect.

Naturæ duæ in persona una] *in Christo divina ac humana.*

Tres personæ in una natura) *in Deo, Deus Pater, Deus Filius & Deus Spiritus S.*

Ut dualitatem potius) Cujus animum, *inquit Cicero* de amicitia, ita cum suo commiscet, ut efficiat penè unum ex duobus.

Sect. VI.

RES plena † miraculorum, ænigmatum, & mysteriorũ vetus amor est; quo ita in unum duo coalescunt, ut uterque duo videatur. Amicum me ipso charius diligo, † dum tamen satis diligere videor. Accumulatis post aliquot menses affectibus, vix antea dilexisse visus sum. Quoties absum, mortuus sum, donec una sim: præsens præsentia non satior, propius adhuc tendens' Unitis animis non satisfaciunt complexus, urget enim usq; perfectæ unionis desiderium, quod cum possibile non sit, infinitum esse desiderium necesse est, & citra ullam satietatem perpetuo flagrare. Inest & alia præterea in amore miseria: Quos æque, ac nosmet ipsos diligimus, † eorum vultus semper animis elabitur, nec oris ideã memoriæ infixam retinere pos-

possumus: quod nec mirum videri debet; Nos enim sunt, & vultus ipsorum nostros faciunt affectus. Heroicus iste affectus in vulgares, & ignobiles animos non incidit, sed in eos tantum, qui ad virtutem designantur. Nobili hoc ardore qui amicum diligit, mediocri quidem amore universos colet. Si autem, affectuum acie corpus trajicientes, ad animam penetramus, verum tum amicitiæ, tum charitatis objectum reperiemus. Animæ autem majorem fælicitatem legare non possumus, quam eam ipsam, in qua omnes fælicitatem statuimus, salutem æternam. Hanc largiri licet potestatis nostræ non sit, charitatis tamẽ erit piæq; invocationis, si minus acquirere & promovere, at desiderare saltem. Pro meipso solo preces concipere nunquam satis habeo, nisi adjecto insuper amicorum catalogo, nec mihi soli beneficium aliquod rogare, quin & proximum meum ejusdem participem cupiam. † Fatalem nolam nunquam ita hilarescens audio, quin pro decedente anima vota & preces fundam. Ad patientis corpus curandum accersitus, mihi temperare non possum, quin professionis oblitus pro anima orẽ. Quoties alium precantem cerno; quem imitari oportuit, continuo pro eodem deprecari incipio; qui mihi tamen fortasse ignotus erat: & profecto, siquidem

dem vota mea aurem Divinam facilem habuere, non pauci qui me nunquam viderunt, ignotarum precum fructum percipiunt.† Pro inimicis nostris, hoc est, pro eorum salute orare, non ita durum præceptum est, nec aliud, quam quod in quotidianis Liturgiis facere consuevimus.† De Italo illo quod vulgo refertur, non verum esse arbitror; maligna enim hominum desideria ultra hanc vitam non tendunt, Diaboli tantum, & nigra inferni vota futuri nobis seculi miseriam precantur.

ANNOTATA
Ad Sect. VI.

Omnia quæ hic de amore dicuntur, non de amore concupiscentiæ, sed de amore amicitiæ accipienda sunt.

Miraculorum & mysteriorum verus amor] *Vid. Cassaneum in Catalog. glor. mundi*, part. 12. considerat. 53.

Nec dum satis diligere videor] *in alio sensu Propert.* l. 2. Eleg. 15.

Verus amor nullum novit habere modum.

Et Virgil. Eclog. 2.

—- Quis enim modus adsit amori?

Dionys. de divinis nomin. c. 4. Ecstasin, *inquit*, facit amor, & amatores suo statu dimovet, sui juris esse non sinit, sed in ea, quæ amant, penitus transfert.

Eorum vultus semper animis elabitur] *Contrarium verius puto. Hinc Ovid.* l. 2. de Ponto. Eleg. 4.

Ante meos oculos præsto est tua semper imago,

Et videor vultus mente videre tuos.

Fatalem nolam] *Est mos in Anglia, ut quoties aliquis in agone mortis constitutus est, id nola significetur; ut quilibet pius vota pro agonizante solvere possit.*

Pro inimicis nostris] Vid. Matth. 5. v. 44.

De Italo] *Refertur, quod Italus quidam graviter ab alio injuria affectus, inimicum postea inermem obvium habuerit, illiusq; jugulo sica imposita mortem minatus fuerit, nisi vitæ auctorem Deum execraretur: & quod ille temporalis interitu liberari cupiens, parum animæ periculi memor dicto audiens fuerit, hoc commisso tunc crudelissimus hostis illum, ut simul animæ noceret, interemerit. An hoc ita factum sit ignoro: Sed verum est, Italos vindictæ esse admodum cupidos. Inter illustres Familias inimicitiæ & amor vindictæ ad seros usq; nepotes propagatur. Cædes, quæ singulis septimanis ac fermè diebus Patavij, Brescie, & alibi committuntur, id testatum faciunt. Nec illi, ut apud Gallos, & nos, & multas alias nationes, usitatum est, aliquem in duellum provocant, sed mercede milites conducunt, sine quibus tunc nunquam in publicum prodeunt, inimicumq; obvium quovis modo opprimere & tollere nituntur: Inimico interfecto aufugiunt: & quanquam sua bona fisco addici sciunt, tamen hoc innatam vindictæ cupiditatem vix mitigare potest.*

Sect. VII.

INjuriam nec inferre, nec accipere, dum adhuc mihi adolescente ætate ferverent affectus, præceptum morum satis intolerabilium visum est; cui jam tandem anni sedatiores, & † temperies magis Christia-

na ſeverius inſtitutum ſuaſere. Jam eos audire poſſum, qui dicunt, aut † injuriam nullam eſſe, † aut nullam ad vindictam comparandam, † nec vindictam ullam graviorem eſſe, quam injuriæ contemptũ: qui alteri male cupit, eum ſeipſum odiſſe; & eum potiſſimum † alios amare, qui ſeipſum contemnit. Conſcientiæ meæ injurius eſſem, ſi cum re ulla mihi minus cõvenire dicerem, quam cum meipſo. Ex variis & diverſis partibus, ex innumeris antipathiis conſtructã eſſe hanc fabricam humanã experior. Unus mihi videor, haud aliter ac mundus unus eſt, ex maxima ſcilicet diſſinctarum eſſentiarum turba, innumerisq; contrarietatibus conflatꝰ. Hoſtes occultos & domeſticos intus habemus, publicos & magis infeſtos foris. † S. Paulum colaphis tantum impetiit Diabolus, me ſtricto gladio. † Totam Pharſaliam in pectore tumultuantem ſentio, affectum contra affectum, rationem contra fidem, fidem contra Diabolum; & contra hæc omnia conſcientiã. † Alius intra me homo verſatus ſuccenſet, increpat, imperat, provocat. Nec marmorea mihi conſciẽtia eſt, quæ peccatis gravioribus cedere neſciat, nec tamen ita cerea, ut minutę, cujuslibet † offenſiunculæ, & lapſus impreſſionem accipiat. Paradoxa quadam fide nonnulla eſſe peccata credo, quæ facilius

lius condonantur,quam comittuntur alia. †Originalem labem meam Baptiſmo elutam fuiſſe ſtatuo; & peccata actualia non niſi à noviſſima pœnitentia, Sacramento, aut abſolutione computo: unde fit,ut juventutis meæ furores, & peccata nihil nunc animum terrefaciant. Peccata quidem innominata mihi nulla ſunt,quo nomine benignitati Divinæ gratias ago,nulla pecularia crimina: Epidemicis tantū & humanis urgeor,&qualia ex vulgari vitioſæ naturæ halitu cōtracta ſunt. Sunt enim certæ quædam corporum conſtitutiones, quæ animi pravitatem ſibi congruam nactæ,† novos & inauditos vitiorum fœtus pariunt,quorum monſtroſæ novitati non facile inveniuntur nomina.Hujusmodi erat propudioſus ille hircº,†qui cum ſtatua coivit, hujusmodi † ſpintriæ Neronianæ. Non cœli tantum novorum aſtrorum,non terræ plantarum& animantium fœcundæ ſunt, proferūt etiam humani animi nova & inaudita vitia. Ex ingenii autem mei tarditate, & vulgari indole factum eſt, ut nunquam ad hujusmodi inventionem ſollicitarentur affectus. Et tamen vulgares iſtæ & quotidianæ infirmitates, quæ me nexu ſic inſeparabili ſequuntur, ut non aliud quam ipſa natura mea eſſe videātur, ita animos mihi dejecerunt, ita opinionē illam minuerunt, quam aliter de meipſo

habi-

habiturus eram, ut me uno nihil vilius, & abjectius existimem. Pœnitentiæ præscripto dolorem animi Theologi addunt, in meam vero una indignatio, ira, dolor, odium ingrediuntur, affectus plane contrarii, & quales nec actioni isti, nec ingenio meo convenire videntur. Non erga nos ipsos violatur charitas, si quando, aut cum vitiis nostris litigamus, aut † eam nostri partem odimus; quæ charitatis fundamento, Deo scilicet, inimica est. Hac in re majorem hunc mundum minores imitamur, cujus discordes antipathiæ, frontesque adversæ amicam rationem Totius habent, & privatis suis inimicitiis pacem publicam tuentes, seditiosas illas potestates vinculis coërcent, quæ si superiores fierent, subitam rerum omnium ruinam molirentur.

ANNOTATA

Ad Sect. VII.

Temperies Christiana] *Christus omnem vindictam prohibet, Vid.* Matth. 5. v. 39. *& August.* de serm. Domini in monte c. 23.

Injuriam nullam esse] *Stoici dicunt*, injuriam esse nullam. *Epicurus*, illas esse sapienti tolerabiles. *Vid. Senec.* de Constant. Sapient. c. 15. *Idem*, in eodem libro c. 2. Tutus, *inquit*, est sapiens, nec ulla áffici injuria aut contumelia potest. *Vide* ibid. c. 3. c. 4. 5. & 7. Vide & lib. 2. de benefic. cap. 35. *Hinc* Socrates quum fuisset à quodam calce percussus, æquo hoc tulit animo, admirantibus illius tolerantiam dixit, quid enim

si me

si me asinus calce impetiisset, num illi diem dixissem, *Laërt.l.2.in vit.Socrat. Quomodo Diogenes Cynicus injurias contemserit, vide apud Laertium* lib.6 in eius vita.

Aut nullam ad vindictam comparandam] *Sed legitimè vindictam comparare aequum est. Hinc Augustin.* in lib.1. de Sermon. Domin. in mont.cap.37. Non vindicta prohibetur quae ad correptionem valet, etiam ea ipsa pertinet ad misericordiam. *Ipse noster Salvator cum ei unus ministrorum alapam dedisset; hanc injuriam non sine responso tulit*: Si malè, *inquit*, locutus sum, testificare de malo: sin benè, cur me caedis? Vid. Joh.18.v.23. *S. Paulus Philippis caesus virgis urbit jus suum, nec injuriam sibi illatam cum silentio tulit.* Vid. Act.16. *Idem cùm jussu sacerdotis Anania perceuteretur dixit*; percussurus est te Deus, paries dealbate, & tu sedes judicans me secundum legem & contra legem me jubes percutere. Act.23.v.3. *Quod si illi quorum perfectionem nos assequi non possumus, fecerunt, nobis prohibitum non erit injurias legitimè absq; tamen personae odio vindicare. Benè Pythagoras apud Stobaeum*, Serm.44. Qui de malis poenas non sumunt, bonos affici volunt injuria: *Si omnes injurias inultas sineremus, continuò boni offenderentur. Hinc apud Plutarch.* in apophtegm.Rom. *Cato senior dicit*, etiamsi injuria nihil adferat periculi facienti, universis tamen eam esse periculosam: *Sentiens impunitatis exemplum omnibus minari injuriam.*

Nec vindictam ullam graviorem quam injuriae contemptum] Magni animi est, injurias despicere. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. *Seneca* l.2. de ira c.32. *& August* l.1. de serm. Domini in mõte c.37. Quid enim, *inquit*, prodest, quod percussus repercutis? Num quid pro-

pterea quod in corpore læsum est restituetur integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat, sanum autem firmumque ista non juvant, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quam alieno supplicio suam mitigandam, quę nulla est. *hac Aug.* *Sed rectè ipse* ibid. *affirmat, eam vindictam, quæ ad correptionem valet, non esse prohibitam.* Senec. d. lib. 2. de ira c. 32. in fine: *Si, inquit*, tanquam ad remedium venimus, sine ira veniamus, non quasi dulce sit vindicari, sed quasi utile.

Alios amare, qui séipsum contemnit] *Nam stultus sui amor hominibus amorem aliorum admittit. In multis tamen, qui sibi ipsi non est amicus, nec aliis esse potesþ. Vid.* Senec. Epistol. 6. in fine.

S. Paulum colaphis tantum] 2. Corinth. 12. v. 7.

Totam Pharsaliam] *In Pharsalia aut Thessalia civilium bellorum detonuerunt procellæ. Vid. Lucanum & Suetonium* in vit. Cæsar.

Alius intra me homo] Quod si id facio, quod nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat. Rom. 7. v. 20.

Offensiunculæ] *Sed omne peccatum etiam minimum est* ἀνομία, Rom. 5. v. 14. Jac. 2. v. 10. *tamen nonnulla involuntaria peccata credentium haud ad condemnationem ex Dei gratia imputantur. Vide* Rom. 8. v. 1.

Originalem labem meam baptismo elutam fuisse] *Vide quod dicis* in Sect. 10. sequenti.

Novos vitiorum fœtus pariunt] *Nationes meridionales in pariendis illis ingeniosa sunt. Et Nero in hoc genere excelluit. Vid. Sueton.* in ejus vita c. 28. & 29. Cuius elegantiæ arbiter Petronius illa flagitia sub nominibus exoletorum feminarumq; & novitate cujusq; stupri perscripsit. *Tac.* l. 16, Annal, c. 19. *Exstat adhuc, ut fretum*

eru-

eruditorum auctoritate censeo, ejusdem Petronij Satyricon, quanquam haud integrum, cujus lectio propter nimis largam obscænorum ubertatem non satis tuta multis videtur.

Qui cum statua coivit] *Romæ refertur id de Hispano quodam.*

Spintriæ Neronianæ] *Nomen spintriæ primum tempore Tiberij repertum est. Vide Tacit* l. 6. Annal. c. 1 Tunc primum, *inquit*, ingota ante vocabula reperta sunt, Sellariorum & Spintriarum ex fœditate loci ac multiplici patientia

Aut eam nostri partem odimus] *Salvator noster*, Luc. 14. v. 26 *ita*: Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Sect. IIX.

In numeris autem vitiis istis, quę mihi ex Adami hæreditate rediere, unum deesse serio mihi gratulor, id quidē charitati inimicissimum, nec non † peccati omnis humani pariter ac Diabolici originem, superbiam. Cujus nomen quidem literis paucis, natura vero vix mundi limitibus continetur. Effugi in ea conditione, in quam pronior animus esse solet. Pusilla illa † scientiæ, & doctrinæ additamenta, quæ aliis opinionem de seipsis ita tollere, & inflare solent, non ullas mihi plumas in cristas addidere. Vidi aliquando † grammaticulum, qui unum aliquem versum aut odam Horatianam turgidius & elatiori fronte exponeret, quam author totum o-

pus composuerat. Equidem præter variarum provinciarum dialectos, † sex linguas calleo, nihil tamen propterea tumidior aut elatior, quam olim patres nostri ante confusionem Babylonicam, cum universi terrarum orbis communi lingua uterentur, nec quisquam adhuc aut bilinguis, aut criticus audiret. Non tantum, variarum gentium regionibus peragratis, variorum climatum ingenium perspexi, Provinciarum chorographiam urbiumq; topographiam perlustravi, sed et ã earundē leges, mores & politiam intellexi, nec tamē hæc omnia, quæ est animi nostri ignavia, & tarditas, eam unquam mihi de me ipso opinionem persuaserunt, † quam in levi quodam & inepto hominū genere perspexi, qui nusquam ad unum gradum è nido suo prorepsere. Omnium horizontis hujus constellationum nomina, atq; aliquid etiam amplius novi; vidi tamen aliquando loquacem nautam, qui cum præter stellam polarem & pyxidis suæ alphabetum nihil sciret, me & garrulitate vinceret, & tanquam non una sphæra inferiorem præ se contemneret. Novi non patrias tantùm, sed & vicinarum regionum plantas plerasq; omnes, & tamen nunc pauciores scire videor, quam cum vix mihi centum notæ essent, cum fori tantum olitorii Botanicem callerem. Capaciores enim animi

qui

qui non modica scientiæ mensura saturantur, ante se nihil scire credunt, quam omnia sciant: Quod cum impossibile sit,† in Socraticam opinionẽ incidere necesse est, & id tandem unum scire, se nihil scire. Homerum ex piscatorum ænigmate † tabuisse non credo; nec † Aristotelem scientiæ incertitudinem toties expertum; toties in scriptis suis confessum; rationẽ humanam naturæ operibus investigandis imparem essem,† Euripi fluxu & refluxu adductum fuisse, ut in eundem se periturum injiceret. Cras scilicet dedocebit provectius judicium, quæ hodie didicimus; nec aliud nos docet Aristoteles, † quam quod cum docuerat Plato, nimirum seipsum refutare Omne equidem scĩentiæ genus peragravi, nulli acquiesco. Et quam vis ex primis studiorum rudimentis † Peripatetici, † Stoici, aut † Academici audiamus; postremo tamen sapientissimum quemq; Scepticũ † factum tanquam Ianum aliquem in scientiæ campis ingredientem video. Philosophia itaque mihi est alia quidem † communis, & authentica, quam in Scholis didici, & qua aliorum animis inter sermocinandum satisfacio; alia privata † ab experientia ducta, ,qua meo. In summa sapientiæ abundantia de ignorantia questus est Salomon, effectiq; adeo, ut non tantum, modestiores mihi conatus sint, sed

jectiores etiam. Aliud quiddam præterea animum indentidem ſubit, † quod ut libros claudam, & abjiciam nonnunquam efficit; ſtulte nimirum hic parum proficientibus ſtudiis ævum conſumi, & nequicquam obſcuris viarum ambagibus ſcientiam quæri; quæcunque hic tanto conamine, tantis laboribus acquiruntur, paululum modo ſi expectemus, ea omnia nos inſtinctu quodam, † & infuſione adepturos; præſtare per modeſtam ignorantiam deſiſtere, naturali rationis beneficio contentos, quam ſudoribus laborumq; moleſtia incertam hujus vitæ ſcientiam mercari, quam ſtultiſſimo cuiq; mors gratis datura eſt, futuræ glorificationis appendicem.

ANNOTATA
Ad Sect. IIX

Peccati omnis humani pariter ac Diabolicę originem] *Vid* Gen.3.v.5. & Eccl.10. *Illa ex angelis Dæmones fecit. Vide Auctor.* de ſalutarib. document. exſtat tom. 4. Auguſt. oper. *& Auguſt* l.12. de Civ. Dei c.6 *Nam Deo nihil magis, quam humilitas placet Vide* Eccleſ.10. *Hinc Sancta Maria in cantico ſuo*: Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. *Prudentius* in Pſychomach. *ita*:

Deſine grande loqui: frangit Deus omne ſuperbum:
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Diſce

Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.

Scientiæ & doctrinæ additamenta quæ aliis opinionem de seipsis tollere] *Hæc homines plerumque inflatos reddunt; quanquam si verum fateri licet, pleraq; scientiæ, quas cum multa olei jactura addiscimus, incerto nitantur fundamento, & nostrum scire ut plurimum, nil nisi docta ignorantia sit. Hinc non multum peccare videntur, qui statuunt nihil sciri, ut Franc. Sanchez.* in libro cui titulum dedit: Quod nihil scitur. *&* *Cornel. Agrippa* de vanitate scient. *Sæpe etiam homines,* qui alio genere vitæ detriti jam & retorridi, ad literarum disciplinas serius adeunt, si forte iidem sunt garruli natura & subargutuli, oppido quam fiunt in literarum ostentatione inepti & frivoli. *Agell.* l.15. N.A. cap.30. *Id,* l.11. c.7. Est adeò id vitium plerumque seræ eruditionis, ut quod nunquam didiceris, diu ignoraveris; cum id scire aliquando cœperis, magnifacias, quo in loco cunque & quacunque in re dicere.

Grammaticulum] *De hoc hominum genere vide, Erasm.* Moriam.

Sex linguas calleo] *Quod nunc non admodum rarum videtur: sed habet unaquæque lingua suas proprietates, quas nemo facile intelligere valet. Viri eruditi, qui ferè totam ætatem linguæ latinæ impenderunt, non satis perfectè illam calluisse videntur: testantur id Vossius* de vitiis sermonis, *Caspar Schoppius* in animadversionib⁹, in Vossii dictum librum, & in paradoxis literariis, *ut &* in Grammatica Philosoph. *Habet sanè quælibet lingua suas difficultates, quas non nisi ultra mediocritatem perito perspicere datum est. Nos peregrinamur, & ut linguam Gallicam, Italicam, Hispanicam, Anglicam ad-*

discamus, apud nationes, quibus ha lingua sunt vernacula, degimus, multumq; opera addiscendis illis damus; quanquam Angelicana cum nostra vernacula & reliqua cum Latina multum cognationis habeant; inter centum tamen vix unus est, qui multorum annorum studio solum recte pronunciare illas discat. Et quantum difficultatis habeat sola lingua Italica, proprio usu dicere, & testantur id, la prosa del Bembo, *Salviati* sopra il decamerone del Boccaccio *& la Crusca. Paucos Italos satis mediocriter Dantem intelligere scio.*

Quam in levi quodam & inepto hominum genere] *Plerumque umbratici illi & qui semper gleba sua affixi fuere, de variarum Provinciarum situ deillarum populorum moribus ac legibus plus se scire gloriantur, quam illi ipsi, qui multum temporis in illis provinciis ad addiscendum linguas, mores ac leges consumpserunt. Frequenter adeò ventosos & ineptos se prebent, ut eum peritiores de aliqua re loqui sentiant, illos interrumpere, ac se id melius scire jactitare non dubitent.*

In Socraticam opinionem] *Qua extat apud Platon.* in Apologia Socratis, *ubi dicit Socrates:* hoc profecto homine sapientior sum. Videtur enim nostrum neuter quid bonum, quidve malum sit scire, cæterum hic putat se aliquid scire nihil sciens. Ego verò ut nihil, ita nihil scire me puto. *Vid. & Laert.* lib. 2. in vita *Socratis.*

Tabuisse non credo] *Plutarch. in vita Homeri ita:* Homerus in Insulam Ion migravit, quo cum pervenisset, ac fortè saxo, quod erat in littore, insedisset, piscatores littorib⁹ cum fortè appulsos rogavit, num quid haberent: Illi vero difficili ænigmate respõderunt, se quæcunq; cepissent reliquisse, quæ vero non cepissent habere: si-

ræ: significantes videlicet, cum piscium nihil capere potuissent, sese purgasse pediculis, atq; ita quos ceperant reliquisse, quos non ceperant in vestimentis habere. Cum Homerus hoc ænigma interpretari non potuisset, ingenti dolore confectus migravit è vita.

Aristotelem] *Laërt. l. 5. in vit.* Aristot. *scribit, Aristotelem morbo periisse cum esset annorum fermè LXIII. Idem Plutarchus in vita Aristot. refellitq; illos, qui putarunt illum potato aconito sponte interiisse.*

Euripi fluxu] *De Euripi fluxu vide Strabon. l. 9. Plin. l. 2. c. 97. & Cic. l. 3.* de Natur. Deor.

Quam quod eum deceret Plat] *Plato docuit, veritatem omnibus rebus esse anteponendam. Malè ergò sibi consulunt, qui veterum aut Aristotelis placitu ita obstinate inhærent, ut malint cum illis errare, quam id, quod experientia & novi Philosophi solidioribus fundamentis probant, sequi.*

Peripatetici] *De quibus Cic.* 1. Academ. *ita:* Platonis authoritate una & consentiens duob⁹ vocabulis Philosophię forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speusippum, sororis filium, Plato Philosophiæ quasi hæredem reliquisset, duos autem præstantissimos studio atq; doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem, qui erant cum Aristotele, peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio: Illi autem qui Platonis instituto in Academia, quod est alterũ gymnasium, cœtus erant & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utriq; Platonis ubertate completi certam quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam ac refectam.

Stoici] *Nomine illo insigniti sunt à Stoa.*

quod significat porticum, nam Zeno, qui teste Cicerone ac Plutarcho, auctor huius sectæ est, in quadam porticu, dicta Pœcile, propter varietatem picturæ, Athenis docebat suos discipulos, qui antea appellabantur Zenonij. Vide Laert. l. 7. in vita Zenon. *de Stoicorum Philosophia vid. Ciceronem, Laertium, Senecam & Plutarchum.*

Academici] *De quibus Cicero* l. 3. de Oratore *ita*: Reliqui, *inquit*, sunt peripatetici & Academici, quanquam Academicorum nomen est unum, sententiæ duæ. Nam Speusippus Platonis sororis filius, & Xenocrates qui Platonem audierat, & qui Xenocratē, Polemo & Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnoperè dissensit, copia fortasse & varietate dicendi pares non fuerunt. Arcēsilas primum qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusq; Socraticis hoc maximè arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit: quem ferunt eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusq; iudicium, primumque instituisse (quanquam id fuit Socraticum maximè) non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id quod quisque se sentire dixisset, disputare Hinc Hæc recentior Academia emanavit. *Idem* l. 2. de finibus *ita*: Cum Academicis, *inquit*, incerta luctatio est, qui nihil affirmant, & quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt quodcunque verisimile videatur. *De his vide & Augustin.* libr. contra Academicos.

Scepticum] *Scepticorum dogma vide apud Agell.* l. 11. c. 5. Quos Pyrrhonios, *inquit*, Philosophos vocamus, ii græco cognomēto σκεπτικοὶ appellantur. Id fermè significat quasi quæsitores & consideratores: Nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum de

quo decerni constituique possit. Ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putant: sed ita pati afficiq; quasi videant vel audiant: eaq; ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiunt, qualia & cuiusmodi sint, cunctantur atq; insistunt. *Vide plura* ibid. *Laertius* l. 9 in Pyrrhonis vita *ita*: Hi *inquit*, omnes à Magistro quidem Pyrrhonii, cæterum à dogmate Aporetici & Scriptici, prætereaq; & Ephectici & Zetetici appellabantur. Est enim Zetetica Philosophia sic dicta, quod semper in veritatis inquisitione versetur. Porrò Sceptica, quod semper quærat & nunquam inveniat. Ephectica autem dicitur ab eventu, quod post inquisitionem ambigatur itidem: Aporetica verò quod eius sectatores semper addubitent, atque à Pyrrhone Pyrrhonii (ut diximus) denominati sunt. *Hac Laertius, qui tamen ibidem testatur, Pyrrhonem non esse primum huius secta auctorem, sed Homerum, & septem etiam sapientes in hoc genere fuisse versatos. De hac Philosophia, vide plura apud Sextum Empiricum* l. 1. c. 3 & alibi.

Communis & authentica] *Quæ sæpe plus ostentationis quam veritatis continet. Notandum tamen Auctorem nostrum totam Philosophiam haud pro vana reputare: nam ipse supra* in part. 1. Sect. 11. *praceptum, Cave à Philosophia, non nimis largè interpretandum, &* in Sect. 12. *doctorum quam vulgi conditionem esse meliorem docet: Sed solum de illa Philosophia agit, quæ homines non nisi disputare, altercari, nugari & nimium sibi tribuere docet. In scholis plerumque addiscimus tenacissimè Magistrorum placitis imò interdum ineptis conjecturis adeò inhærere, ut quamvis parum de veritate, summisq; naturæ arcanis indagandis solliciti fuerimus, ita tamen confidenter omnia nos scire profiteamur, omniumq; rerum causas demus,* quasi

quasi ipsi natura, aut Deo à secretis fuissemus. *Optimè Seneca* in Epistola 106. Latrunculis ludimus: in supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est, sapere: imò simplicior Paucis opus est ad mentem bonam literis. Sed nos ut cetera in supervacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum sic literarum quoq; intemperantia laboramus: non vitæ sed scholæ discimus.

Ab experientia ducta] *Hæc vera Philosophia est; hæc docet nos, nonnulla, de quibus in scholis maximo fervore disputatur, nil nisi mera nugamenta esse.*

Quod ut libros claudam & abjiciam] *Helmontius* c.2. de Lithiasi *scribit, cum cognovisset se nihil scire, quia ex nihil scientibus sua didicerat, se libros abjecisse.*

Et infusione adepturos] *Scil. post hanc vitam. Ejusmodi etiam in hac vita per Dei gratiam hominem posse adipisci docet Helmontius, Vid.* in libro de Lithiasi & in præfat. ejus, & in libro de arbore vitæ. *Idem sentit Iacobus Böhme, sed de his meum judicium suspendo, & admodum periculosum duco multum hisce rebus tribuere; nam Enthusiasmum habentes ineptire ac fatuari notum est.*

Sect. IX.

NEc † dū uxorem ipse duxi, † nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt; non quod aut † secundas nuptias damnem, aut in totum † polygamiam improbem: Accidere enim potest, ut inæqualis sexuum numeri, & temporum ratione habita, necessaria videatur. † Universus mundus

viri

viri causa factus est, pars autem viri duodecima fœminæ causa : † vir totus mundus est, & spiritus Dei; † Fœmina costa tantum, & curva viri pars, Mihi satis placeret, si nobis etiam arborum more citra conjunctionem procreare liceat, sive alia quæpiam reperiatur rerum propagãdarum ratio, quam† coitionis illa vulgaris, & trivialis : † nihil profecto ineptius est, aut viro sapiente indignius ; nihil quod mentis celsitudinem turpius dejiciat, quã si animo jam deferbente reputet, quam insigniter ineptierit. Nec tamen hæc ita quenquam interpretari velim, quasi à sexu illo dulcissimo† alienatiore animo sim, immo ultro admiror, & amplector †quicquid pulchrum est. Summa cum voluptate eleganti cuipiam picturæ inhæreo , etiamsi equi tantum fuerit. Ea mihi temperies est, & hoc mihi pluris sum, quæ omni † harmoniæ genere delectetur.† Habet certe symphoniam quandam pulchritudo , nec ullus est chordarum concentus † ad tacitas cupidinis notas comparandus: Ubicunque enim harmonia, ordo, & proportio sunt, ibi symphonia est ; quo sensu etiam† sphærarum concentus defendi poterit. Cœlestes enim motus illi ita ad ordinem & numerum concinnari, utcunq; sonos nullos ad aures emittant, intellectui tamen dulcissimum modulamen præbent.

Harmo-

habiturus eram, ut me uno nihil vilius, & abjectius existimem. Pœnitentiæ præscripto dolorem animi Theologi addunt; in meam vero una indignatio, ira, dolor, odium ingrediuntur, affectus plane contrarii, & quales nec actioni isti, nec ingenio meo convenire videntur. Non erga nos ipsos violatur charitas, si quando, aut cum vitiis nostris litigamus, aut † eam nostri partem odimus; quæ charitatis fundamento, Deo scilicet, inimica est. Hac in re majorem hunc mundum minores imitamur, cujus discordes antipathiæ, frontesque adversæ amicam rationem Totius habent, & privatis suis inimicitiis pacem publicam tuentes, seditiosas illas potestates vinculis coërcent, quæ si superiores fierent, subitam rerum omnium ruinam molirentur.

ANNOTATA
Ad Sect. VII.

Temperies Christiana] *Christus omnem vindictam prohibet, Vid.* Matth. 5. v. 39. *& August.* de serm. Domini in monte c. 23.

Injuriam nullam esse] *Stoici dicunt*, injuriam esse nullam. *Epicurus*, illas esse sapienti tolerabiles. *Vid. Senec.* de Constant. Sapient. c. 15. *Idem*, in eodem libro c. 2. Tutus, *inquit*, est sapiens, nec ulla affici injuria aut contumelia potest. *Vide* ibid. c. 3. c. 4. 5. & 7. Vide & lib. 2. de benefic. cap. 35. *Hinc* Socrates quum fuisset à quodam calce percussus, æquo hoc tulit animo, admirantibus illius tolerantiam dixit, quid enim si me

ſi me aſinus calce impetiiſſet, num illi diem dixiſſem. *Laërt.* l. 2. in vit. Socrat. *Quomodo Diogenes Cynicus injurias contemſerit, vide apud Laertium* lib. 6. in eius vita.

Aut nullam ad vindictam comparandam] *Sed legitimè vindictam comparare aquum eſt. Hinc Auguſtin.* in lib. 1. de Sermon. Domin. in mont. cap. 37. Non vindicta prohibetur quæ ad correptionem valet, etiam ea ipſa pertinet ad miſericordiam. *Ipſe noſter Salvator cum ei unus miniſtrorum alapam dediſſet; hanc injuriam non ſine reſponſo tulit:* Si malè, *inquit*, locutus ſum, teſtificare de malo: ſin benè, cur me cædis? Vid. Joh. 18. v. 23. *S. Paulus Philippis caſus virgis ure jus ſuum, nec injuriam ſibi illatam cum ſilentio tulit.* Vid. Act. 16. *Idem cùm juſſu ſacerdotis Ananiæ percuteretur dixit;* percuſſurus eſt te Deus, paries dealbate, & tu ſedes judicans me ſecundum legem & contra legem me jubes percutere. Act. 23. v. 3. *Quod ſi illi quorum perfectionem nos aſſequi non poſſumus, fecerunt, nobis prohibitum non erit injurias legitimè absq; tamen perſonæ odio vindicare. Benè Pythagoras apud Stobæum,* Serm. 44. Qui de malis pœnas non ſumunt, bonos affici volunt injuria. *Si omnes injurias inultas ſineremus, continuò boni offenderentur. Hinc apud Plutarch.* in apophtegm. Rom. *Cato ſenior dicit*, etiamſi injuria nihil adferat periculi facienti, univerſis tamen eam eſſe periculoſam: *Sentiens impunitatu exemplum omnibus minari injuriam.*

Nec vindictam ullam graviorem quam injuriæ contemptum] Magni animi eſt, injurias deſpicere. Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. *Seneca* l. 2. de ira c. 32. *& Auguſt.* l. 1. de ſerm. Domini in mõte c. 37. Quid enim, *inquit*, prodeſt, quod percuſſus repercutis? Num quid pro-

pterea quod in corpore læsum est restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat, sanum autem firmumque ista non juvant, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quam alieno supplicio suam mitigandam, quę nulla est. *hæc Aug.* *Sed rectè ipse* ibid. *affirmat, eam vindictam, quæ ad correptionem valet, non esse prohibitam.* Seneca d. lib.2. de ira c.32. in fine: *Si, inquit*, tanquam ad remedium venimus, sine ira veniamus, non quasi dulce sit vindicari, sed quasi utile.

Alios amare, qui seipsum contemnit] *Nam stultus sui amor hominibus amorem aliorum adimit. In multis tamen, qui sibi ipsi non est amicus, nec aliis esse potest.* *Vid.* Senec. Epistol.6 in fine.

S. Paulum colaphis tantum] 2. Corinth 12 v.7.

Totam Pharsaliam] *In Pharsalia aut Thessalia civilium bellorum detonuerunt procellæ.* Vide *Lucanum & Suetonium* in vit. Cæsar.

Alius intra me homo] Quod si id facio, ego quod nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat. Rom.7. v.20.

Offensiunculæ] *Sed omne peccatum etiam minimum est ἀνομία*, Rom.5. v.14. Jac.2. v.10 *tamen nonnulla involuntaria peccata credentibus haud ad condemnationem ex Dei gratia imputantur. Vide* Rom.8. v.1.

Originalem labem meam baptismo elutam fuisse] *Vide quod dicit* in Sect. 10. sequenti.

Novos vitiorum fœtus pariunt] *Nationes meridionales in pariendis illis ingeniosæ sunt. Et Nero in hoc genere excelluit.* . *Vid. Sueton.* in ejus vita c.28. & 29. Cuius elegantiæ arbiter Petronius illa flagitia sub nominibus exoletorum feminarumq; & novitate cujusq; stupri perscripsit, *Tac.* l.16. Annal, c.19. *Exstat adhuc, ut fretur eru-*

eruditorum auctoritate censeo, ejusdem Petronii Satyricon, quanquam haud integrum, cujus lectio propter nimis largam obscænorum ubertatem non satis tuta multis videtur.

Qui cum statua coivit] *Romæ refertur id de Hispano quodam.*

Spintriæ Neronianæ] *Nomen Spintriæ primum tempore Tiberii repertum est. Vide Tacit l. 6.* Annal. c. 1 Tunc primum, *inquit*, ingota ante vocabula reperta sunt, Sellariorum & Spintriarum ex fœditate loci ac multiplici patientia

Aut eam nostri partem odimus] *Salvator noster*, Luc. 14. v. 26 *ita*: Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Sect. IIX.

In numeris autem vitiis istis, quę mihi ex Adami hæreditate rediere unum deesse serio mihi gratulor, id quidē charitati inimicissimum, nec non † peccati omnis humani pariter ac Diabolici originem, superbiam. Cujus nomen quidem literis p u-cis, natura vero vix mundi limitibus continetur. Effugi in ea conditione, in quam pronior animus esse solet. Pusilla illa † scientiæ, & doctrinæ additamenta, quæ aliis opinionem de seipsis ita tollere, & inflare solent, non ullas mihi plumas in cristas addidere. Vidi aliquando † grammaticulum, qui unum aliquem versum aut odam Horatianam turgidius & elatiori fronte exponeret, quam author totum o-

pus compoſuerat. Equidem præter variarum provinciarum dialectos, † ſex linguas calleo, nihil tamen propterea tumidior aut elatior, quam olim patres noſtri ante confuſionem Babylonicam, cum univerſus terrarum orbis communi lingua uterentur, nec quisquam adhuc aut bilinguis, aut criticus audiret. Non tantum, variarum gentium regionibus peragratis, variorum climatum ingenium perſpexi, Provinciarum chorographiam urbiumq; topographiam perluſtravi, ſed et à earundē leges, mores & politiam intellexi, nec tamē hæc omnia, quæ eſt animi noſtri ignavia, & tarditas, eam unquam mihi de me ipſo opinionem perſuaſerunt, † quam in levi quodam & inepto hominū genere perſpexi, qui nuſquam ad unum gradum è nido ſuo propreſere. Omnium horizontis hujus conſtellationum nomina, atq; aliquid etiam amplius novi; vidi tamen aliquando loquacem nautam, qui cum præter ſtellam polarem & pyxidis ſuæ alphabetum nihil ſciret, me & garrulitate vinceret, & tanquam non una ſphæra inferiorem præ ſe contemneret. Novi non patrias tantum, ſed & vicinarum regionum plantas pleraſq; omnes, & tamen nunc pauciores ſcire videor, quam cum vix mihi centum notæ eſſent, cum fori tantum olitorii Botanicem callerem, Capaciores enim animi

qui

qui non modica ſcientiæ menſura ſaturantur, ante ſe nihil ſcire credunt, quam omnia ſciant: Quod cum impoſſibile ſit,† in Socraticam opinionē incidere neceſſe eſt,& id tandem unum ſcire,ſe nihil ſcire. Homerum ex piſcatorum ænigmate † tabuiſſe non credo;nec† Ariſtotelem ſcientiæ incertitudinem toties expertum;toties in ſcriptis ſuis confeſſum; rationē humanam naturæ operibus inveſtigandis imparem eſſem,† Euripi fluxu & refluxu adductum fuiſſe,ut in eundem ſe periturum injiceret. Cras ſcilicet dedocebit provectius judicium,quæ hodie didicimus; nec aliud nos docet Ariſtoteles, † quam quod eum docuerat Plato,nimirum ſeipſum refutare Omne equidem ſciētiæ genus peragravi, nulli acquieſco.Et quam vis ex primis ſtudiorum rudimentis † Peripatetici, † Stoici,aut † Academici audiamus; poſtremo tamen ſapientiſſimum quemq; Scepticū † factum tanquam Ianum aliquem in ſcientiæ campis ingredientem video. Philoſophia itaque mihi eſt alia quidem † communis,& authentica, quam in Scholis didici,& qua aliorum animis inter ſermocinandum ſatisfacio; alia privata † ab experientia ducta, qua meo. In ſumma ſapientiæ abundantia de ignorantia queſtus eſt Salomon, effectiq; adeo, ut non tantum modeſtiores mihi conatus ſint,ſed

 dejectio-

Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.

Scientiæ & doctrinæ additamenta quæ aliis opinionem de seipsis tollere] *Hæc homines plerumque inflatos reddunt; quanquam si verum fateri licet, pleraq; scientia, quas cum multa olei jactura addiscimus, incerto nitantur fundamento, & nostrum scire ut plurimum, nil nisi docta ignorantia sit. Hinc non multum peccare videntur, qui statuunt nihil sciri, ut Franc. Sanchez.* in libro cui titulum dedit: Quod nihil scitur. *& Cornel. Agrippa* de vanitate scient. *Sæpe etiam homines,* qui alio genere vitæ detriti jam & retorridi, ad literarum disciplinas serius adeunt, si forte iidem sunt garruli natura & subargutuli, oppido quam fiunt in literarum ostentatione inepti & frivoli. *Agell.* l.15. N.A. cap. 30. *Id.* l. 11. c. 7. Est adeò id vitium plerumque seræ eruditionis, ut quod nunquam didiceris, diu ignoraveris; cum id scire aliquando cœperis, magnifacias, quo in loco cunque & quacunque in re dicere.

Grammaticulum] *De hoc hominum genere vide, Erasm.* Moriam.

Sex linguas calleo] *Quod nunc non admodum rarum videtur: sed habet unaquaque lingua suas proprietates, quas nemo facile intelligere valet. Viri eruditi, qui ferè totam ætatem linguæ latinæ impenderunt, non satis perfectè illam calluisse videntur: testantur id Vossius* de vitiis sermonis, *Caspar Schoppius* in animadversionib' in Vossii dictum librum, & in paradoxis literariis, *ut &* in Grammatica Philosoph. *Habet sanè qualibet lingua suas difficultates, quas non nisi ultra mediocritatem perito perspicere datum est. Nos peregrinamur, & ut linguam Gallicam, Italicam, Hispanicam, Anglicam ad-*

discamus, apud nationes, quibus hæ linguæ sunt vernaculæ, degimus, multumq; operæ addiscendis illis damus; quanquam Angelicana cum nostra vernacula & reliquæ cum Latina multum cognationis habeant; inter centum tamen vix unus est, qui multorum annorum studio solum recte pronunciare illas discat. Et quantum difficultatis habeat sola lingua Italica, proprio usu didici, & testantur id, la prosa del Bembo, *Salviati* sopra il decamerone del Boccaccio *& la Crusca. Paucos Italos satis mediocriter Dantem intelligere scio.*

Quam in levi quodam & inepto hominum genere] *Plerumque umbratici illi & qui semper glebæ suæ affixi fuere, de variarum Provinciarum situ deillarum populorum moribus ac legibus plus se scire gloriantur, quam illi ipsi, qui multum temporis in illis provinciis ad addiscendum linguas, mores ac leges consumpserunt. Frequenter adeò ventosos & ineptos se præbent, ut cum peritiores de aliqua re loqui sentiant, illos interrumpere, ac se id melius scire jactitare non dubitent.*

In Socraticam opinionem] *Quæ extat apud Platon.* in Apologia Socratis, *ubi dicit Socrates* hoc profectò homine sapientiõr sum. Videtur enim nostrum neuter quid bonum, quidve malum sit scire, cæterum hic putat se aliquid scire nihil sciens. Ego verò ut nihil, ita nihil scire me puto. *Vid. & Laert.* lib. 2. in vita Socratis.

Tabuisse non credo] *Plutarch. in vita Homeri ita:* Homerus in Insulam Ion migravit, quo cum pervenisset, ac fortè saxo, quod erat in littore, insedisset, piscatores littorib⁹ tum fortè appulsos rogavit, num quid haberent: Illi vero difficili ænigmate respõderunt, se quæ cunq; cepissent reliquisse, quæ vero non cepissent habe-

re : si-

ce : significantes videlicet, cum piscium nihil capere potuissent, sese purgasse pediculis, atq; ita quos ceperant reliquisse, quos non ceperant in vestimentis habere. Cum Homerus hoc ænigma interpretari non potuisset, ingenti dolore confectus migravit è vita.

Aristotelem] *Laert.* l. 5. in vit. Aristot. *scribit, Aristotelem morbo periisse cum esset annorum fermè LXIII. Idem Plutarchus* in vita Aristot. *refelliti, illos, qui putarunt illum potato aconito sponte interiisse.*

Euripi fluxu] *De Euripi fluxu vide Strabon.* l. 9. *Plin.* l. 2. c. 97. *& Cic.* l. 3. de Natur. Deor.

Quam quod eum decuerat Plat.] *Plato docuit, veritatem omnibus rebus esse anteponendam. Malè ergò sibi consulunt, qui veterum aut Aristotelis placitu ita obstinate inhærent, ut malint eum illu errare, quam id, quod experientia & novi Philosophi solidioribus fundamentu probant, sequi.*

Peripatetici] *De quibus Cic.* 1. Academ. *ita:* Platonis authoritate una & consentiens duob⁹ vocabulis Philosophię forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speusippum, sororis filium, Plato Philosophiæ quasi hæredem reliquisset, duos autem præstantissimos studio atq; doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio: Illi autem qui Platonis instituto in Academia, quod est alterũ gymnasium, cœtus erant & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utriq; Platonis ubertate completi certam quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam ac refectam.

Stoici] *Nomine illo insigniti sunt à Stoa*

quod significat porticum, nam Zeno, qui teste Cicerone ac Plutarcho, auctor huius sectæ est, in quadam porticu, dicta Pœcile, propter varietatem picturæ, Athenis docebat suos discipulos, qui antea appellabantur Zenonij. Vide Laert. l. 7. in vita Zenon. *de Stoicorum Philosophia vid. Ciceronem, Laertium, Senecam & Plutarchum.*

Academici] *De quibus Cicero* l. 3. de Oratore *ita*: Reliqui, *inquit*, sunt peripatetici & Academici, quanquam Academicorum nomen est unum, sententiæ duæ. Nam Speusippus Platonis sororis filius, & Xenocrates qui Platonem audierat, & qui Xenocratẽ, Polemo & Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnoperè dissensit, copia fortasse & varietate dicendi pares non fuerunt. Arcẽsilas primum qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusq; Socraticis hoc maximè arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit: quem ferunt eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusq; judicium, primumque instituisse (quanquam id fuit Socraticum maximè) non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id quod quisque se sentire dixisset, disputare Hinc Hæc recentior Academia emanavit. *Idem* l. 2. de finibus *ita*: Cum Academicis, *inquit*, incerta luctatio est, qui nihil affirmant, & quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt quodcunque verisimile videatur. *De his vide & Augustin.* libr. contra Academicos.

Scepticum] *Scepticorum dogma vide apud Agell.* l. 11. c. 5. Quos Pyrrhonios, *inquit*, Philosophos vocamus, ii græco cognomẽto σκεπτικοὶ appellantur. Id fermè significat quasi quæsitores & consideratores: Nibil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quærendo semper considerandoque sunt, quidnam sit omnium rerum de

quo

quo decerni constituique possit. Ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putant: sed ita patiafficiq; quasi videant vel audiant: eaq; ipsa, quæ affectiones istas in sese efficiunt, qualia & cuiusmodi sint, cunctantur atq; insistunt. *Vide plura* ibid. *Laertius* l. 9 in Pyrrhonis vita *ita*: Hi *inquit*, omnes à Magistro quidem Pyrrhonii, cæterum à dogmate Aporetici & Sceptici, prætereaq; & Ephectici & Zetetici appellabantur. Est enim Zetetica Philosophia sic dicta, quod semper in veritatis inquisitione versetur. Porrò Sceptica, quod semper quærat & nunquam inveniat. Ephectica autem dicitur ab eventu, quod post inquisitionem ambigatur itidem: Aporetica verò quod eius sectatores semper addubitent, atque à Pyrrhone Pyrrhonii (ut diximus) denominati sunt. *Hæc Laertius, qui tamen ibidem testatur, Pyrrhonem non esse primum huius secta auctorem, sed Homerum, & septem etiam sapientes in hoc genere fuisse versatos. De hac Philosophia, vide plura apud Sextum Empiricum* l. 1. c. 3 & alibi.

Communis & authentica] *Quæ sæpe plus ostentationis quam veritatis continet. Notandum tamen Auctorem nostrum totam Philosophiam haud pro vana reputare: nam ipse supra* in part. 1. Sect. 11. *præceptum, Cave à Philosophia, non nimis largè interpretandum, &* in Sect. 12. *doctorum quam vulgi conditionem esse meliorem docet: Sed solum de illa Philosophia agit, quæ homines non nisi disputare, altercari, nugari & nimium sibi tribuere docet. In scholis plerumque addiscimus tenacissimè Magistrorum placitis imò interdum ineptis conjecturis adeò inhærere, ut quamvis parum de veritate, summisq; naturæ arcanis indagandis solliciti fuerimus, ita tamen confidenter omnia nos scire profiteamur, omniumq; rerum causas demus,*

quasi

quasi ipsi natura, aut Deo à secretis fuissemus. Optimè Seneca in Epistola 106. Latrunculis ludimus: in supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est, sapere: imò simplicior Paucis opus est ad mentem bonam literis. Sed nos ut cetera in supervacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum sic literarum quoq; intemperantia laboramus: non vitæ sed scholæ discimus.

Ab experientia ducta] *Hæc vera Philosophia est; hæc docet nos, nonnulla, de quibus in scholis maximo fervore disputatur, nil nisi mera nugamenta esse.*

Quod ut libros claudam & abjiciam] *Helmontius* c. 2. de Lithiasi *scribit, cum cognovisset se nihil scire, quia ex nihil scientibus sua didicerat, se libros abjecisse.*

Et infusione adepturos] *Scil. post hanc vitam. Ejusmodi etiam in hac vita per Dei gratiam hominem posse adipisci docet Helmontius,* Vid. in libro de Lithiasi & in præfat. ejus, & in libro de arbore vitæ. *Idem sentit Iacobus Böhme, sed de his meum judicium suspendo, & admodum periculosum duco multum hisce rebus tribuere; nam Enthusiasmum habentes ineptire ac fatuari notum est.*

Sect. IX.

NEc † dũ uxorem ipse duxi, † nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt; non quod aut † secundas nuptias damnem, aut in totum † polygamiam improbem: Accidere enim potest, ut inæqualis sexuum numeri, & temporum ratione habita, necessaria videatur. † Universus mundus

viri causa factus est, pars autem viri duodecima fœminæ causa: † vir totus mundus est, & spiritus Dei; † Fœmina costa tantum, & curva viri pars, Mihi satis placeret, si nobis etiam arborum more citra conjunctionem procreare liceat, sive alia quæpiam reperiatur rerum propagãdarum ratio, quam † coitionis illa vulgaris, & trivialis: † nihil profecto ineptius est, aut viro sapiente indignius; nihil quod mentis celsitudinem turpius dejiciat, quã si animo jam deferbente reputet, quam insigniter ineptierit. Nec tamen hæc ita quenquam interpretari velim, quasi à sexu illo dulcissimo † alienatiore animo sim, immo ultro admiror, & amplector † quicquid pulchrum est. Summa cum voluptate eleganti cuipiam picturæ inhæreo, etiamsi equi tantum fuerit. Ea mihi temperies est, & hoc mihi pluris sum, quæ omni † harmoniæ genere delectetur. † Habet certe symphoniam quandam pulchritudo, nec ullus est chordarum concentus † ad tacitas cupidinis notas comparandus: Ubicunque enim harmonia, ordo, & proportio sunt, ibi symphonia est; quo sensu etiam † sphærarum concentus defendi poterit. Cœlestes enim motus illi ita ad ordinem & numerum concinnari, utcunq; sonos nullos ad aures emittant, intellectui tamen dulcissimum modulamen præbent.

Harmo-

Harmonia gaudet quicquid harmonice compositum est, unde † capitum istorum symmetriam suspectam habeo, quibus templorum Musica tam vehementer displicet. Hanc ego ut amplectar, tum obedientia, tum proprio naturæ genio adducor. Nam etiam vulgaris illa fidicinum circumforaneorum Musica, quæ alios hilares alios dementes reddit, mihi quidem religiosum quendam affectum incutit, & profũdam de principe Compositore meditationem. † Aliquid certe divinius habet, quam quod auris persentiscit. Hieroglyphica est, & † mystica totius rerum universitatis umbra; & talis in aure melodia, qualis mundus justæ intellectus in mẽte futurus est. Est denique sensibile ejus Harmoniæ specimen, quæ in auribus divinis intellectualiter resonat. Non cum Platone statuo, animã harmoniam esse, † sed harmonicam tamen, & modulamini musico admodum affinem: Et quare accidit, ut nonnulli quorum corporis constitutio cum harmonico hoc animæ genio congruat, † poëtæ nascantur. Quamquàm † ad rhythmum quidem omnes natura fingimur. Hinc est, quod historiam suam à carmine auspicetur * † Tacitus; & Cicero ipse poëtarum pessimus, cum solummodo

pro

* *Vrbem Romam à principio reges habuere.*

pro *Poeta orationem haberet, in prima sententia in *hexametrum offenderit. Sordida illa & homine Christiano † indigna desideria, quibus professio nostra male audit, in me non sentio: non pestem aut famem tacitus opto; non calendariis & ephemeridibus revolutis malignos Astrorum aspectus sollicitus expecto; non conjunctiones & eclipses mortiferas, non aut ver insalubre, aut intempestivas hyemes lætus cerno. Ego & Agricola eadem oramus, omnia tempestiva, omnia salutifera; & qualia nec hominibus, nec temporibus sanitatem adimant. Ægrotem ipse nisi patientis malum mihi morbus sit, nisi ejus infirmitati potius quam crumenæ meæ mederi cupiam. Vix honestum mihi videtur lucrum, nisi opera prosit; quamvis negandum non est, fideles conatus nostros salarium suum meruisse. Pudet & vehementer dolet, esse, præter mortem ipsam, & † morbos insanabiles: non id adeo, quasi artem superari indigneri sed publica generis humani causa commotus, qua tanquam propria afficior. Ut vero generalius loquar; tres illæ nobilissimæ professiones, quas unaquæque Respublica, ut optime instituta est, ita maxime in honore habet, ex Adami lapsu profectę sunt, nec infirmi- ta-

* *Pro Arch, poëta*

* *In qua me non inficior mediocriter esse versatum.*

tatibus suis vacant. Ut morbos habet Medicina insanabiles; ita & † Jurisprudentia causas, quæ non dissolvi, & Theologia vitia, quæ non corrigi possunt. Si consilia † generalia erroribus obnoxia sint; qui infallibiles esse possint particulares Curæ non video. Nullas habent ita perfectas regulas, quæ non ab hominibus, atq; adeo fallibili ingenio profectæ sint; & alterius plerumque canones alterius consulta damnant. Haud aliter ac superiorum scriptorum sententias Aristoteles confutare solitus est, quod licet rationi congruæ, † suis ipsius præceptis & dogmatibus non consonarent. Ut autem † peccatum in Spiritum sanctum missum faciam, cujus non remedium tantum, sed † natura etiam ignoratur; nephritidi aut podagræ facilius medeor, quam Theologus superbiæ aut avaritiæ. † Sunt vitia quædam Medicinæ opera medicabilia, quæ Theologia sanare nescit; quæ hujus præceptis spretis & contemptis, illius pillulis obtemperant. Artem non jacto, sed aperte dico; Commune rerum omnium remedium omnes studiose vitamus, mors enim omnibus medetur malis. Nullum, præter hanc, catholicon & universale remedium novi; ad quam utcunque nauseent κακοστόμαχοι, † sano tamen palato nectar est, & grata immortalitatis potio.

AN-

ANNOTATA.
Ad Sect. IX.

Necdum uxorem ipse duxi] *Cornel. Agrippa* in libr. de Sacram. matrimon. Qui uxorem, *inquit*, non habet (etiamsi ditissimus sit) nihil ferè habet quod suum est: quia nihil habet tutum ab insidiis, nec habet, cui posset relinquere nec cui confidere. Qui uxorem non habet, caret familia, caret propinquis & sine posteritatis spe semper desertus & destitutus est: furantur illum servi, defraudantur socii, contemnunt vicini. *Quomodo Lycurgus ac Plato cœlibes puniri voluerint, vide* ibid.

Nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt] *Vid.* 1. Corinth. 7. v. ult. Mulier, *inquit ibi Apostolus*, alligata est quamdiu vivit ejus maritus. Quod si dormierit maritus illius, libera est ad cui velit nubendum, modo in Domino. Attamen beatior est, si sic maneat, juxta meam sententiam. *Augustinus* de bono viduitat. ad Julianum c. 4. *ita*: hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Et ibidem in fine. Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. *Idem docet S. Ambrosius* l. 6. Hexametr. c. 19. *simile afferens de Turture*. Audiant; *inquit Mag. Basilius* in orat. 8. viri, audiant mulieres castimoniam viduitatis, etiam apud ea animalia, quæ ratione non utuntur majore esse in pretio, & honore quam multarũ nuptiarum deformitas. *Ipsi etiam Ethnici gloriæ ducebant secundis nuptiis abstinere: Hinc Dido apud Virgil.* l. 4. Aeneid.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetq; sepulchro.

de Martia Catonis filia & Valeria nobili Ro-

mana quæ mortuo maritis nullis persuasionibus ad secundum matrimonium adduci potuerunt, vid. Hieronym. contra Jovinian.

Secundas nuptias damnem] *Apostolus* 1 Cor. 7. *ut dixi, illas permittit. Cataphrygum ac Novatianorum hereses, illas damnarunt. vid. Augustin.* de bono viduitat. c. 4. *Idem fecit Tertullian. vid.* ibidem. *& ipsum Tertullian.* in libro de monogamia. *Cataphryges erant Montanistæ. Vide Theodoret.* 3. de hæret. fabulis.

Polygamiam improbem] *Tertullianus putat secundas nuptias, & inprimis tertias aut quartas ut stupra aut adulteria habendas esse, vid. ejus* lib. de monogamia. *Optimè August.* d. libro, de bono vid. c. 12. De tertiis, *inquit*, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre. *& paulo post iterum*: Quis, *inquit*, sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse, ait enim, Mulier alligata est, quã diu vir ejus vivit. Non dixit primus aut secundus, aut tertius aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. *Vide plura ib. De pœnis secundarum nuptiarum vid.* Nov. 2. Nov. 22. Nov. 127. c. 3. & auth. iisdem pœnis & auth. uxore mortua, C. de sec. nupt. *ex quibus patet, tum temporis secundas nuptias potius permissas, quam probatas fuisse.*

Universus mundus viri causa] *Vid.* Gen. 1. v. 26. *imò ipsa fœmina viri causa.* 1. Cor. 11. *v.* 9.

Vir totus mundus est & spiritus Dei] *Vide* Gen. 5. v. 1. & Gen. 1. v. 27. *Apostolus Paulus* 1. Corinth. 11. *docet*, quod vir non debeat velare caput, cum is imago sit ac gloria Dei, at mulier gloria viri.

Fœmi-

Fœmina [illegible]

Quum [illegible]
concubitu generandi [illegible]
concupiscentia [illegible]
conjuge propter [illegible]
culpam a [illegible]
habet culpam [illegible]
ab omni [illegible]
matrimonialis [illegible]
guendi. *Hac* [illegible]
gale [illegible]
pertinet [illegible]
operam libe[illegible]
concubitu [illegible]
tibi [illegible]

Nihil [illegible]
Hinc A[illegible]
Nihil, inquit, [illegible]
dejiciat [illegible]
fœminea, corpor[illegible]
uxor haberi [illegible]
ineptias illas ac [illegible]
quoties fœmin[illegible]
mus, nihil [illegible]
liberorum procrea[illegible]
generis conserv[illegible]
jusmodi nugas ac [illegible]
nel. Agrippa de [illegible]
rem, *inquit*, dilect[illegible]
liberos successionesque [illegible]
extendi summa [illegible]
ceque laborum [illegible]

Alienatiore [illegible]] [illegible]
ptias damnat. Nuptias [illegible]
Gangrense anathem[illegible]
c.5. & omnino c. 12.

Quicquid pulchrum est] [illegible]
dum est, imò omnes [illegible]

mana quæ mortuo mariti nullis persuasionibus ad secundum matrimonium adduci potuerunt, vid. Hieronym. contra Jovinian.

Secundas nuptias damnem] *Apostolus* 1. *Cor.* 7. *ut dixi, illas permittit. Cataphrygum ac Novatianorum hereses, illas damnarunt. vid. August.* de bono viduitat. c. 4. *Idem fecit Tertullian. vid.* ibidem. *& ipsum Tertullian.* in libro de monogamia. *Cataphryges erant Montanistæ. Vide Theodoret.* 3. de hæret. fabulis.

Polygamiam improbem] *Tertullianus putat, secundas nuptias, & inprimis tertias aut quartas, ut stupra aut adulteria habendas esse, vid.* ejus lib. de monogamia. *Optimè August.* d. libro, de bono vid. c. 12. De tertiis, *inquit*, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre. *& paulo post iterum*: Quis, *inquit*, sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse, ait enim, Mulier alligata est, quã diu vir ejus vivit. Non dixit primus aut secundus, aut tertius aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. *Vide plura* ib. *De pœnis secundarum nuptiarum vid.* Nov. 2. Nov. 22. Nov. 127. c. 3. & auth. iisdem pœnis & auth. uxore mortua, C. de sec. nupt. *ex quibus patet, tum temporis secundas nuptias potius permissas, quam probatas fuisse.*

Universus mundus viri causa] *Vid.* Gen. 1. v. 26. *imò ipsa fœmina viri causa.* 1. Cor. 11. v. 9.

Vir totus mundus est & spiritus Dei] *Vide* Gen. 5. v. 1. & Gen. 1. v. 27. *Apostolus Paulus* 1. Corinth. 11. *docet*, quod vir non debeat velare caput, cum is imago sit ac gloria Dei, at mulier gloria viri.

Fœmi-

Fœmina costa tantum]Gen.2.v.21.

Quam coitionis illa vulgaris] conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam:adulterium verò sive fornicatio letalem habet culpam: ac propter hoc melior est quidē ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, quæ fit causa gignendi. *Hæc habet August.* in lib.de bono conjugal.c.6.in Soliloquiis c.10. Si,*inquit*,ad officiū pertinet sapientis(quod nondum comperi)dare operam liberis,quisquis huius rei tamen gratia concumbit,mirandus mihi videri potest,at verò imitandus nullo modo.

Nihil ineptius aut viro sapiente indignius] *Hinc Augustin.* in libro soliloquiorum cap. 10. Nihil, *inquit*, esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea,corporumque ille contactus,sine quo uxor haberi non potest.*Hæc August.* *Et si rectè ineptias illas ac nugas,quas vir cum muliere agit, quoties fœminea voluptate uti decrevit, consideremus, nihil stultius fingi posse reperiemus: Sed ob liberorum procreandorum necessitatem, humaniq; generis conservationem, Deus proclives nos ad eiusmodi nugas ac voluptates esse voluit, Hinc Cornel. Agrippa* de Sacramento matrimon. Uxorem, *inquit*, dilectam in oculis aspicere, ac per liberos successionesque & familiæ & nominis extendi summa lætitia est, atque felicitas, dulceque laborum consolamen.

Alienatiore animo sim] *Nec simpliciter nuptias damnat. Nuptias damnantibus Concilium Gangrense anathema dixit,vide* distinct.30.c.4: c.5. & omnino c.12.

Quicquid pulchrum est] *Illud enim amandum est, imò omnes ad amorem sui attrahit:*

mana qua mortuo maritu nullis persuasionibus ad secundum matrimonium adduci potuerunt, vid. Hieronym. contra Jovinian.

Secundas nuptias damnem] *Apostolus* 1. *Cor.* 7. *ut dixi, illas permittit. Cataphrygum ac Novatianorum hereses, illas damnarunt. vid. Augustin.* de bono viduitat. c. 4. *Idem fecit Tertullian. vid.* ibidem. *& ipsum Tertullian.* in libro de monogamia. *Cataphryges erant Montanistæ. Vide Theodoret.* 3. de hæret. fabulis.

Polygamiam improbem] *Tertullianus putat, secundas nuptias, & inprimis tertias aut quartas, ut stupra aut adulteria habendas esse, vid. ejus* lib. de monogamia. *Optimè August.* d. libro, de bono vid. c. 12. De tertiis, *inquit*, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre. *& paulo post iterum:* Quis, *inquit*, sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse, ait enim, Mulier alligata est, quã diu vir ejus vivit. Non dixit primus aut secundus, aut tertius aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. *Vide plura* ib. *De pœnis secundarum nuptiarum vid.* Nov. 2. Nov. 22. Nov. 127. c. 3. & auth. iisdem pœnis & auth. uxore mortua, C. de sec. nupt. *ex quibus patet, tum temporis secundas nuptias potius permissas, quam probatas fuisse.*

Universus mundus viri causa] *Vid.* Gen. 1. v. 26. *imò ipsa fœmina viri causa.* 1. Cor. 11. v. 9.

Vir totus mundus est & spiritus Dei] *Vide* Gen. 5. v. 1. & Gen. 1. v. 27. *Apostolus Paulus* 1. Corinth. 11. *docet*, quod vir non debeat velare caput, cum is imago sit ac gloria Dei, at mulier glória viri.

Fœmi-

Fœmina costa tantum] Gen. 2. v. 21.

Quam coitionis illa vulgaris] conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium verò sive fornicatio letalem habet culpam: ac propter hoc melior est quidē ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, quæ fit causa gignendi. *Hæc habet August.* in lib. de bono conjugal. c. 6. in Soliloquiis c. 10. Si, *inquit*, ad officiū pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis huius rei tamen gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at verò imitandus nullo modo.

Nihil ineptius aut viro sapiente indignius] *Hinc Augustin.* in libro soliloquiorum cap. 10. Nihil, *inquit*, esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. *Hæc August. Et si rectè ineptias illas ac nugas, quas vir cum muliere agit, quoties fœminea voluptate uti decrevit, consideremus, nihil stultius fingi posse reperiemus: Sed ob liberorum procreandorum necessitatem, humaniq; generis conservationem, Deus proclives nos ad ejusmodi nugas ac voluptates esse voluit, Hinc Cornel. Agrippa* de Sacramento matrimon. Uxorem, *inquit*, dilectam in oculis aspicere, ac per liberos successionesque & familiæ & nominis extendi summa lætitia est, atque felicitas, dulceque laborum solamen.

Alienatiore animo sim] *Nec simpliciter nuptias damnat. Nuptias damnantibus Concilium Gangrense anathema dixit, vide* distinct. 30. c. 4. c. 5. & omnino c. 12.

Quicquid pulchrum est] *Illud enim amandum est, imò omnes ad amorem sui attrahit:*

mana quæ mortuo mariti nullis persuasionibus ad secundum matrimonium adduci potuerunt, vid. Hieronym. contra Jovinian.

Secundas nuptias damnem] *Apostolus* 1. Cor. 7. *ut dixi, illas permittit. Cataphrygum ac Novatianorum hereses, illas damnarunt. vid. Augustin.* de bono viduitat. c. 4. *Idem fecit Tertullian. vid.* ibidem. & *ipsum Tertullian.* in libro de monogamia. *Cataphryges erant Montanistæ. Vide Theodoret.* 3. de hæret. fabulis.

Polygamiam improbem] *Tertullianus putat, secundas nuptias, & inprimis tertias aut quartas, ut stupra aut adulteria habendas esse, vid.* ejus lib. de monogamia. *Optimè August.* d. libro, de bono vid. c. 12. De tertiis, *inquit*, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre. & *paulo post iterum*: Quis, *inquit*, sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse, ait enim, Mulier alligata est, quã diu vir ejus vivit. Non dixit primus aut secundus, aut tertius aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. *Vide plura ib. De pœnis secundarum nuptiarum vid.* Nov. 2. Nov. 22. Nov. 127. c. 3. & auth. iisdem pœnis & auth. uxore mortua, C. de sec. nupt. *ex quibus patet, tum temporis secundas nuptias potius permissas, quam probatas fuisse.*

Vniversus mundus viri causa] *Vid.* Gen. 1. v. 26. *imò ipsa fœmina viri causa.* 1. Cor. 11. v. 9.

Vir totus mundus est & spiritus Dei] *Vide* Gen. 5. v. 1. & Gen. 1. v. 27. *Apostolus Paulus* 1. Corinth. 11. *docet*, quod vir non debeat velare caput, cum is imago sit ac gloria Dei, at mulier glôria viri.

Fœmi-

Fœmina costa tantum]Gen.2.v.21.

Quam coitionis illa vulgaris] conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium verò sive fornicatio letalem habet culpam: ac propter hoc melior est quidē ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, quæ fit causa gignendi. *Hæc habet August.* in lib. de bono conjugal. c.6. in Soliloquiis c.10. Si, *inquit*, ad officiū pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis huius rei tamen gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at verò imitandus nullo modo.

Nihil ineptius aut viro sapiente indignius] *Hinc Augustin.* in libro soliloquiorum cap. 10. Nihil, *inquit*, esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. *Hæc August.* *Et si rectè ineptias illas ac nugas, quas vir cum muliere agit, quoties fœminea voluptate uti decrevit, consideremus, nihil stultius fingi posse reperiemus: Sed ob liberorum procreandorum necessitatem, humaniq; generis conservationem, Deus proclives nos ad ejusmodi nugas ac voluptates esse voluit, Hinc Cornel. Agrippa* de Sacramento matrimon. Uxorem, *inquit*, dilectam in oculis aspicere, ac per liberos successionesque & familiæ & nominis extendi summa lætitia est, atque felicitas, dulceque laborum consolamen.

Alienatiore animo sim] *Nec simpliciter nuptias damnat. Nuptias damnantibus Concilium Gangrense anathema dixit, vide* distinct. 30. c. 4. c.5. & omnino c.12.

Quicquid pulchrum est] *Illud enim amandum est, imò omnes ad amorem sui attrahit:*

quasi ipsi natura, aut Deo à secretu fuissemus. Optimè *Seneca* in Epistola 106. Latrunculis ludimus: in supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est, sapere: imò simplicior Paucis opus est ad mentem bonam literis, Sed nos ut cetera in supervacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum sic literarum quoq; intemperantia laboramus: non vitæ sed scholæ discimus.

Ab experientia ducta] *Hac vera Philosophia est; hac docet nos, nonnulla, de quibus in scholis maximo fervore disputatur, nil nisi mera nugamenta esse.*

Quod ut libros claudam & abjiciam] *Helmontius* c.2.de Lithiasi *scribit, cum cognovisset se nihil scire, quia ex nihil scientibus sua didicerat, se libros abjecisse.*

Et infusione adepturos] *Scil. post hanc vitam. Ejusmodi etiam in hac vita per Dei gratiam hominem posse adipisci docet Helmontius, Vid.* in libro de Lithiasi & in præfat.ejus, & in libro de arbore vitæ. *Idem sentit Iacobus Böhme, sed de his meum judicium suspendo, & admodum periculosum duco multum hisce rebus tribuere; nam Enthusiasmum habentes ineptire ac fatuari notum est.*

Sect. IX.

NEc † dũ uxorem ipse duxi, † nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt; non quod aut † secundas nuptias damnem, aut in totum † polygamiam improbem: Accidere enim potest, ut inæqualis sexuum numeri, & temporum ratione habita, necessaria videatur. † Universus mundus

viri

viri causa factus est, pars autem viri duodecima fœminæ causa: † vir totus mundus est, & spiritus Dei; † Fœmina costa tantum, & curva viri pars, Mihi satis placeret, si nobis etiam arborum more citra conjunctionem procreare liceat, sive alia quæpiam reperiatur rerum propagãdarum ratio, quam † coitionis illa vulgaris, & trivialis: † nihil profecto ineptius est, aut viro sapiente indignius; nihil quod mentis celsitudinem turpius dejiciat, quã si animo jam deferbente reputet, quam insigniter ineptierit. Nec tamen hæc ita quenquam interpretari velim, quasi à sexu illo dulcissimo † alienatiore animo sim, immo ultro admiror, & amplector † quicquid pulchrum est. Summa cum voluptate eleganti cuipiam picturæ inhæreo, etiamsi equi tantum fuerit. Ea mihi temperies est, & hoc mihi pluris sum, quæ omni † harmoniæ genere delectetur. † Habet certe symphoniam quandam pulchritudo, nec ullus est chordarum concentus † ad tacitas cupidinis notas comparandus: Ubicunque enim harmonia, ordo, & proportio sunt, ibi symphonia est; quo sensu etiam † sphærarum concentus defendi poterit. Cœlestes enim motus illi ita ad ordinem & numerum concinnari, utcunq; sonos nullos ad aures emittant, intellectui tamen dulcissimum modulamen præbent.

Harmo-

Harmonia gaudet quicquid harmonice compositum est, unde † capitum istorum symmetriam suspectam habeo, quibus templorum Musica tam vehementer displicet. Hanc ego ut amplectar, tum obedientia, tum proprio naturæ genio adducor. Nam etiam vulgaris illa fidicinum circumforaneorum Musica, quæ alios hilares allos dementes reddit, mihi quidem religiosum quendam affectum incutit, & profūdam de principe Compositore meditationem. † Aliquid certe divinius habet, quàm quod auris persentiscit. Hieroglyphica est, & † mystica totius rerum universitatis umbra; & talis in aure melodia, qualis mundus justæ intellectus in mē te futurus est. Est denique sensibile ejus Harmoniæ specimen quæ in auribus divinis intellectualiter resonat. Non cum Platone statuo, animā harmoniam esse, † sed harmonicam tamen, & modulamini musico admodum affinem: Et quare accidit, ut nonnulli quorum corporis constitutio cum harmonico hoc animæ genio congruat, † poëtæ nascantur. Quamquàm † ad rhythmum quidem omnes natura fingimur. Hinc est, quod historiam suam à carmine auspicetur * † Tacitus; & Cicero ipse poëtarum pessimus, cum solummodo pro

* *Vrbem Romam à principio reges habuere.*

pro* Poeta orationem haberet, in prima sententia in* hexametrum offenderit. Sordida illa & homine Christiano † indigna desideria, quibus professio nostra male audit, in me non sentio: non pestem aut famem tacitus opto; non calendariis & ephemeridibus revolutis malignos Astrorum aspectus sollicitus expecto; non conjunctiones & eclipses mortiferas, non aut ver insalubre, aut intempestivas hyemes lætus cerno. Ego & Agricola eadem oramus, omnia tempestiva, omnia salutifera; & qualia nec hominibus, nec temporibus sanitatem adimant. Ægrotem ipse nisi patientis malum mihi morbus sit, nisi ejus infirmitati potius quam crumenæ meæ mederi cupiam. Vix honestum mihi videtur lucrum, nisi opera prosit; quamvis negandum non est, fideles conatus nostros salarium suum meruisse. Pudet & vehementer dolet, esse, præter mortem ipsam, & † morbos insanabiles: non id adeo, quasi artem superari indigneri sed publica generis humani causa commotus, qua tanquam propria afficior. Ut vero generalius loquar; tres illæ nobilissimæ professiones, quas unaquæque Respublica, ut optime instituta est, ita maxime in honore habet, ex Adami lapsu profectę sunt, nec infirmi- ta-

* *Pro Arch, poëta*

* *In qua me non inficior mediocriter esse versatum.*

tatibus ſuis vacant. Ut morbos habet Medicina inſanabiles; ita & † Jurisprudentia cauſas, quæ non diſſolvi, & Theologia vitia, quæ non corrigi poſſunt. Si conſilia † generalia erroribus obnoxia ſint; qui infallibiles eſſe poſſint particulares Curiæ non video. Nullas habent ita perfectas regulas, quæ non ab hominibus, atq; adeo fallibili ingenio profectæ ſint; & alterius plerumque canones alterius conſulta damnant. Haud aliter ac ſuperiorum ſcriptorum ſententias Ariſtoteles confutare ſolitus eſt, quod licet rationi congruæ, † ſuis ipſius præceptis & dogmatibus non conſonarent. Ut autem † peccatum in Spiritum ſanctum miſſum faciam, cujus non remedium tantum, ſed † natura etiam ignoratur; nephritidi aut podagræ facilius medeor, quam Theologus ſuperbiæ aut avaritiæ. † Sunt vitia quædam Medicinæ opera medicabilia, quæ Theologia ſanare neſcit; quæ hujus præceptis ſpretis & contemptis, illius pillulis obtemperant. Artem non jacto, ſed aperte dico; Commune rerum omnium remedium omnes ſtudioſe vitamus, mors enim omnibus medetur malis. Nullum; præter hanc, catholicon & univerſale remedium novi; ad quam utcunque nauſeent κακοςόμαχοι, † ſano tamen palato nectar eſt, & grata immortalitatis potio.

ANNOTATA.
Ad Sect. IX.

Necdum uxorem ipse duxi] *Cornel. Agrippa* in libr. de Sacram. matrimon. Qui uxorem, *inquit*, non habet (etiamsi ditissimus sit) nihil fere habet quod suum est: quia nihil habet tutum ab insidiis, nec habet, cui posset relinquere nec cui confidere. Qui uxorem non habet, caret familia, caret propinquis & sine posteritatis spe semper desertus & destitutus est: furantur illum servi, defraudantur socii, contemnunt vicini. *Quomodo Lycurgus ac Plato cœlibes puniri voluerint, vide* ibid.

Nec eorum consilium laudo, qui bis ducunt] *Vid.* 1. Corinth. 7. v. ult. Mulier, *inquit ibi Apostolus*, alligata est quamdiu vivit ejus maritus. Quod si dormierit maritus illius, libera est ad cui velit nubendum, modo in Domino. Attamen beatior est, si sic maneat, juxta meam sententiam. *Augustinus* de bono viduitat. ad Iulianum c. 4. *ita*: hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Et ibidem in fine, Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. *Idem docet S. Ambrosius* l. 6. Hexametr. c. 19. *simile afferens de Turture.* Audiant; *inquit Mag. Basilius* in orat. 8. viri, audiant mulieres castimoniam viduitatis, etiam apud ea animalia, quæ ratione non utuntur majore esse in pretio, & honore quam multarũ nuptiarum deformitas. *Ipsi etiam Ethnici gloriæ ducebant secundis nuptiis abstinere: Hinc Dido apud Virgil.* l. 4. Aeneid.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetq; sepulchro.
de Martia Catonis filia & Valeria nobili Romana

mana quæ mortuis maritis nullis persuasionibus ad secundum matrimonium adduci potuerunt, vid. Hieronym. contra Jovinian.

Secundas nuptias damnem] *Apostolus* 1. Cor. 7. *ut dixi, illas permittit. Cataphrygum ac Novatianorum hereses, illas damnarunt. vid. Augustin.* de bono viduitat. c. 4. *Idem fecit Tertullian. vid.* ibidem. *& ipsum Tertullian.* in libro de monogamia. *Cataphryges erant Montanistæ. Vide Theodoret.* 3. de hæret. fabulis.

Polygamiam improbem] *Tertullianus putat, secundas nuptias, & inprimis tertias aut quartas, ut stupra aut adulteria habendas esse, vid.* ejus lib. de monogamia. *Optimè August.* d. libro, de bono vid. c. 12. De tertiis, *inquit*, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre. *& paulo post iterum:* Quis, *inquit*, sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse, ait enim, Mulier alligata est, quã diu vir ejus vivit. Non dixit primus aut secundus, aut tertius aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. *Vide plura* ib. *De pœnis secundarum nuptiarum vid.* Nov. 2. Nov. 22. Nov. 127. c. 3. & auth. iisdem pœnis & auth. uxore mortua, C. de sec. nupt. *ex quibus patet, tum temporis secundas nuptias potius permissas, quam probatas fuisse.*

Universus mundus viri causa] *Vid.* Gen. 1. v. 26. *imò ipsa fœmina viri causa.* 1. Cor. 11. v. 9.

Vir totus mundus est & spiritus Dei] *Vide* Gen. 5. v. 1. & Gen. 1. v. 27. *Apostolus Paulus* 1. Corinth. 11. *docet*, quod vir non debeat velare caput, cum is imago sit ac gloria Dei, at mulier glôria viri.

Fœmi-

Fœmina costa tantum] Gen.2.v.21.

Quam coitionis illa vulgaris] conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium verò sive fornicatio letalem habet culpam: ac propter hoc melior est quidē ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, quæ fit causa gignendi. *Hac habet August.* in lib. de bono conjugal. c. 6. in Soliloquiis c. 10. Si, *inquit*, ad officiū pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis huius rei tamen gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at verò imitandus nullo modo.

Nihil ineptius aut viro sapiente indignius] *Hinc Augustin.* in libro soliloquiorum cap. 10. Nihil, *inquit*, esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. *Hæc August. Et si rectè ineptias illas ac nugas, quas vir cum muliere agit, quoties fœminea voluptate uti decrevit, consideremus, nihil stultius fingi posse reperiemus: Sed ob liberorum procreandorum necessitatem, humaniq; generis conservationem, Deus proclives nos ad ejusmodi nugas ac voluptates esse voluit, Hinc Cornel. Agrippa* de Sacramento matrimon. Uxorem, *inquit*, dilectam in oculis aspicere, ac per liberos successionesque & familiæ & nominis extendi summa lætitia est, atque felicitas, dulcequelaborum consolamen.

Alienatiore animo sim] *Nec simpliciter nuptias damnat. Nuptias damnantibus Concilium Gangrense anathema dixit, vide* distinct. 30. c. 4. c. 5. & omnino c. 12.

Quicquid pulchrum est] *Illud enim amandum est, imò omnes ad amorem sui attrahit;*

Hinc Socrates, ut Laërtius l. 5. in vita Aristotelis *prodidit*, pulchritudinem appellavit modici temporis tyrannidem, Plato naturæ privilegiũ, Theophrastus tacitam deceptionẽ, Carneades regnum solitarium. *Vid. Laërt.* ibid. *Hinc Plato* in Phædro *dicit*, Pulchritudinem solam hanc habere sortem, ut maximè omnium perspicua sit & amabilis. Vide & l. 7. de Republ. *Marsilius Ficinus*, in commentario in Platonis conviviũ, *probat pulchritudinem esse splendorem divini vultus*. Vide ipsum Plat. in conviv. *ubi Diotima de hoc egregiè philosophatur. Hinc multu* in corporum majestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. *Curt.* l. 6. c. 5. *Hinc Virgil.* l. 5. *Æneid.*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Latinus Pacatus Panegyr. cap. 7. Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hospitium: sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo: sive aliud ex altero crescit, & cum se paria junxerũt, utràque majora sunt. *Pulchritudinem mulierum eleganter Ovid.* l. 13. Metamorph. *in Galathea, cujus amore Polyphemus capiebatur describit:*

Candidior folio nivei Galathea ligustri,
Floridior prato, lõnga procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lascivior hædo,
Solibus hybernis, æstiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto
Et si non fugias, riguo formosior horto.

hanc pulchritudinem dicit Horatius splendidiorem Pario marmore.

Harmoniæ] *Harmoniam appellant Musici (ut*

ri(*ut Cic.* 1. Tuſc. *docet*) *concentum nervorum ſine ulla offenſione conſonantium. Quinctil. l.* 1. inſtit.orator c.10.*eam vocat diſcordiam diſſimilem. Eſſe etiam Harmoniam in corpore teſtatur Lucretius* l.3.

Nunc animam quoque ut in membris cognoſcere poſſis
Eſſe, neq; harmoniam corpus retinere ſolere.

Habet ſymphoniam quandam pulchritudo) *Ea propter definitur à Cicerone* 3.Tuſculan. *Partium congruentia cum coloris ſuavitate. Et Marſilius Ficinus* in commentar. in Platonis conviv. *docet, in congruitate conſiſtere pulchritudinem. Symphonia eſt concentus. Vid. Vitruv.* l. 5. c. 4 *Eam Boet.* l. 1. Muſ. c. 8.*ita definit*:Conſonantia eſt acuti ſoni graviſſima mixtura ſuaviter uniformiterq; auribus accidens *Caſſidor*.lib. de Muſica. Symphonia eſt temperamentum ſonitus gravis ad acutum, vel acuti ad gravem modulamen efficiens; ſive in voce, ſive in percuſſione, ſive in flatu.

Ad tacitas cupidinis notas comparandus) Nam hominis exterioris imago per ſenſus accepta tranſiensque in animum, ſi hominis figuræ quam poſſidet animus, diſſonat è veſtigio diſplicet, ſi conſonat ilicò placet: *Ficinus* in d. commentar.

Sphærarum concentus defendi poterit) *Quem Platoni ſtatuunt: Proclus* in commentar. in Alcibadem Platonis prim. Cœlum, *inquit*, concentu motuumq; concinnitate plenum eſt. *Vide plura* ibidem. *Et Marſil. Ficinus* in Platonis Ionem *ita*: Cum Deum, *inquit*, dicit Apollinem ſignificat: Cum Muſas ſphærarum mundi animas. Jupiter quidem mens Dei eſt, ab hac Apollo mens animæ mundi, & anima totius mundi, octoq; ſphærarum cœleſtium animæ: quæ novem animæ novem Muſæ vocantur quia

dum cœlos harmonicè movent, musicam pariunt melodiam: quæ in novem distributa sonos octo sc. sphærarum tonos, & unum omnium concentum, novem sirenes Deo canentes producit.

Capitum istorum symmetriam suspectam habeo] *Hoc ipso Comes d' Osso, Magni Hetruriæ Ducis Ferdinandi II. Ephorus, illum parum Musices amantem adducere voluit, ut & hoc studio sese delectare inciperet.*

Aliquid certe divinius habet, quam quod auris persentiscit] *Augustin.* l.17. de Civ. Dei c.14. *ita*: David, *inquit*, harmoniam Musicam non vulgari voluptate, sed fidei voluntate dilexerat: eaque Deo suo, qui verus est Deus, mystica rei magnæ figuratione serviens: & diversorum nomine sonorum, rationales moderatosq; concentus concordi varietate compactam benè ordinatæ civitatis insinuat unitatem. *Quinctilian.* l.1. instit. orator. c.10. Quis, *inquit*, ignorat, musicen tantum jam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici, & vates, & sapientes judicarentur? Mittam alios, Orpheus & Linus, quorum utrumq; Diis genitum, alterum verò, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam sylvasque duxisse posteritatis memoriæ traditum est. *Paulò post scribit*: Pythagoram, atque eum secutos, acceptam antiquitus opinionem vulgasse, mundum ipsum in ejus ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata. *Hæc Quintilianus. Hinc Pythagorici omnes Musicam plurimi fecerunt, ut Plutarchus* in libro de Homero *testatur; & ante ipsos Homerus, qui in conviviis cytharam adhibebat, & in bello tibiarum ac fistularum sonitum audiri fecit, nec non luctui adhibuit Musicam, ut carminis lenitate*

ani-

animi asperitas demulceretur. Vid. in d. libro de Homero. Achilles iram, quã adversus Agamemnonem conceperat, Musica quam ex sapientissimo hauserat Chirone, concoxit. *Plutarch.* in libro de Musica. *Sic & Saul quoties malo genio affigebatur, lyræ sonum audire voluit.* Tradit Homerus luem, quæ in Græcorum castris grassabatur, Musica fuisse curatã, & Cretensem Thaletem cives hoc modo peste liberasse. *Vid. Plutarchum* ibid. *Musicam aliquid divini habere agnoverunt & Platonici. Scribit Iamblichus* de Mysteriis cap. Inspiratus vocat ab actione propria, ac Deum habet pro anima p. 59. & seq. edit. Lugdunens. anno 1577. *Quod Porphyrius dixerit aliquos afflari, cum audiunt tibias, vel cymbala, aut tympana, alios verò cum audiant, alias melodias, Variis, inquit Iamblichus,* Deorum ordinibus respondent in mundo variç motionum species, certæque certis, ex his verò variæ profluũt melodiæ, quæ congruunt similiter per suos, quæque motus certis ordine diis principiis motionum. Iii, cum ubique sint, & sua potissimum suis impartiant, melodiis sibi præcipue congruentibus adsunt præcipuè, nostrisque spiritibus per eas affectis se insinuantes occupant hominem, suaq; mox essentia, & potestate penitus implent. Cujus afflationis causa est, non tam passio hominis excitata per musicam, quam ipsa ad Deum musicæ congruentia, cui naturaliter Deus adest. Quæ ad visum veniũt nimis imaginaria sunt, & intelligibilia potius referunt. Quę ad sensum infra auditum, materialia nimis, quę ad auditũ, media, & animę congruunt, spirituiq; insinuata cum motu, affectu, significatione vehementer afficiunt animam quidem hinc, & inde corpus, unde totus homo secundũ proprietates melodiarum : evadit susceptaculum numinis huius, aut illi⁹. *Hæc Iamblichus, paulò post*

pergit. Anima *inquit*, in mundo intelligibili audivit harmoniam divinam, cujus hic reminiscitur, quando audit melodias habentes divinę vestigium, reminiscens verò ad eam vehementer afficitur, si est è numero animarum, quæ ipsam harmoniæ ideam præcipuè contemplatæ sunt in patria. *Robertus Flud* in Hist. Microcosmi Tract.1.Sect.1.l.2.c.2. *probare vult, quod Harmonia mundana eodem modo se habeat ut harmonia divina, & quod concentus mundanus à divina procedat.*

Mystica totius rerum universitatis umbra] *Hinc Marsilius Ficinus* in Platon. Timæum c. 28. *ita*: Quod, *inquit*, in cœlesti melodia est, tum ex tardiori motu gravis tonus, tum ex motu velociori tonus acutus, idē sub cælo est gravitas, & levitas: item frigus & calor, rursus humor siccitasq; elementorum. Idem in generatione rerum materia est & forma. Idē in humanis ingeniis mansuetudo & magnanimitas, temperantia atque fortitudo. Et quemadmodū ex gravi acutaq; voce, sic ex geminis cunctis, quas narravimus naturis ubique fit unum. *Nam tota huius mundi concordia ex discordibus constat. Vid. Sen.* l.7. natural quæst. c.27.

Sed Harmonicam & modulamini musico affinem] *Marsilius Ficinus* in compendio in Platonis Timæum c 28. *dicit, Platonem dixisse, animam concordia musica esse similem.* Quærebatur, *inquit*, cur Plato concordiæ potissimum musicę animam expresserit similem, respondetur ad hæc: Musicam consonantiam fieri in elemento omnium medio, perq; motum & hunc quidem orbicularem ad aures pervenire, ut non mirum sit eam animæ convenire, tum mediæ rerū, tum motionis principio in circuitum revolubili. Ad quod concentus potissimum inter illas quę sentiuntur, quasi animatus, affectum sensumq; co-

gita-

gitationē animæ sive canentis sive sonantis perfert in animos audientes; ideoq; inprimis cum animo congruit. Præterea quæ ad visū quidem spectant, & si pura quodammodo sunt, tamen absq; motionis efficacia, & per imaginem solā absque rei natura sæpius apprehenduntur: ideò parum admodum movere minos solent. Quæ verò ad olfactum, gustum, tactum, quasi valdè materialia potius instrumenta sensuū titillant, quam animi intima penetrent. Concentus autem per aeriam naturam in motu positam movet corpus: per purificatum aërem concitat spiritum aërium animæ corporisq; nodum: per affectum afficit sensum simul & animum, per significationem agit in mentem: denique per ipsum subtilis aëris motum penetrat vehemēter: per contemplationē locabit suaviter: per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit: per naturam tam spiritualem quam materialem totum simul rapit & sibi vendicat hominem. *Pergit paulò post*: Haud abs re Plato, *inquit*, animam effectricem, servatricem, motricem omnium naturalium musicis præcipuè humeris rationibusq; descripsit; numeris, inquam, non mathematicis, accidentibus, ut quidam calumniantur, sed idealibus numerorum metaphysicisq; rationibus constitutam.

Poëtæ nascantur] *Sed Plato docet* in Phædro, & in Ione, *quod nec Homerus, nec alius quivis revera Poeta, absque cœlesti afflatu Poesin consecuti sint. Marsil. Ficin* in Platon. *ita*: Sæpe, *inquit*, videmus rudem hominem ac ineptum in poëtam bonum evadere, & aliquid magnificum divinumq; cantare. Magna verò in momento assequi non humani ingenii est, sed divinitus inspirati. *Hinc Ovid.* l. 6. Fastor.

Est Deus in nobis agitante calescimus illo:
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Quod Poeta nascantur confirmat Horat. de arte Poetica:

Natura fieret laudabile carmen an arte.
Quæsitum est? ego nec studium sine divite vena.
Nec rude quid prosit video ingenium.

Ad rhythmum omnes natura fingimur] *Multi Oratores atque Historici carmina nolentes & ignari composuere Vide Casp. Barth.* l. 32. *adversar.*c.4. & *Voss.*l. 4. institut. orator.c. 4. § 3.

Tacitus] In initio libri.1. Annal.

Indigna desideria] Medicis gravis annus in quæstu est. *Seneca* l. 6 de Benef. c.38.

Morbos insanabiles] *Theophrastus & Helmontius vix admittunt dari morbos insanabiles. Sed plerumq; videmus illud Ovidij* l. 1 de Ponto Eleg. 4 *nostros Medicos verum reddere:*

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Iurisprudenti causas, quæ non dissolvi] *De multis enim casibus leges nondum latæ sunt. Ideò Iustinianus* in l.2 § 18.C.de veteri jur.enucl. Sed quia divinæ, *inquit*, quidem res perfectissimę sunt, humani verò juris conditio semper in infinitũ decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuo stare possit, multas enim formas edere natura novas deproperat: non desperamus quædã postea emergi negotia, quæ adhuc legum laqueis nondũ sint innodata. *Iulianus*. in l.12. ff. de LL. Non possunt, *inquit*, omnes articuli singulatim aut legibus aut SCtis comprehendi. *Idem*, in l. 10.eod.tit. Neque leges, *inquit*, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui

quan-

quandoque inciderint comprehendantur, sed sufficit, & quæ plerumque accidunt contineri. *Idem docet Aristot.*l.2. Polit.c.8. *& quomodo cum leges desint, procedi debeat, docet Iulianus* in d.l.12. *& Vlpianus* in l.13.eod. *Sed si verum fateri licet, nonnulla leges ita interdum contraria seu potius obscura videntur, ut per illas nonnulla causa vix dissolvi possint, & quamvis multi tentarint leges conciliare, tamen frequenter in cassum laborarunt, & in partes iverunt. Quomodo conciliatio.* l.13. Cod de Collationib. eum l. Filiæ Cod. Famil. Ercisc. *Cuiacium torserit, vide* observ l. 3.c.30.& dicta l.13. si donatione, obstat & l.ultim.eod. *Fachineus* l.5.controversiar.jur. c. 80, *refellit Cuiacij conciliationem, & ipsam legem emendat adjecta negatione hoc modo:* nam si id filiæfamilias non constitutæ tibi. In textu est, filiæfamil.constitutæ tibi. *Quantum laboru alia* l.frater à fratre. D. de condict. indeb. *dederit, vid. apud Hotomann.* in illustr. leg. & in ejusd. append. ad suam priorem explicat. *Quantum alia* l.quod dicitur 5.ff de impens. in res dotal. fact. *in verbis,* ubi ergò admittimus diminutionem dotis, *vid. apud Ant. Fabr.* l 1.c.2. conject. *Plura de his scopus non permittit.*

Generalia erroribus obnoxia] *Bodinus* l. 4. de Republ. cap. 7. *docet, Arianorum doctrinam octo conciliis confirmatam.*

Et alterius plerumq; canones alterius consulta damnant] *Vt patet* ex l. si is qui 56. §. 3. D. de jur.dot. ex l.2. §. 3. & seq.D.de Orig. jur. l.1. §.dolum 2.ff. de dolo malo. *& passim ex institutionibus ac constitutionibus, qua in Cod. Theodos. & Iustin.extant, ut ex Novellis: Damnant & interdum propria.Vid.* Nov.2 cap.3. Nov.22. c.23. & seq.

Suis ipsius præceptis non consonarent] *vid.* l.1.de cœlo,c.10.

Peccatum in Spiritum Sanctum] *De quo vide Matth.* 12.v.31.Marc.3.v.29.1.Ioh.5.v.16.

Natura ignoratur] *Ejus naturam describunt Petrus Lombard.* 2.sentent distinct.43. *Ly an* in 12.cap Matth.

Sunt vitia quædam medicinæ opera medicabilia,quæ Theologia sanare nescit] *Ut proclivitas ad libidinem, & ea vitia quæ morbus hypochondriacus causatur, & alia.*

Sano tamen palato nectar est] Mortalitas, *inquit Cyprianus* sermone 4.de mortalitate, ut Iudæis & Gentilibus Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus. *Vide* ibidem *plurimas causas, quare Christianus non timeat mori.*

Sect. X.

CUm omni hominum genere haud aliter,ac Sol conversor, amico aspectu tum bonos,tum malos intuens. Mihi quidem nemo malus esse,ut quisque pessimus est,ita optimus videtur; nimirum quandiu intra fines istos versatur,quibus bonus est. Non ullius tam discors est & asymphonus animus,cui non indoles musica & flexibilis, harmonicum aliquid succinere queat. † *Magnæ virtutes,nec minora vitia*; ut optimæ indolis inscriptio est, ita in pessimam etiam quadrat. Nullum enim est ita tentatum penitus, & depravatum ingenium, in quo non partes quædam sinceræ inveniantur, quæ per antiperistasin quandam magis elucent, & antipathiæ suæ viribus,

& præ-

& prævalentia ſeſe ab impetentium vitiorum contagione tutantur, à communi usque malo liberæ & intactæ. Quemadmodum etiam ſe res habet in rerum aliarum naturis; cum acerrimis corroſivis præſtantiſſima balſama in eodem corpore inveniuntur. Aio præterea, idque experientia fretus, ipſa venena † antidotum ſuam in ſeipſis continere, qua virus proprium premunt & ſubigunt; quam ſi dempſeris non nobis tantum mortiferà ſunt; ſed ſibi ipſis etiam. Ego autem ab eà quæ intus eſt, corruptione metuò, nòn ab externi commercii contagiis. Mihi ab indomita illa & interna cohorte periculum imminet; ipſe ſum mihi ipſi contagioſus. Vivit adhuc in me homo † umbilico carens. Corrodit me uſq; & depaſcitur originalis cancer: ideoque *Defende me Deus de me*, Litaniæ meæ pars, & quæ inter ſecretas meditationes vox prima erumpit. Solus nemo eſt, quia unusquiſque Microcoſmus eſt, mundumq; univerſum ſecum circumfert. † *Nunquam minus ſolus, quam cum ſolus*; Ut cumq; ſapientis apophthegma, verum etiam eſt ex ore ſtultiſſimi. In medio eremo ſoli non ſumus: non quod nobismet ipſis tantum, & cogitationibus noſtris comitati ſimus; adeſt ubique Diabolus, perpetuus ſolitudinis comes, & † tumultuum inteſtinorum rebellis author, ſolitarias uſq; medita-

ditationes ad ſeditionem ſolicitans. Et ut ſtrictius agam, nulla eſt uſpiam ſolitudo, nihil ſecretum & ſolũ dici poteſt, niſi ſolus Deus, qui proprio contentus circulo per ſeipſum ſubſiſtit. Reliqua omnia præter partes ſuas diſſimilares & heterogeneas, quæ totidẽ quodammodo naturæ videantur, per concurſum tantum Divinum ſubſiſtunt, & per eius dextræ ſocietatem, quæ ipſorum naturas ſuſtentat. Nihil denique ſolum eſt, quod non ſimpliciter unum eſt, nec quicquam ſimpliciter unum, niſi ſolus Deus. Reliqua omnia unitatem tranſcendunt, ideoque plura ſunt.

ANNOTATA.
Ad Sect. X.

Magnæ virtutes nec minora vitia] *Quod pleꝛumq; in magnis veris videmus.* Alcabiade nihil fuit excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. *Corn.* Nepos in Alcibiad. *In Trajano fuerunt magnæ virtutes, tamen & vitia, ut temulentia & quod polluit ſe libidinibus maſculis. Vide Dion. Caſſ. Si hiſtorici affectibus liberi vitas Tyrannorum ac vitiis inquinatorum hominum ſcripſiſſent; nullum eorum ſine aliqua eximia virtute reperiremus.* Nam laudabilia multa etiam mali faciunt; *ait Plin.* paneg. Trajan.

Antidotum ſuum in ſeipſis continere] *Vt ſerpentes, ſcorpiones, viperæ &c.*

Vmbilico carens] *Homo non perfectus.*

Nunquam minus ſolus quam cum ſolus] *Hoc dicere ſolitus eſt Publius Scipio, qui primus Africanus appellatus eſt. Vid. Cicer. l.* 3. offic. pr.

Tumul-

Tumultuum intestinorum rebellis auctor]
Imo & nostræ cogitationes pericula struunt. Vid Senec. Epist.10.

Sect. XI.

AD vitam meam quod attinet; nihil aliud est quam triginta annorum miraculum: cuius historiam si ennarrare velim, non tam vera referre, quam fabulam comminisci videbor. Mundus hic autem, non tam diversorium, quam nosocomium videtur, moriendi potius, quam vivendi locus. Non alium mundum, quam meipsum, quam † me iipsius fabricam, & microcosmum curo, & contemplor. Altero illo haud aliter ac globo meo utor, quem interdum huc illuc animi causa versare soleo. Qui me extrinsecus tantum inspectant, non aliud quam conditionem meã & fortunam contemplantes, in altitudine errant: † Atlantis enim humeros ca'co. †Punctum terra est, nec id tantum cœlorum respectu, sed † cœlestis etiam ejus & ęhthereę particulę, quę nobis inest. Moles hæc carnea, qua circumscribor, † non animo limites ponit; ultima illa superficies, quæ de finibus suis cœlos monet, non facit ut credam mihi ullos esse. † Trecentis sexaginta cubitis non contineor, nec arca, ut corpus capiat, animam comprehendit. Dum quo pacto Microcosmus sim studio-

ſius inquiro, neſcio quid majore mundo maius comperio. Aliquid certe divinitatis in nobis ineſt, aliquid † elementis antiquius, quod Solis ditioni non obnoxium eſt. Me Dei imaginem eſſe, non ſcripturæ tantum docent, † ſed natura etiam: hoc qui neſcit, humanam doctrinam nondum attigit, nondum in homine diſcendo abcedarius eſt. Quod ſine alienæ felicitatis injuria dici queat, neminem me uno fæliciorem eſſe aio: *Ruat cœlum fiat voluntas tua*; hoc in omni caſu ſubſidio eſt: nec enim aliud accidere poterit, quam quod quotidiana oratione petimus. Paucis ut dicam; Sorte mea contentus ſum; quo quid majus poterit Providentia tribuere? Hoc certe illud eſt, quod fælicitatem appellamus; hoc ego potitus ſum; hoc vel in ipſis ſomniis fælix. Certè rebus omnibus, quæcumque delectant, per quietem magis, quam vigilantes afficimur. Hoc niſi ita eſſet miſer eſſem: experrectus enim excrucior & amicū abeſſe usq; queror, quem gratum ſomniorum miniſteriū de nocte iterum amplexibus reddit. De beatis ſomniis non minus Deo gratias ago quam de fælici quiete: Habent enim iſta, quod deſideriis modeſtis, & modica voluptate contentis ſatisfacere poſſit. Certe atræ bili imputandum non erit, ſi nos omnes in hoc mundo dormire dixero, quæ

cunque

cunque hic agimus, quæcumque meditamur, † mera esse somnia, & inter vitæ hujus & futuræ imaginationes tantum interesse, quantum nocturna phantasmata à diurnis sensis differunt. Pariter in utrisq; ludimur, simulacra tantum sunt, & emblemata altera alterorum. Nosmet ipsos nescio quomodo in somno superamus, & tunc demum vigilare videtur animus cum corpus dormitare inceperit. Ligatio quidem sensuum est, at rationis libertas. Nec ad somniantium imaginationes comparanda est vigilantium meditatio. *In nativitate mea ascendens erat* † terrenus *scorpius hora planetaria* Saturni natus sum: & sane ex plumbeo illo Planeta nescio quid contraxisse mihi videor. Facetus & urbanus non sum, non conviva lepidus, non geniali hilaritati idoneus, is tamen qui per unum somnium † comœdiam totam componere, in theatro assidere, spectare, & audire, & risu tandem plausuq; mihi ipsi somnium excutere possum. Siquidem autem, quam mens tum fœcunda est, tam fidelis memoria esset, † non nisi in somniis studeré, nec ad religionis officia obeunda aliud mihi tempus deligerem. Sed crassior nostrā memoria ita tunc tēporis ab abstracta mente disiuncta est, ut totius rei gestæ oblita, nihil aliud jam experrectis animis † quam confusum quiddam & imperfectum

morare valet. Nec Ariſtoteles qui ſingularem tractatum de ſomno conſcripſit, accuratam ejus definitionem reliquiſſe videtur; nec, qui eandem correxit, Galenus. † Noctambuli enim etiam † dormientes ſenſuum ſuorum actionibus defunguntur. Fateri igitur oportet aliquid in nobis eſſe, quod † Morphei imperium non agnoſcit, † ecſtaticasque illas, & abſtractas animas non aliter in corporibus propriis circumferri, quam ſpiritus audire, videre, & ſentire videntur, cum tamen organo, & ſenſu priventur, & facultatibus iſtis, à quibus informari debent. Quosdam ſub mortis horam ſupra ſe loqui, & ratiocinari obſervatum eſt. Iam enim anima ex corporeis illis vinculis liberari, & exolvi; jam ut ſe dignum eſt, & acumine plusquam mortali ſermocinari incipit.

ANNOTATA.
Ad Sect. XI.

Meiipſius fabricam & microcoſmum curo & contemplor) *Ab hac contemplatione Philoſophiam incipere debere, docet Carteſius* in novis ſuis Principiis Philoſophicis. *Vide & Robert. Flud* in Hiſtor. microcoſmi tract. 1. Sect. 1. l. 10. c. 5.

Atlantis) *Eſt mons in Libya, quem Herodotus* l. 4. *adeò celſum dicit, ut eius cacumen haud cerni queat, quia neque hyeme neque æſtate à nubibus relinquitur.*

Pun-

Punctum terra est) *Ut satis Astronomis innotuit. Vid.* Pandosion sphæricum *Argoli. Clav. Tychon. Copernic. &c.*

Cœlestis etiam eius & ætherea particulæ) Act. 17. v. 29. *Nobis cœlestem particulam inesse etiam Poëta cantant. Horat.* lib. 2. satyr. 2.

——— Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unà,
Atque affligit homo divinæ particulam auræ.

Iuvenal. Satyr. 15.

Sensum à cœlesti demissum traximus arce;
Cuius egent prona & terram spectantia: mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque &c.

Virgil. 6. Aeneid.

Igneus est illis vigor & cœlestis origo.

Lucret. lib. 2.

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.

Silius Ital. l. 15.

Cui ratio & magnæ cœlestia semina mentis
Munere sunt concessa Deûm: mortalibus alti
Quantum cœlicolæ, tantundem animalibus isti
Præcellunt cunctis: tribuit namque ipsa minores
His terris natura Deos.

Manil. l. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumq; redire animas, cœloq; venire?

Boët. l. 3. Metr. 6.

Hic clausit membris animos
Celsa pede petitos.

Eleganter Seneca c. 6. de consolat. ad Helv. Non est, *inquit*, ex terreno & gravi concreta (*nimirum mens*) corpore: ex illo cœlesti spiritu descendit,

& in Epist. 92. Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est? totum hoc quo continemur, & unum est, & Deus: & socii eius sumus & membra. *Iterum* in Epist. 120. Habebat, *inquit*, perfectum animum ad summam sui adductus, supra quam nihil est, nisi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus mortale defluxit.

Non animo limites ponit) *Seneca* in Epist. 102. Magna, *inquit*, & generosa res est humanus animus: nullos sibi poni, nisi communes & cum Deo terminos patitur. *Vide plura* ibidem.

Trecentis sexaginta cubitis non contineor) *Hoc est, ambitu & circumferentia totius terrarum orbis non contineor. Illa enim continet CCCLX gradus. Accipit hic cubitum pro gradu.*

Elementis antiquius, quod Solis ditioni non obnoxium est) *Seneca* in Epist. 41. Quemadmodum, *inquit*, radii Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.

Sed natura etiam) *Manil.* lib. 4.

——— Quid mirum noscere mundum
Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis?
Exemplum; Dei quisq; est in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi cœlo, credere fas est
Esse homines? proiecta jacent animalia cun(cta
In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent.

Iterum:

Hic partus qui cuncta regit, secessit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,
Imposuitq; viam ponto, stetit unus in arcem
Erectus capitis, victorq; ad sidera mittit:
Sidereos oculos, propiusq; aspectat Olympũ,
Inqui-

Inquiritq; Iovem nec sola fronte Deorum
Contentus manet, & cœlum scrutatur in alto.
Cognatumq; sequẽs corpus se quærit in astris.
Hinc in tanta fidem petimus, quam sæpe volucres
Accipiunt, trepideque suo sub pectore fibræ,
An minus est sacris rationem ducere signis
Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
Atqui adeo faciem cœli non invidet orbi
Ipse Deus, vultusque suos corpusque recludit.
Semper volvendo, seq; ipsum inculcat & offert.
Vt bene cognosci possit, doceatque videndo
Qualis eat, doceatque suas attendere leges.
Ipse vocat nostros animos ad sidera Mundus,
Nec patitur, quia non condit sua jura latere.
Quis putat esse nefas nosci, quod cernere fas est?
Nec contemne tuas quasi parvo in corpore vires.

Vid plura apud Rob. Flud. in Histor. Microcosmi Tract. 1. Sect. 1. l. 3. c. 5.

Mera esse somnia] *Ratione eorum, quæ in futura vita agemus ac meditabimur.*

Terrenus scorpius hora planetaria Saturni] *Quid illud significet, vide apud Ptolemeum. Lucam Gauricum. & in libro qui sub Henrici Ranzovij nomine editus est,* de Astrol. judic. *Sed propria experientia didici, Astrologia judiciariæ parum esse tribuendum.*

Comœdiam totam componere] *Ejusmodi somnia sanguineis obvenire censent Physici. Vid. Aristot.* c. 3. de insomn. *Auctor tamen dicit, se geniali hilaritati haud ideonum natum. Hippocr.* in libro de insomniis, *docet, bonæ constitutionis esse documentum, si ea, quæ aliquis de die cogitavit, in somnis obversentur. & puto auctorem nostrum interdiu ejusmodi agitasse,* Cic. 6. de Rep. in

fragment. Fit fere, *inquit*, ut cogitationes ser-monesq; nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius: de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare, & lo-qui. *Vide & Robert. Flud.* in Microcosm. tract. 1. Sect. 1. l. 10. c. 3. *Hinc apud Sen.* in octav. act. 4. *Nutrix Poppea ita*:

Quæcunque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert.
Veloxque sensus.

Et Claudian. in præfat: in 6. consulat. Honorii Aug.

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.

Lucret. l. 4.

In somnis eadem plerumque videmur obire;
Caussidici, causas agere, & cōponere leges &c.

Non nisi in somniis studerem) *Claudian.* in præfat. in 6 consulatum Honor. (ut)

Me quoq; Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assuetis sollicitare solet.
Namq; poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iovis,

Quam confusum quiddam & imperfectum memorare valet) *Præsertim si somnia ante ciborum concoctionem fiant. Vide Aristotel.* c. 3. de insomniis.

Accuratam eius definitionem reliquisse videtur) C. 3. de insomniis, *definit somnum.* Phantasma aliquod in somno.

Noctambuli enim dormientes) *Appellantur vulgò noctambuli, rectius somnambuli dicerentur. Id quod Auctor scribit esse verum satis experientia atq; Historia testantur, & Galenus id* l. 2. c. 4. de motu musculor. *de seipso fatetur. Vid. & Lemnium* de occult. nat. miracul. l. 2 c. 15.

Dormi

Dormientes] *Non est perfectus eorum somnus, habent oculos semiapertos.*

Morphei] *Morpheus fingitur filius ac minister somni Dei, qui inducit dormientibus varias formas. De quo Ovid.* l.11. Metamorph.

Excitat artificem similatoremque figuræ
Morphea.

Auctor noster accipit pro somno.

Ecstaticasque illas abstractas animas non aliter in corporibus propriis circumferri, quam spiritus audire &c.] *Somnia ordinaria, quia etiam bestiis competunt, hoc non satis probant; potius ecstasis, quia tunc anima ab omnibus corporis sensibus avertitur. Qui sunt in ecstasi, ut Iamblich.* de mysteriis *dicit*, neque utuntur sensibus, neque ita vigilant, ut qui vigiles habẽt sensus, neq; ullam edunt cognitionem actionemq; propriam. *De his vide plura in Rob. Flud.* Histor. microcosm. Tract.1. Sect. 2. part.1. l.2. c.5. *multas tamen ille nugas immiscet. Idem probant divinitus immissa somnia, veluti Abraha, Iacobi, Iosephi, Salomonis, Iuda, Maccabei, Magorum, Pauli &c. De divinis somniis Iamblich.* de mysteriis cap. de somniis p.51. *ita*: Somnia divinitus missa cum veniunt, tunc, *inquit*, breves audiuntur voces, quid agendum sit admonentes, & aliquando spiritus quidam non corpulẽtus, non tractabilis, se jacentibus circumfundit: qui tamẽ non perspicitur, sed alio quodã sensu, & animadversione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens, & se undique circumfundens absque contactu. *& iterum paulò post*: Anima, *inquit*, duplicem habet vitam. unam quidem simul cum corpore, alteram verò ab omni corpore separabilem. Quando vigilamus, utimur plurimum vita, quæ communis est cum corpore, præterquã si quando penitus separamur ab eo, propterea quod vel intelligamus, vel puris ratio-

nibus cogitemus: sed indormiendo penitus solvi possumus, velut à vinculis adhibitis animo, atque vita à generatione separata tunc uti. Quādo quodammodo dormientibus animus à corpore solvitur, tunc illa vitæ species secundū seipsam permanens separabilis, separatq; sive intellectualis, sive etiā sit divina, protinus expergiscitur in nobis, agitq; quemadmodum sua fert natura. Quoniam verò & intellectus entia contemplatur, & anima generabilium rationes in se complectitur, merito secundum causam comprehendentem futura in præcedentibus sui rationibus ordinata prænoscit. *Similia vide apud Robert Fud* Tract. 1. Sect. 2. part, 1. l. 3. c. 1. Microcosm. Histor.

Sect. IIX.

NOs quidem † somnum mortem dicimus; † nos tamen non somnus, sed † vigilia perdit: hæc spiritus scilicet conficit, vitæ domicilium. Nulla sane vitæ pars mortem aptius effingit; vere enim vivit quis, quam diu naturæ suæ munere & facultatum officiis fungitur. Clementer Themistocles militem dormientem interfecit; mitius sane supplicii genus, quā quod ullæ adhuc leges excogitarunt; quod adeo † Lucani & Senecæ ingenium fugisse miror. Hæc illa mors est, qua mori quotidie vere & proprie dici possumus; † Mors est, quam Adamus obiit, antequam mortalis esset; mors, qua medium quiddam inter vitam & mortem vivimus; mors denique

est

est ita † morti similis, ut ei me committere non ausim nisi precibus factis, & luci quodammodo per colloquium cum Deo habitum valedicto.

Adsunt tenebræ; dissimiles nihil
Luci tenebræ; tu modo ne Deus
Longe recedas; nigriora
Ne mihi nocte tenebricosa
Peccata vultus excipiant tui
Serenitatem: Namq; diem mihi
Tu solus affers: nempe solus
Tu mihi Sol, & origo lucis.
Tu dormientis tempora numine
Non dormienti protege; summove,
Insomnibus qui somno enato
Artibus insidiantur, hostes.
Dulcis quies sit; nec nisi qualia
Saxo recumbens sensit Abramides,
Vexent quietos visa somnos.
Exiliat pede Mens volucri
Visura cælum, protinus ac mihi
Corpus quierit; protinus ut sacras
Cum nocte decedente somno,
Excipiat sacra Lux tenebras:
Utq; ipse cursu non alacri minus,
Quam Sol, futurum mox peragam diem.
Mors somnus audit: Detur, oro,
Inde mors didicisse; detur
Somno supremo non placide minus
O.im sepulchro posse recumbere,
Hic quam recumbo. Qualis autem
Cunque sit hic mihi somnus, olim
Tecum excitari, si mode, si pater,
Hoc largiaris; des, licet aut brevem, aut
Somnum supremum: æquus recumbo.
Quo misera miser usque vita

Heu! somnolentas sterto diecula?
Quousque frustra? nam brevis hæc quies
Mox fugerit. Quando, ô, videbo
Perpetuam sine nocte lucem?

Hoc nempe Hypnoticon cubitum iturus adhibeo, nec alio mihi † laudano ad somnos faciendos opus est. Postea securus ad somnum componor, Soli longum vale dixisse contentus, & ad resurrectionem usque libenter dormiturus.

ANNOTATA.
Ad Sect. XII.

Somnum mortem dicimus) *Senec.* in Herc. Fur. act. 4. in chor. *eum appellat fratrem mortis:*

Frater duræ languide mortis.

Ovid. lib 2. amor. el. 9. *eum appellat imaginem mortis:*

Stulte, quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?

Aristotel. c. 3. de somn. & vigil. *eum similem Epilepsia dicit.*

Nos tamen non sumnus) *Benè Tertull.* de anima c. 44. Somnus est recreator corporum, vel redintegrator virium, probator valetudinum pacator operum, medicus laborum. *Benè apud Senec.* in Herc. fur. chor. act. 4.

——— ——— Tu ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

& iterum:

Pater ô rerum, portus vitæ.
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum lenisque fovens;

Pavi-

Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem.

& *ovid* l.11.Metamorph.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, qué cura fugit, qui corpora duris.
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

Vigilia perdit] *Ovid* l.1.de art.amand.
Attenuant juvenum vigilatę corpora noctes.

Lucani & Senecæ ingenium fugisse miror] *Vterq; à Nerone impetrato mortis arbitrio brachia ad secandas venas prebuit.* *Vid.Tac.* lib.15.Annal. c.63.& c.70.

Mors est, quam Adamus obiit) *Vid.* Gen. 2. v. 21.

Morti similis) Nihil *inquit Cicero* de Senect. videmus nostri tam simile quam somnum.

Laudano) *Est medicamentum preparatum ex opio ad somnum concitandum.*

Sect. XIII.

Methodo illa, quâ in † justitia distributiva utendum erat, in † commutativa frequenter utor; geometrica proportione in utraq; adhibita, qua† aliis dum æquus sum, mihi ipsi iniquus fio, & in tri[illegible] illo axiomate supererogo *Aliis facito, quod tibi ipsi fieri velis.* Ad divitias me non natum esse arbitror; quod tamen ut maxime in fatis esset, fatis tamen adversata est animi liberalitas.† Nec enim tam vitium mihi videtur avaritia, quam † deplorata insania, † Mortuum se credere, aut urinarium factum, non tam ridiculum est, non tam o-

mne

mnes hellebori vires superat. A ratione non tam aliena sunt speculativa hominum dogmata, & sententiæ, quam conclusio & praxis. Alii nives nigras esse, alii † terram moveri, † alii animam aëream, aqueam, & igneam asseruerunt; hæc tamē omnia philosophica sunt, & satis sana videbuntur, si apertam illam & miserrimam avaritiæ dementiam contemplemur. Stygii istius & subterranei idoli respectu me atheum esse fateor: non possum illud colere, quod vulgus veneratur. Aliquid forte apud me † præparata ejus substantia intra corpus valere potest, foris in actionibus nihil. Ad indignum aliquod facinus aut † flagitium perpetrandum non Indiis utrisq; conducendus sum. Hanc solam ob causam meipsum amo, & amplector; nec duo mihi brachia in complexus sufficere videntur. Severe nimis † Aristoteles pauperes & egenos è liberalium, numero excludit Hoc si verum est, me non nisi votis munificis, liberalibusq; desideriis liberalē esse fateor. Quod si illud Quadrantis exemplum non nobis tantum in miraculum proponatur, sed etiam ad charitatis exemplar, jam pauperes prochotrophia ædificare poterunt, nec templa ab opulentis tantum extructa sunt. Peculiari in charitate methodo, quā alii non observant, utor: à meipso occasionem benefaciendi arripio; & † opportunita-

nita-

nitate ab inopia mea ſumpta, aliorum anguſtiis tum maxime ſubvenio, cum ipſe premor. Nobismet ipſis enim honeſto quodam ſtratagemate ad occaſiones omnes iminere debemus, & eiusmodi conſilio virtutis actiones adminiſtrare, ut quod in aliis circumſtantiis deficit, in aliis abundantius ſarciatur. Indiæ mihi in votis non ſunt, id tantum expeto quod ſatis ſit, quoque iis charitatis officiis fungi poſſim, quibus fungi velle ab illo datum eſt. Dives eſt, cui unde benefaciat ſuppetir, nec temere tam pauper quisquam reperitur, cui mens liberalis & ingenua † non aliquam benefaciendi viam inveniat. † *Mutua lebova, qui gratioſe lurgitur tenui*: Plus quidem elegantiæ in ſe continet hæc una ſententia, quam quicquid eſt uspiam concionum. Si eadem emphaſi intelligerentur ſententiæ iſtæ, qua olim ab authoribus dictatæ ſunt, non tantis profecto præceptorum voluminib⁹ opus eſſet, per epitomen bonos eſſe liceret. Hac ſola cauſa adductus mendicum præterire non poſſum, niſi aut inopiam ejus crumena, aut animam precibus ſublevem. Adventitia illa & ſcenica differentia, qua diſcernimur, non facit ut partis ejus immemor ſim, quæ utrique communis eſt. Sub pannoſis iſtis centonibus, ſub mutilatis iſtis & laceris corporibus incolunt animæ, nec mate-

ria

tia, nec origine nostris ignobiliores, utrisque Deus in genere est, utrisque patet via salutis æque expedita. † Charitatis objectum tollunt Politici isti, qui Servatoris nostri vaticinii immemores, nec rempublicam Christianam satis intelligentes, † civitatem pauperibus vacaturam moliuntur.

ANNOTATA
Ad Sect. XIII.

Iustitia distributiva] *Versatur hæc justitia in distributione honorum, pecuniæ vel aliarum rerum, habita ratione dignitatis personarum, & æqualitatis rerum. Vide Aristotel.* l. 4. Eudemior. c. 2. & ad Nicom. *l. 5. c. 3. Cicer.* l. 1. officior. *Senc.* l. 4. de benef. c. 3. & seq. *Wesenbec.* in ff. tit. de iust. & jure.

Commutativa] *Hæc servat æqualitatem in contractibus & commutationibus, servata proportione Arithmetica. Vide Arist.* supra citat. loc. *& Wesenbec.*

Aliis dum æquus sum, mihi iniquus fio[*De suo quilibet illæsa justitia liberalis esse potest.*

Nec tam vitium] *Arist.* in libro de virtut. & vit. *Avaritiam dicit* vitium, quo lucrum undecunque oblatum sectantur. *Sed hoc est plusquam simplex vitium. Apostolus vocat avaritiam* radicem omnium malorum. *Vid. August.* de Civ. Dei l. 1. c. 10. *Claudian. l. 2.* in Stilicon. laud. *matrem scelerum.*

At primum scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis avaritiam.

Cic. l. 2. de offic. *dicit*, nullum esse tetrius vitiũ.

Deplorata insania] *Quid enim insanius*

esse

esse potest, quam maximo labore, animiq; inquietudine comportare aliquid, quod felicitate privet? Quid enim magis aliquem felicitate privare potest, quam illud cuius possessio semper animum inquietat? Quid enim magis animum inquietare potest, quam avaritia? Nam conquirendis divitiis solum attento tam deest, quod habet quam quod non habet. Vid. August. l. 7. de Civit. Dei c. 12. *& Cyprian.* in prologo sermon. avaritiæ solius & quæstus ardor, nec satiat cupidum, nec pœnitet eum cumulasse, quod crescere optat, non minus, & discola obstinatus semper, quod idolo suo immolat sedulus coacervat. *Hinc Mimus apud Sen.* in Epist. 108.

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia:
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Hinc Horat. l. 2. od. 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit.

Sen. l. 2. de benef. c. 27. Nunquam, *inquit*, improbæ spei, quod datur satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoq; concitatior est avaritia, in magnum opum congestu collocata. *Idem* in Herc. Oet. act. 2. chor.

Cupit hic gazis implere famem,
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri, nec tota sitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro
Subdita tellus, stupe aurato
Flumine clarum radiare Tagum.

Benè Ausonius in Biæ senteot.

Quis pauper? avarus.

& Horat. l. 3. od. 24.

——— Improbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Et ipse avarus pecuniæ usum nescit, Horat. l. 1. Sat. 1.

——— Congestis undique saccis

morare valet. Nec Aristoteles qui singularem tractatum de somno conscripsit, † accuratam ejus definitionem reliquisse videtur; nec, qui eandem correxit, Galenus. † Noctambuli enim etiam † dormientes sensuum suorum actionibus defunguntur. Fateri igitur oportet aliquid in nobis esse, quod † Morphei imperium non agnoscit. † ecstaticasque illas, & abstractas animas non aliter in corporibus propriis circumferri, quam spiritus audire, videre, & sentire videntur, cum tamen organo, & sensu priventur, & facultatibus istis, à quibus informari debent. Quosdam sub mortis horam supra se loqui, & ratiocinari observatum est. Iam enim anima ex corporeis illis vinculis liberari, & exolvi; jam ut se dignum est, & acumine plusquam mortali sermocinari incipit.

ANNOTATA.
Ad Sect. XI.

Meipsius fabricam & microcosmum curo & contemplor) *Ab hac contemplatione Philosophiam incipere debere, docet Cartesius in novis* suis Principiis Philosophicis. *Vide & Robert. Flud* in Histor. microcosmi tract. 1. Sect. 1. l. 10. c. 5:

Atlantis) *Est mons in Libya, quem Herodotus* l. 4. *adeò celsum dicit, ut eius cacumen haud cerni queat, quia neque hyeme neque æstate à nubibus relinquitur,*

Pun-

Punctum terra est) *Vt satis Astronomis innotuit.* *Vid.* Pandosion sphæricum *Argoli. Clav. Tychon. Copernic. &c.*

Cœlestis etiam eius & ætheræ particulæ) Act. 17. v. 29. *Nobis cœlestem particulam inesse etiam Poëta cantant. Horat.* lib. 2. satyr. 2.

——— Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat unà;
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Iuvenal. Satyr. 15.
Sensum à cœlesti demissum traximus arce;
Cuius egent prona & terram spectantia: mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque &c.

Virgil. 6. Aeneid.
Igneus est illis vigor & cœlestis origo.

Lucret. lib. 2.
Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.

Silius Ital. l. 15.
Cui ratio & magnæ cœlestia semina mentis
Munere sunt concessa Deûm: mortalibus alti
Quantum cœlicolæ, tantundem animalibus isti
Præcellunt cunctis: tribuit namque ipsa minores
His terris natura Deos.

Manil. l. 4.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cœlumq; redire animas, cœloq; venire?

Boët. l. 3. Metr. 6.
Hic clausit membris animos
Celsa pede petitos.

Eleganter Seneca c. 6. de consolat. ad Helv. Non est, *inquit*, ex terreno & gravi concreta (*nimirum mens*) corpore: ex illo cœlesti spiritu descendit,

& in Epist. 92. Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est? totum hoc quo continemur, & unum est, & Deus: & socii eius sumus & membra. *Iterum* in Epist. 120. Habebat, *inquit*, perfectum animum ad summam sui adductus, supra quam nihil est nisi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus mortale defluxit.

Non animo limites ponit) *Seneca* in Epist. 102. Magna, *inquit*, & generosa res est humanus animus: nullos sibi poni, nisi communes & cum Deo terminos patitur. *Vide plura* ibidem.

Trecentis sexaginta cubitis non contineor) *Hoc est, ambitu & circumferentia totius terrarum orbis non contineor. Illa enim continet CCCLX. gradus. Accipit hic cubitum pro gradu.*

Elementis antiquius, quod Solis ditioni non obnoxium est) *Seneca* in Epist. 41. Quemadmodum, *inquit*, radii Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.

Sed natura etiam) *Manil.* lib. 4.

——— Quid mirum noscere mundum
Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis?
Exemplum; Dei quisq; est in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi cœlo, credere fas est (Ea
Esse homines: proiecta jacent animalia cun-
In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent.

Iterum:

Hic partus qui cuncta regit, secessit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,
Imposuitq; viam ponto, stetit unus in arcem
Erectus capitis, victorq; ad sidera mittit:
Sidereos oculos, propiusq; aspectat Olympū,

Inqui-

Inquiritq; Iovem nec sola fronte Deorum
Contentus manet, & cœlum scrutatur in alto,
Cognatumq; sequēs corpus se quærit in astris.
Hinc in tanta fidem petimus, quam sæpe volucres
Accipiunt, trepideque suo sub pectore fibræ,
An minus est sacris rationem ducere signis
Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
Atqui adeo faciem cœli non invidet orbi
Ipse Deus, vultusque suos corpusque recludit.
Semper volvendo, seq; ipsum inculcat & offert.
Vt bene cognosci possit, doceatque videndo
Qualis eat, doceatque suas attendere leges.
Ipse vocat nostros animos ad sidera Mundus,
Nec patitur, quia non condit sua jura latere.
Quis putat esse nefas nosci, quod cernere fas est?
Nec contemne tuas quasi parvo in corpore vires.

Vid plura apud Rob Flud. in Histor. Microcosmi Tract 1. Sect. 1. l. 3. c. 5.

Mera esse somnia] *Ratione eorum, quæ in futura vita agemus ac meditabimur.*

Terrenus scorpius hora planetaria Saturni] *Quid illud significat, vide apud Ptolemeum. Lucam Gauricum. & in libro qui sub Henrici Ranzovij nomine editus est,* de Astrol. judic. *Sed propria experientia didici, Astrologia judiciaria parum esse tribuendum.*

Comœdiam totam componere] *Ejusmodi somnia sanguineis obvenire censent Physici. Vid. Aristot.* c. 3. de insomn. *Auctor tamen dicit, se geniali hilaritati haud ideonum natum. Hippocr.* in libro de insomniis, *docet, bonæ constitutionis esse documentum, si ea, quæ aliquis de die cogitavit, in somnis obversentur. & puto auctorem nostrum interdiu ejusmodi agitasse, Cic. 6.* de Rep. in

fragment. Fit fere, *inquit*, ut cogitationes ser-monesq; nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius; de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare, & loqui. *Vide & Robert. Flud.* in Microcosm. tract. 1. Sect. 1. l. 10. c. 3. *Hinc apud Sen.* in octav. act. 4. *Nutrix Poppea ita*;

Quæcunque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert.
Veloxque sensus.

Et Claudian. in præfat: in 6. consulat. Honorii Aug.

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.

Lucret. l. 4.

In somnis eadem plerumque videmur obire
Caussidici, causas agere, & cóponere leges &c.

Non nisi in somniis studerem) *Claudian.* in præfat. in 6 consulatum Honor.

Me quoq; Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assuetis sollicitare solet.
Namq; poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Iovis.

Quam confusum quiddam & imperfectum memorare valet) *Præsertim si somnia ante ciborum concoctionem fiant. Vide Aristotel.* c. 3. de insomniis.

Accuratam eius definitionem reliquisse videtur) C. 3. de insomniis, *definit somnum.* Phantasma aliquod in somno.

Noctambuli enim dormientes) *Appellantur vulgò noctambuli, rectius somnambuli dicerentur. Id quod Auctor scribit esse verum satis experientia atq; Historia testantur, & Galenus id l. 2. c. 4. de motu musculor. de seipso fatetur. Vid. & Lemnium* de occult. nat. miracul. l. 2 c. 15.

Dormij

Dormientes] *Non est perfectus eorum somnus, habent oculos semiapertos.*

Morphei] *Morpheus fingitur filius ac minister somni Dei, qui inducit dormientibus varias formas. De quo Ovid.* l.11. Metamorph.

Excitat artificem simulatoremque figuræ
Morphea.

Auctor noster accipit pro somno.

Ecstaticasque illas abstractas animas non aliter in corporibus propriis circumferri, quam spiritus audire &c.] *Somnia ordinaria, quia etiam bestiis competunt, hoc non satis probant; potius ecstasis, quia tunc anima ab omnibus corporis sensibus avertitur.* Qui *sunt in ecstasi, ut Iamblich.* de mysteriis *dicit*, neque utuntur sensibus, neque ita vigilant, ut qui vigiles habẽt sensus, neq; ullam edunt cognitionem actionemq; propriam. *De his vide plura in Rob. Flud.* Histor. microcosm. Tract.1. Sect 2. part.1. l.2. c.5. *multas tamen ille nugas immiscet. Idem probant divinitus immissa somnia, veluti Abraha, Iacobi, Iosephi, Salomonis, Iuda, Maccabei, Magorum, Pauli &c. De divinis somniis Iamblich.* de mysteriis cap. de somniis p.51. *ita*: Somnia divinitus missa cum veniunt, tunc, *inquit*, breves audiuntur voces, quid agendum sit admonentes; & aliquando spiritus quidam non corpulẽtus, non tractabilis, se jacentibus circumfundit: qui tamẽ non perspicitur, sed alio quodã sensu, & animadversione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens, & se undique circumfundens absque contactu. *&* *iterum paulò post*: Anima, *inquit*, duplicem habet vitam, unam quidem simul cum corpore, alteram verò ab omni corpore separabilem. Quando vigilamus, utimur plurimum vita, quæ communis est cum corpore, præterquã si quando penitus separamur ab eo, propterea quod vel intelligamus, vel puris ratio-

est ita † morti similis, ut ei me committere non ausim nisi precibus factis, & luci quodammodo per colloquium cum Deo habitum valedicto.

Adsunt tenebræ; dissimiles nihil
Luci tenebræ; tu modo ne Deus
Longe recedas; nigriora
Ne mihi nocte tenebricosa
Peccata vultus excipiant tui
Serenitatem: Namq; diem mihi
Tu solus affers: nempe solus
Tu mihi Sol, & origo lucis.
Tu dormientis tempora numine
Non dormienti protege; summove,
Insomnibus qui somno enato
Artibus insidiantur, hostes.
Dulcis quies sit; nec nisi qualia
Saxo recumbens sensit Abramides,
Vexent quietos visa somnos.
Exiliat pede Mens volucri
Visura cælum, protinus ac mihi
Corpus quierit; protinus ut sacras
Cum nocte decedente somno,
Excipiat sacra Lux tenebras:
Utq; ipse cursu non alacri minus,
Quam Sol, futurum mox peragam diem.
Mors somnus audit: Detur, oro,
Inde mors didicisse; detur
Somno supremo non placide minus
O im sepulchro posse recumbere,
Hic quam recumbo. Qualis autem
Cunque sit hic mihi somnus, olim
Tecum excitari, si modo, si pater,
Hoc largiaris; des, licet aut brevem, aut
Somnum supremum: æquus recumbo.
Quo misera miser usque vita

Heu! somnolentas sterto diseculas?
Quousque frustra? nam brevis hac quies
Mox fugerit. Quando, ô, videbo
Perpetuam sine nocte lucem?

Hoc nempè Hypnoticon cubitum iturus adhibeo, nec alio mihi † laudano ad somnos faciendos opus est. Postea securus ad somnum componor, Soli longum vale dixisse contentus, & ad resurrectionem usque libenter dormiturus.

ANNOTATA.
Ad Sect. XII.

Somnum mortem dicimus) *Senec.* in Herc. Fur. act. 4. in chor. *eum appellat fratrem mortis;*
Frater duræ languide mortis.
Ovid. lib 2. amor. el. 9. *eum appellat imaginem mortis:*
Stulte, quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?
Aristotel. c. 3. de somn. & vigil. *eum similem Epilepsiæ dicit.*

Nos tamen non sumnus) *Benè Tertull.* de anima c. 44. Somnus est recreator corporum, vel redintegrator virium, probator valetudinum pacator operum, medicus laborum. *Benè apud Senec.* in Herc. fur. chor. act. 4.

——— ———Tu ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

& iterum;

Pater ô rerum, portus vitæ.
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum lenisque fovens;

Pavi-

Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem.

& Ovid l.11.Metamorph.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quẽ cura fugit, qui corpora duris.
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

Vigilia perdit] *Ovid*.l.1.de art.amand.
Attenuant juvenum vigilatę corpora noctes.

Lucani & Senecæ ingenium fugisse miror] *Vterq; à Nerone impetrato mortis arbitrio brachia ad secandas venas prabuit. Vid.Tac* lib.15.Annal. c.63.& c.70.

Mors est, quam Adamus obiit) *Vid.* Gen. 2. v. 21.

Morti similis) Nihil *inquit Cicero* de Senect. videmus nostri tam simile quam somnum.

Laudano) *Est medicamentum preparatum ex opio ad somnum concitandum.*

Sect. XIII.

METhodo illa, quâ in † justitia distributiva utendum erat, in † commutativa frequenter utor; geometrica proportione in utraq; adhibita, qua† aliis dum æquus sum, mihi ipsi iniquus fio, & in trito illo axiomate supererogo. *Aliis facito, quod tibi ipsi fieri velis.* Ad divitias me non natum esse arbitror; quod tamen ut maxime in fatis esset, fatis tamen adversata est animi liberalitas. † Nec enim tam vitium mihi videtur avaritia, quam † deplorata insania. † Mortuum se credere, aut urinarium factum, non tam ridiculum est, non tam omne

mnes hellebori vires superat. A ratione non tam aliena sunt speculativa hominum dogmata, & sententiæ, quam conclusio & praxis. Alii nives nigras esse, alii † terram moveri, † alii animam aëream, aqueam, & igneam asseruerunt; hæc tamẽ omnia philosophica sunt, & satis sana videbunrur, si apertam illam & miserrimam avaritiæ dementiam contemplemur. Stygii istius & subterranei idoli respectu me atheum esse fateor: non possum illud colere, quod vulgus veneratur. Aliquid forte apud me † præparata ejus substantia intra corpus valere potest, foris in actionibus nihil. Ad indignum aliquod facinus aut † flagitium perpetrandum non Indiis utrisq; conducendus sum. Hanc solam ob causam meipsum amo, & amplector; nec duo mihi brachia in complexus sufficere videntur. Severe nimis † Aristoteles pauperes & egenos è liberalium, numero excludit Hoc si verum est, me non nisi votis munificis, liberalibusq; desideriis liberalẽ esse fateor. Quod si illud Quadrantis exemplum non nobis tantum in miraculum proponatur, sed etiam ad charitatis exemplar, jam pauperes prochotrophia ædificare poterunt, nec templa ab opulentis tantum extructa sunt. Peculiari in charitate methodo, quá alii non observant, utor: à meipso occasionem benefaciendi arripio; & † opportunita-

nitate ab inopia mea ſumpta, aliorum anguſtiis tum maxime ſubvenio, cum ipſe premor. Nobismet ipſis enim honeſto quodam ſtratagemate ad occaſiones omnes iminere debemus, & eiusmodi conſilio virtutis actiones adminiſtrare, ut quod in aliis circumſtantiis deficit, in aliis abundantius ſarciatur. Indiæ mihi in votis non ſunt, id tantum expeto quod ſatis ſit, quoque iis charitatis officiis fungi poſſim, quibus fungi velle ab illo datum eſt. Dives eſt, cui unde benefaciat ſuppetit, nec temere tam pauper quisquam reperitur, cui mens liberalis & ingenua † non aliquam benefaciendi viam inveniat. † *Mutua lebove, qui gratioſe lurgitur tenui*: Plus quidem elegantiæ in ſe continet hæc una ſententia, quam quicquid eſt uspiam concionum. Si eadem emphaſi intelligerentur ſententiæ iſtæ, qua olim ab authoribus dictatæ ſunt, non tantis profecto præceptorum voluminib⁹ opus eſſet, per epitomen bonos eſſe liceret. Hac ſola cauſa adductus mendicum præterire non poſſum, niſi aut inopiam ejus crumena, aut animam precibus ſublevem. Adventitia illa & ſcenica differentia, qua diſcernimur, non facit ut partis ejus immemor ſim, quæ utrique communis eſt. Sub pannoſis iſtis centonibus, ſub mutilatis iſtis & laceris corporibus incolunt animæ, nec materia

ria, nec origine nostris ignobiliores, utrisque Deus in genere est, utrisque patet via salutis æque expedita. † Charitatis objectum tollunt Politici isti, qui Servatoris nostri vaticinii immemores, nec rempublicam Christianam satis intelligentes, † civitatem pauperibus vacaturam moliuntur.

ANNOTATA Ad Sect. XIII.

Iustitia distributiva] *Versatur hæc justitia in distributione honorum, pecuniæ vel aliarum rerum, habita ratione dignitatis personarum, & æqualitatis rerum. Vide Aristotel.* l. 4. Eudemion. c. 2. & ad Nicom. *l. 5. c. 3. Cicer.* l. 1. officior. *Senc.* l. 4. de benef. c. 3. & seq. *Wesenbec.* in ff. tit. de iust. & jure.

Commutativa] *Hæc servat æqualitatem in contractibus & commutationibus, servata proportione Arithmetica. Vide Arist.* supra citat. loc. & *Wesenbec.*

Aliis dum æquus sum, mihi iniquus fio [*De suo quilibet illæsa justitia liberalis esse potest.*

Nec tam vitium] *Arist.* in libro de virtut. & vit. *Avaritiam dicit* vitium, quo lucrum undecunque oblatum sectantur. *Sed hoc est plusquam simplex vitium. Apostolus vocat avaritiam* radicem omnium malorum. *Vid. August.* de Civ. Dei l. 1. c. 10. *Claudian. l. 2.* in Stilicon. laud. *matrem scelerum.*

At primum scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis avaritiam.

Cic. l. 2. de offic. *dicit*, nullum esse tetrius vitiũ.

Deplorata insania] *Quid enim insanius esse*

esse potest, quam maximo labore, animiq; inquietudine comportare aliquid, quod felicitate privet? Quid enim magis aliquem felicitate privare potest, quam illud cuius possessio semper animum inquietat? Quid enim magis animum inquietare potest, quam avaritia? Nam conquirendis divitiis solum attento tam deest, quod habet quam quod non habet. Vid. August. l. 7. de Civit. Dei c. 12. *& Cyprian.* in prologo sermon. avaritiæ solius & quæstus ardor, nec satiat cupidum, nec pœnitet eum cumulasse, quod crescere optat, non minus, & discola obstinatus semper, quod idolo suo immolet sedulus coacervat. *Hinc Mimus apud Sen.* in Epist. 108.

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia:
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Hinc Horat. l. 2. od. 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit.

Sen. l. 2. de benef. c. 27. Nunquam, *inquit*, improbæ spei, quod datur satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoq; concitatior est avaritia, in magnum opum congestu collocata. *Idem* in Herc. Oet. act. 2. chor.

Cupit hic gazis implere famem,
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri, nec tota sitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro
Subdita tellus, stupe aurato
Flumine clarum radiare Tagum.

Benè Ausonius in Biæ senteut.

Quis pauper? avarus.

& Horat. l. 3. od. 24.

——————Improbæ
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Et ipse avarus pecunia usum nescit, Horat. l. 1. Sat. 1.

———Congestis undique saccis

Indormis inhians; & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis
Nescis quid valeat nummus, quem præbeat usum.

Et lib. 2. Sat. 3.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli:
Si scalpra & formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis: delirus & amens
Vndiq; dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui nummos, aurumq; recondit, nescius uti
Compositis?

Quomodo aliquis animi tranquillitate frui potest, qui in continuo metu & angustiis versatur. Avarus vero semper timet: Hinc Horat. l. 1. *sat.* 1.

An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Deplorata insania] *Eapropter* Iuvenal. Sat. 14 *hoc vitium appellat Furorem ac Phrenesin.*

Sed quo divitias hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis
Vt locuples moriaris.

Augustin. in libro de Disciplina Christ. c 2. *eam appellat cæcitatem. Apostolus* 1. Corinth. 3 *vocat eam idolorum servitutem plura de divitiarum vituperio vid. apud* Stobæum Sermon. 91. ex vers. Gesneri.

Mortuum se credere aut urinarium) *Illi enim ægroti sunt, & morbo hypochondriaco laborant.*

Terram moveri) *Vt jam olim Philolaus Pythagoricus, Ponticus, Heraclites, Ecphantes Pythagoricus Vid Plutarch.* l. 3 de Placit. Philos. c. 13 *nunc idem statuunt Copernicus, Lansbergius & alii.*

Alii

Alii animam aëream, aqueam & igneam] *Vide Plutarch.* de Placit. Philosophor. l. 4. c. 3.

Propterea eius substantia] *Ex auro optima confici medicamenta Chymici asserunt: ut sunt Essentia Solis & aurum potabile. Bona exinde posse confici credo, modo quis liquorem Alkahesti haberet.*

Flagitium perpetrandum non Indiis utrisque conducendus sum] *Alioquin* nihil tam munitum, *inquit Cicero* 1. in Verr. quod non expugnari pecunia possit. *Et Ovid* l. 2. de art. amand.

Munera, crede mihi, placant hominesque
Deosque:
Placatur donis Juppiter ipse datis.

Imò plerumque secund. Horat. l. 3. Carm. Od. 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

Nullo tamen non tempore reperti fuerunt homines sinceri, qui subterraneum illud idolum haud adorarunt, aut se illo corrumpi passi sunt. Sic Antiochus, ab Arcadibus ad Regem Persiæ missus, nulla volebat accipere munera. Xenoph. l. 7. Hist. græc. Omni Macedonum gaza, *inquit Cic.* l. 2. de offic. quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Imitatus Patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui eius collega in Censura fuit L. Mummius, nunquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare quam domum suam maluit.

Aristoteles pauperes & egenos è liberalium numero excludit] *Vide Aristot.* l. 4. Moral. c. 1.

Opportunitate ab inopia non sumpta, aliorum angustiis tum maxime subvenio, cum ipse

premor] *Ea quæ* hac part. 2. Sect. 2. *dicit, parum cum hoc congruunt: nobile charitatis opus alio tendere, aliunde moveri & impelli oportere* ibidem *docet. Vid. quæ* ibi *dixi.*

Non aliquam benefaciendi viam inveniat] *Ejusmodi via reperitur docendo, recta consilia dando, admonendo &c.*

Mutua Jehovæ] *Deus omnia hæc se compensaturum promittit. Vide* Matth. 25.

Charitatis objectum tollunt] *Restant adhuc alia charitatis objecta. Erga multos enim haud pauperes charitatem exercere possumus, ut* supra *dixi.*

Civitatem pauperibus vacaturam moliuntur] *Paupertas homines sæpe rebus novis studere facit, quia pauperes nihil amittendum habent, atque ex motibus & mutationibus aliquid se posse commodi capere confidunt.*

Sect. XIV.

Est autem alia charitatis pars, hujus columna & basis, nempe amor Dei, cujus causa proximum diligimus. Ea enim demum charitas est, † Deum propter ipsum diligere, & † proximum propter Deum. Quicquid amabile est, Deus est; aut saltem pars ejus quodammodo separata, aliquid adhuc divinitatis retinens. Nec mirum videri debet in eo collocari affectus *nostros*, † quod invisibile; invisibile enim est quicquid vere amamus, nec quicquam tam sancto nomine dignandum est, quod sensuum tantum affectibus veneramur. Hunc ad modum virtutem colimus oculis igno-

ignotam; hunc ad modum eam amicorum partem amamus, & amplectimur, quam amplecti non possumus. Deus cum universa bonitas sit, præter seipsum nihil amare potest, nos solummodo propter eam partem diligit, cujus originem à divino ejus spiritu deducimus. † Parentum amores, † uxorum & liberorum affectus, si diligenter excutiamus, leves admodum & instabiles sunt, nihil solidi nihil veri habentes: quod autem ex his firmissimum esse vinculum videtur, mutuus nimirum parentum & liberorum affectus, quam infirmum ipsum, quam non dissolubile videmus? Ad mulierem nos conferimus, matris in uxore obliti, uterique ejus, qui nos ipsos peperit, in eo qui imaginem nostram pariturus est. Hæc cum nos liberis bearit, migrat iterum affectus, & à lecto ad liberos descendit, nec tamen ibi fixiori vestigio mansurus: Hi progressa jam ætate, aut nos mortuos cupiunt, aut uxore ducta honestam tandem transferendi affectus causam reperiunt. Sic vivos quodammodo sepeliri nos posse videmus, & sepulchrum in propagine spectare.

ANNOTATA

Ad Sect. XIV.

Deum propter seipsum diligere] *Augustin.* de substant. dilect. c. 6. Feliciter non diligit do-

nec ad unum & summum bonum per amoris desiderium se convertit,& quia summum & unum bonum solus est Deus, ille feliciter amat, & qui Deum amat, tantò felicius quantò amplius. *& idem* soliloq.c.19. Minus, *inquit*, te amat,qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. *alibi*. Væ amori, qui suspicatur aliquid pulchrius, quam ille à quo est omne pulchrum. *Idem* in Psalm.34. Omnia cara sunt, quia omnia pulchra sunt, sed quid Deo pulchrius est? Et nihil magis vult dare quam se, si aliquid inveneris melius,pete.in Psalm.39. Qui fecit omnia,melior est omnibus: qui pulcra fecit, pulchrior est omnibus: qui fortia,fortior: qui magna maior est: quicquid amaveris ipse tibi erit.

Proximum propter Deum] *August*. c. 4. de substant.dilect. Geminatus, *inquit*, est nexus in charitate Dei & proximi: ut per charitatem Dei omnes uni adhærerent, per charitatem proximi omnes unum fierent, ut quid de illo uno, cui omnes inhærebant, quisq; in semetipso non caperet, plenius ac perfectius per charitatem proximi in altero possideret,& bonum omnium fieret totum singulorũ. *Idem* in Homil.38. Incipe, *inquit*, Deum amare & amabis hominem propter Deũ.

Quod invisibile] *August*. Homil. 38. Quomodo dicis amare quem non video? Modo ostendo unde coneris videre,quod istis oculis nõ potes videre. Ecce amas amicum; quid in illo amas? Gratis illum amas. Sed fortè amicus iste tuus, ut alia omittam, senex homo est. Fieri enim potest,ut habeas amicum senem, Quid amas in sene? curvum corpus, album caput,rugas in fronte,contractam maxillam. Si corpus,quod vides nihil deformius præ senectute, & tamen aliquid amas, & corpus quod vides non amas? Unde vides quid amas? Si enim quæram à te quare amas,responsurus es mihi, homo est fide-

lis.

lis. Ergo fidem amas. Si fidem amas, quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. *Idem* in Psalm 39. Disce amare in creatura creatorem, & in factura factorem, ne teneat te, quod ab illo factum est, & amittas eum à quo & ipse factus es. *Auctor* de substant. dilect. (exstat Tom. 4. in op. August.) Si Deum, *inquit*, semper cogitare non possumus, saltem cor nostrum ab illicitis & vanis cogitationibus restringendo in consideratione operum Dei & mirabilium ejus teneamus.

Parentum amores] *Nam sæpe levis suspicio illum amorem expectorare potest. Interitus filii Philippi II. Hispaniarum Regis* (vid. l'Histoire *du Sieur d'Aubigné* tom. 1 livr. 5. ch. 28. & l'Histoire de Henry IV. *par. P. Matth.* livr. 1. narr. 4.) *aliaque exempla id testatum faciunt. Tacitus* l. 2. Annal. c. 82. *dicit*, regnantibus displicere filiorum ingenia civilia.

Uxorum & liberorum affectus] *Terent.* in Adelph. act. 5. Scen. 4.

Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi? nati filii.
Alia cura: heia autem, illis dum studeo ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam:
Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium, &c.
Meam autem mortem expectant.

Sect. XV.

UT itaque coronidem tandem adjiciam, † infra, sive (quod vult Copernicus) * supra Solem nullam esse fælicitatem ajo. Nec quicquam crambes etiam decies repeti-

tum habet frequens illud epiphonema, totiusque Salomonis sapientiæ compendium, omnia vanitas sunt, & afflictio spiritus. Nihil est fælicitatis in his, quæ mundus veneratur. Ideas Platonicas dum † Aristoteles refutat, in ideam ipse incidit; nihil enim aliud est † ejus summum bonum, † quam somnium & Chimæra. † Id, cujus fruitione Deus pariter atque † Angeli fælices sunt, & cujus defectu Dæmones miseri, id veram fælicitatem appellare non metuam; ad hoc autem quicquid conducit per haud invitam metaphoram eodem titulo insigniri poterit: Præter hoc quicquid vulgus fælicitatem nominat, mihi fabula & spectrum est; & amabilis tantum impostura, quæ præter nomen solum nihil fælicitatis habet. Si denique in conscientia pacem, in affectus imperium, erga teipsum, & charissimos meos pietatem mihi, ô bone Deus, benignitas tua in hac vita dederit, † Crœsum ipsum miserari potero. Hæc eorum summa est, quæ modestissimæ meæ ambitioni in votis sunt, quæque hic in fælicitatis album adscribere ausim, in quibus nullum dextræ tuæ modum aut limitem pono, quicquid sapientiæ tuæ beneplacito visum fuerit, de me facito, de me quicquid fiat, fiat voluntas tua.

ANNOTATA
Ad Sect. XV.

Infra sive supra Solem] *Hoc est in nostro mundo.*

Aristoteles refutat] *Vid.* l. 1. Eudemior. c. 8. & l. 1. metaphys. c. 7.

Ejus summum bonum] *Vid.* l. 1. & 2. Eudemior. & l. 1. de moribus c 7. 8. 9. & seq.

Quam somnium & Chimæra] *Plato multo melius Aristotele de summo bono philosophatus est. Vide* in ejus conviv. & ea quæ ibi Diotima ad Socratem profert. *Et revera Aristotelis summa felicitas parum aut nihil perfectionis in se habet, confer ea, quæ de hoc scripsit, cum Platonis dogmate. Vid. & August.* l. 8. de Civ. Dei c. 9. *Ille enim solum beatus & summè felix est, qui verum & summum bonum h. e. Deum amat, & fruitur eo. Pulchrè Seneca* l. 1. natural. quæst. in præfat. Virtus, *inquit*, quam affectamus magnifica est, non quia per se beatum est, malo caruisse: sed quia animum laxat ac præparat ad cognitionem cœlestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ, cum, calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit. Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram. *Et iterum.* Punctum est illud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam cum illis utrinq; Oceanus incurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: ac ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus levisq; ac contentus modico emicuit. *Inter Philosophos variæ semper fuerunt de summo bono opiniones, ut patet*

 ex

ex Cicer. de fin. bonor. *& Augustin.* l. 19. de Civ. Dei c. 1. *narrat, Varronem suo tempore annotasse, ducentas octoginta octo opiniones de hoc fuisse.*

Id cuius fruitione Deus] *Deus seipsum perfectissimè contemplatur, seipso est contentus, nulliusque indigus.*

Angeli felices sunt] *Angelorum felicitas consistit in contemplatione ac fruitione Dei. Vide August.* l. 4. de Gen. ad lit. c. 29.

Crœsum ipsum] *Erat ille Lydorum Rex, divitiis superabundans. Vid. Herodot.* l. 1. & l. 5. *Iustin.* l. 1. *Auson.* in Epigram. *Iuvenal.* Satyr. 14.

Anacephalæosis eorum, quæ singulis sectionibus ab Authore tractantur.

PARS PRIMA.

DE FIDE.

SECT. I.

AUthor, una cum operis hujus occasione, quomodo & ad nostram, & ad alias Religiones affectus sit, ostendit.

II. Religionis Reformandæ necessitas & occasio.

III. Suam cuiq; Religionem examinandam esse. Nos & Pontificios quid intersit. Quomodo ad Cæremonias, & Religionem Pontificiam Author affectus sit.

IV. De Reformatione in genere.

V. De Ecclesia Anglicana. De Adiaphoris.

VI. De controversiis & dubitationibus in iis, quæ ad Religionem spectant. De Hæresi in genere. Hæreses tres, quibus olim Author implicitus.

VII. De Regionum dissidiis, & controversiis.

IIX. De Mysteriis & subtilitatibus theologicis.

IX. De Fide.

X. De Deo, & ejus Attributis. De Æternitate & Prædestinatione.

XI. De Trinitate. De Mundo invisibili.

XII. XIII. De Sapientia divina, eademq; contemplanda.

XIV. De Divino in rebus creandis artificio.

XV. De Natura, & Theologia Naturali.

XVI. XVII. De Providentia divina, & fortuna.

LIIX.

PARS SECVNDA.

DE CHARITATE.

SECT. I.

INDEX
Rerum, quæ in Annotatis continentur.

A.

Aula

Cos

nis am-

Home-

Idea

INDEX.

I.

dum

pro

 priscos.

Pro-

R.

Suus.

Tris-

Vulpes.

FINIS.